C

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
21 — G
6

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

45.4.33.
45
D
33

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS
DE
POENITENTIA

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS DE POENITENTIA

AVCTORE

FR. PETRO DE COMITIBVS

ROMANO

Ord. Er. S. Aug. de Ancona

Artium, & Sacræ Theologiæ Doctore, & Magiſtro, Collegij Patauini Regente, & S. Officij Conſultore.

Biblio. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

PATAVII, M.DC.LXXXVI.

Typis Petri Mariæ Frambotti. *Sup. perm.*

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTO D.

Sacramentorum fonti,
Bonorum omnium largitori,
Cęlorum ianuæ, ſalutis
authori,
Scelerum vindici, Virtutum
ſemitæ,
Inferorum domitori, humanæque captiuitatis reparatori,
Cœleſtium donorum ſcaturigini,
Beatitatis largitori,
Vnigenito Patris, Eccleſiæ
Sponſo, electorum Principi,
Omnium Iudici, veræ
ſapientiæ ſemini,

Cœli gaudio, Angelorum
riſui,
Vniuerſi totius Regi, condi-
tori, reſtauratori,
conſeruatori.

In humillimę ſeruitutis
obſequium,
Hunc de Pęnitentia libellum
Toto cordis affectu con-
ſecrat,
Vt ſub eius ſolius auſpicijs,
in lucem prodeat,
quem pronus adorat,
Fr. Petrus De Comitibus
Romanus.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

NE' mireris, amice lector, ſi ad tertiã partem ſummæ theologicæ citato properans greſſu, omiſſis aliis, illicò ad pœnitentiam manum impono. Siquidem importunis amicorum precibus impetitus, eò redactus ſum, ut nè in meis quidem parthubus ſeligendis, indifferens ſim, ſed debeam aliis morem gerere, ut omnibus ſatisfaciã. Non tamẽ mihi moleſtum accidit, moralẽ tractatum ſcholaſticis anteuertere, cùm certò ſciam, ſcholaſticas lucubrationes à paucis, morales autem à pluribus frequentari, non ſolùm quia ſunt captu faciliores, ſed etiam quia utiliores, & ſimpliciter neceſſariæ. His adde,

Digitized by Google

quòd cùm ætate prouectus, properem ad ſepulchrum, nollem, opuſculum hoc mihi cariſsimum, in cuius tractatione excitari queam, ad meorum ſcelerum pęnitentiam, morte præueniente, imperfectum relinqui, ut lugemus in operibus D. Thomæ. Accipe igitur quod labore non pœnitendo tibi porrigo, ut exciteris, vel ſaltem alios excites ad pęnitendum; nam ſi per vitam licuerit, uniuerſum theologicum curſum, Deo adiuvante, numeris omnibus abſolutum, dummodo expoſita non diſplicuerint, citiùs quàm credideris, impreſſum dabo. Vale.

IN-

INDEX

Diſputationum, & Articulorum

Qui continentur in tractatu de Pœnitentia.

DISPVTATIO PRIMA.

De Pœnitentia virtute.

Ar. 1. *AN pænitentiæ nomen congruenter uſurpetur?* p. 27

Ar. 2. *An Pænitentia ſit virtus ſimpliciter?* 32

Ar. 3. *An Pænitentia ſit virtus ſpecialis?* 43

Ar. 4. *Solvuntur obiecta.* 49

Ar. 5. *An habitus pænitentiæ ſit ſupernaturalis, & infuſus?* 54

Ar. 6. *Solvuntur obiecta. Vbi ſtatuitur, quòd etiam in ſtatu puræ naturæ fuiſſet pænitentia virtus.* 60

Ar. 7. *Soluitur ultimum argumentum, & quæritur an in omnibus iuſtis inſit virtus pænitentiæ, etiam in patria?* 67

Ar. 8. *An in Chriſto fuerit pænitentiæ virtus?* 71

Ar. 9. *An ſolum peccatum actuale propriũ ſit obiectum materiale huius virtutis?* 76

Ar. 10. *An obiectum formale pænitentiæ ſit expiatio peccati, & reparatio diuinæ offenſæ? Vbi de actibus pænitentiæ.* 82

Digitized by Google

DISPVTATIO SECVNDA.

De Pœnitentia Sacramento.

Ar. 1. AN detur in Eccleſia facultas remittendi peccata commiſſa poſt baptiſmum per modum iudicij extrinſeci? 90

Ar. 2. An medium ſenſibile reconciliationis, quod dicitur pœnitentia, ſit verum ſacramentum? 96

Ar. 3. An ſacramentum pœnitentiæ ſit diuerſum à baptiſmo? 100

Ar. 4. An ſacramentum pœnitentiæ fuerit in lege veteri? 106

DISPVTATIO TERTIA.

De Inſtitutione Sacramenti Pęnitentiæ.

Ar. 1. AN ſacramentum pœnitentiæ fuerit inſtitutum à Chriſto Domino? 110

Ar. 2. An hoc ſacramentum fuerit inſtitutum poſt mortem, & reſurrectionem Chriſti? 115

Ar. 3. An hoc ſacramentum fuerit congruēter inſtitutum? 120

DISPVTATIO QVARTA.

De Neceſſitate Pęnitentiæ.

Ar. 1. AN ſacramentum pœnitentiæ ſit neceſſarium neceſſitate medij? 125

Ar. 2. An ſacramentum pęnitentiæ, quoad mo-

Digitized by Google

modum confeſſionis, ſit neceſſarium neceſſitate præcepti? 130
Ar. 3. An præceptum diuinum confeſſionis obliget ſtatim, poſt peccatum mortale? 136
Ar. 4. An poſſit aſſignari aliquod tempus intra annum, in quo determinatè obliget diuinum præceptum confeſſionis? 142
Ar. 5. An præceptum Eccleſiaſticum de annua confeſſione obliget ad totum annum? 149

DISPVTATIO QVINTA.

De materia remota Pœnitentiæ.

Ar. 1. AN materia remota penitentiæ ſint peccata, etiã venialia? 156
Ar. 2. An originale, & actuale commiſſũ ante baptiſmum, ſint materia remota penitentiæ? 160
Ar. 3. An peccatum dubium ſit materia ſufficiens penitentiæ? 165
Ar. 4. An peccatum dubium confeſſum ut dubium, ſi deinde adueniat certitudo, debeat ut certum manifeſtari? 173
Ar. 5. An peccatum aliàs abſolutum poſſit eſſe materia ſufficiens penitentiæ? 177
Ar. 6. An peccatum debeat ſubijci clauibus, ſecundùm ſolam malitiam internam, reticendo actiones externas? 183
Ar. 7. An ſint confitendæ circumſtantiæ mutantes ſpeciem, vel numerum pec-

cato;

Digitized by Google

catorum? 187

Ar. 8. *An ſint neceſſariò confitendæ circumſtantiæ aggrauantes?* 193

Ar. 9. *An ſint etiam neceſſariò confitendæ circumſtantiæ minuentes?* 199

DISPVTATIO SEXTA.

De Materia proxima pęnitentiæ.

Ar. 1. *AN materia proxima pęnitentiæ ſit aliquid extra actus pęnitentis? Confutantur errores hæreticorum.* 204

Ar. 2. *An contritio, confeſſio, & ſatisfactio ſint materia proxima huius ſacramenti?* 212

Ar. 3. *An hi actus ſint partes eßentiales cõſtitutiuæ?* 219

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Contritione.

Ar. 1. *AN contritio differat intrinſecè, & eſſentialiter ab attritione?* 227

Ar. 2. *An, & quomodo attritus per ſacramentum pœnitentiæ fiat contritus?* 234

Ar. 3. *An ſufficiat attritio ad valorem ſacramenti?* 238

Ar. 4. *An attritio ut ſufficiens ad ſacramẽtum, inuoluat neceſſariò dilectionem Dei?* 244.

Ar. 5. *An dolor contritionis ſit in potentia ſenſitiua, & ut in illa ſit maximus?* 252

Ar. 6. *An dolor contritionis, ut eſt in potentia volitiua, debeat eſſe omnium maximus?* 259
Ar. 7. *An dolor contritionis debeat extendi ad omnia, & ſingula peccata?* 268
Ar. 8. *An formalis ratio contritionis conſiſtat in dolore peccatorum?* 274
Ar. 9. *An ad perfectum contritionem requiratur formalis amor Dei ſuper omnia?* 110
Ar. 10. *An teneamur elicere actum contritionis, ſtatim poſt peccatũ mortale?* 283

DISPVTATIO OCTAVA.

De actu Confeſſionis.

Ar. 1. *AN confeſſio debeat eſſe ſecreta, & auricularis?* 291
Ar. 2. *An confeſſio debeat fieri voce penitentis?* 297
Ar. 3. *An poſſit fieri per interpretem, & per ſcripturam, etiam abſenti?* 303
Ar. 4. *Solvuntur obiecta ſecundæ ſententiæ.* 309

DISPVTATIO NONA.

De Satisfactione ſecundùm ſe.

Ar. 1. *AN poſſit homo Deo ſatisfacere prò peccatis?* 317
Ar. 2. *Solvuntur fundamenta cõtraria.* 325
Ar. 3. *An poſſit Deo ſatisfieri per omne opus pænale, quod neceſſariò à Deo patimur?* 329

Ar.

Digitized by Google

Ar. 4. *Soluuntur argumenta contraria.* 338
Ar. 5. *An poſſit Deo ſatisfieri per ſolos actus internos?* 341
Ar. 6. *An poſſit ſatisfieri prò uno peccato, & non prò aliјs?* 344
Ar. 7. *An ſatisfactio facta in peccato mortali, iuuet ad minuendas pœnas æternas, vel temporales?* 352
Ar. 8. *Soluuntur argumenta contraria.* 358
Ar. 9. *An poſſit unus prò alio ſatisfacere?* 374.

DISPVTATIO X.

De Satisfactione Sacramentali.

Ar. 1. *AN teneatur ſacerdos imponere pœnitentiam abſoluendis?* 384
Ar. 2. *An teneatur pœnitens pœnitentiam ſibi impoſitam acceptare?* 392
Ar. 3. *An poſſit pœnitens acceptatam pœnam non implere, ſaltem quoad partem?* 399
Ar. 4. *An poſſit pœnitens ex ſe pœnitentiam ſibi impoſitam, in aliam commutare?* 408
Ar. 5. *An ſaltem poſſit per eumdem confeſſarium, vel per alium, etiam extra ſacramentum commutari?* 410
Ar. 6. *An pœnitentia debeat expleri in ſtatu gratiæ? Et an poſſit imponi quælibet pœnitentia?* 417
Ar. 7. *An ſatisfactio facta in peccato mortali, recedente fictione, habeat ſuum effectum?* 425

DIS-

DISPVTATIO XI.

De Abſolutione.

Ar. 1. AN abſolutio ſacramentalis debeat fieri per hæc verba, ego te abſoluo à peccatis tuis? 431
Ar. 2. An omnia, quæ adhiberi ſolent in abſolutione, ſint de eius eſſentia? Et an poſſit fieri aliqua additio, vel mutatio? 439
Ar. 3. An poſſit idem ſimul plures abſoluere, vel à pluribus ſimul abſolui? 445
Ar. 4. An poſſit tradi abſolutio conditionata? 449
Ar. 5. An poſſit tradi abſolutio abſenti, per litteras, aut internuncium? 453

DISPVTATIO XII.

De Miniſtro Pœnitentiæ.

Ar. 1. AN ſolus ſacerdos ſit miniſter huius ſacramenti? 461
Ar. 2. Soluuntur obiecta. 467
Ar. 3. An omnes ſacerdotes poſſint abſoluere? Vbi an, & quomodo requiratur approbatio Epiſcopi? 471
Ar. 4. An ad valorem abſolutionis requiratur iuriſdictio in abſoluente? Et quid illa ſit. 480
Ar. 5. An ſit neceſſarium confiteri proprio confeſſario? 488
Ar. 6. An iniuſtè reprobatus poſſit abſoluere? 495

Digitized by Google

Ar. 7. *Solvuntur obiecta, & examinantur decreta Tridentini, & Alexandri Septimi.* 503
Ar. 8. *An poſſit Epiſcopus approbatum reprobare?* 512
Ar. 9. *An poſſit Epiſcopus approbare Regularem ad tempus, vel beneplacitum, & limitatè?* 520
Ar. 10. *An requirantur in miniſtro probitas, intentio, & ſcientia ad valorem abſolutionis?* 524
Ar. 11. *An debeat confeſſarius ſequi opinionem pœnitentis, quam ipſe putat improbabilem, vel minùs probabilem?* 531
Ar. 12. *An poſſit abſoluere complices ſui criminis?* 535
Ar. 13. *Ad quid teneatur ſacerdos, qui errauit in ſacramento penitentiæ.* 539

DISPVTATIO XIII.

De Sigillo Confeſſionis.

Ar. 1. *AN ſemper, & in omni caſu obliget hoc ſigillum?* 547
Ar. 2. *An ſigillum obliget ſolos confeſſarios?* 551
Ar. 3. *An omnia audita in confeſſione maneant ſub ſigillo?* 555
Ar. 4. *An poſſit confeſſarius licitè negare, ſe audiſſe in confeſſione peccata, quæ verè audiuit?* 561
Ar. 5. *An poſſit confeſſarius uti notitia ha-* *bita*

Digitized by Google

bita per confeſſionem? 567
Ar. 6. An ſaltem poſſit illa uti de licentia penitentis? 575

DISPVTATIO XIV.

De Penitentibus.

Ar. 1. AN omnes obligentur ad ſacramentum penitentiæ? Vbi de pueris, & iuſtis. 582
Ar. 2. An teneatur penitens ſemper facere integram confeſſionem? 589
Ar. 3. An poſſit abſolui incipiens confeſſionem, dicendo ſe eſſe peccatorem in genere, & deinde morbo correptus nullum poſſit fateri peccatum in particulari? 593
Ar. 4. An poſſit abſolui qui ſolùm petijt confeſſionem, vel præbuit contritionis indicia confeſſario præſenti? 599
Ar. 5. An poſſit abſolui à ſacerdote præſente, qui in eius abſentia, petijt confeſſionem, & præbuit ſigna contritionis? 604
Ar. 6. An debeant manifeſtari complices, ad ſeruandam integritatem confeſſionis? 611

DISPVTATIO XV.

De Effectibus Penitentiæ.

Ar. 1. AN hoc ſacramentum poſſit delere omne peccatum? 617
Ar. 2. An remiſſio culpæ trahat ſemper remiſ-

Digitized by Google

miſſionem pœnæ? 624
Ar. 3. *Solvuntur obiecta hæreticorum.* 630
Ar. 4. *An ſit neceſſaria pœnitentia, ad delenda venialia?* 634
Ar. 5. *Solvuntur alia argumenta, ubi oſtenditur quomodo venialia tollantur, vel puniantur in alia vita.* 640
Ar. 6. *An poſſit per ſacramentum remitti unum peccatum ſine aliis?* 644
Ar. 7. *An poſſit hoc ſacramentum eſſe validum, ſed informe?* 650
Ar. 8. *Solvuntur reliqua argumenta.* 660

DISPVTATIO XVI.

De Reditu Peccatorum.

Ar. 1. *AN peccata dimiſſa per pœnitentiam, iterum redeant, quoad maculam, per nouam culpam?* 670
Ar. 2. *Solvuntur obiecta.* 676

DISPVTATIO XVII.

De Reuiuiſcentiæ meritorum.

Ar. 1. *AN merita peccato mortificata, per pœnitentiam reuiuiſcant?* 684
Ar. 2. *Solvuntur obiecta.* 688
Ar. 3. *An merita, quæ reuiuiſcunt per pœnitentiam, recuperent eamdem gratiam?* 693
Ar. 4. *Reiiciuntur aliorum opiniones, & ſolvuntur obiecta.* 699

Digitized by Google

Mag. F. Fulgentius Trauallonì à M. Elparo Georginas totius Ordinis FF. Erem. S. P. N. Aug.

PRIOR GENERALIS.

CVm Opus, quod inſcribitur: *Tractatus de Sacramento Pœnitentiæ* à Reu. P.F. Petro de Comitibus noſtri eiuſdem Ord. Sac. Theologiæ Mag. Patauini Collegij Regente, per viros à nobis deputatos recognitum, probatum, publicaque luce dignum habitum ſit, præſentium tenore, noſtrique muneris auctoritate, facultatem ipſum imprimendi concedimus, & impertimur.

Dat. Romæ die 24. Auguſti 1686.

Frater Fulgentius Trauallonì Prior Generalis Ind.

Noſtri muneris affixo Sig.

Reg. lib. 2.

Noi

Digitized by Google

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquiſitore, nel libro intitolato, *Tractàtus de Sacramento Pœnitentiæ, Auctore F. Petro de Comitibus Romano Ord. Erem. S. Aug.* non v'eſſer coſa alcuna contro la S. Fede Catholica, e parimenti per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza à Pietro Maria Frambotto di poterlo ſtampare, oſſeruando gl'ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padoua &c.

Venezia li 26. Luglio 1686.

(
(Nicolò Venier Proc. Ref.
(Girol. Gradenigo Pr. Ref.

Gio. Battiſta Nicoloſi Segr.

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 71. Comink.	*Conink*
93. Mutciplex.	*Multiplex*
137. Quam.	*Quem*
148. Pęaitentiam	*Pęnitentiam*
185. Sępe occidit	*Sæpe accidit*
ibid. Non accidat	*Non occidat*

Pag. 192. Deſunt hæc verba, *Ad 2. Nego minorē, cùm in loco cit. excæperimus dubietatem facti quoad ſubſtantiam, quæ ſola poſſet infringere hanc doctrinam.*

243 Cum effectu	*Cum affectu*
284 Qui amet	*Qui amat*
303 Prohibetur cõfeſſio	*Prohibetur abſolutio*
315 Actuãdi actuãdi	*Debet unũ deleri*
317 Nullã remanere	*Nullũ remanere*
329 in fine, Nec liberè ſatisfacere	*Nec ſatisfacere, niſi liberè.*
333 Satisfactiorium	*Satisfactorium*
337 Etiamſi nõ operemur	*Non operemur.*
Ibid. Digna premit	*Digna pręmio*
352 Purgatoriæ	*Purgatorij*

371 Debet corrigi numerus, qui anteuertit decem paginas, retento tamen ordine materiarum.

390 Quam à vinculis	*Quem*
391 Imponere	*importare*
401 Aliàs dimittis	*aliàs dimiſſis*

TRACTATVS DE PÆNITENTIA.

VNiuerſam hanc materiam vtiliſſimam, & neceſſariam in plures diſputationes diuidimus, in quarum prima agemus de pœnitentia ut virtute, & in alijs de pœnitentia ut Sacramento. Priuſquàm autem incipiamus, aduertendum eſt, pœnitentiam dici à verbo *pęnitet*, quod ſignificat dolorem, & retractationem actuum antecedentium, per quaſi tenentiam pęnæ, qua cenſeantur digni tales actus. Hæc autem pęna, vel eſt formaliter ipſe dolor, quem ſentit pęnitens, quòd ita egerit, vel eſt aliqua multa, quam ſibi ſponte infligit, ob tales actus prauos. Prima dicitur contritio, à

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUEL

Digitized by Google

ep. 2. ad Cor. vel poſterius conſilium, ut putauit Eraſmus, vel quodcumque aliud diuerſiſſimum, ut alij hæretici ſomniarunt, penès Bellarminum tom. 2. controu. 4. lib. 1. c. 7. Ergo non videtur congruenter accipi à catholicis, pro dolore, & odio peccatorum, & diſplicentia diuinæ offenſæ.

Concluſio, *Congruentiſſimè à catholicis, tàm Virtus, quàm Sacramentum, ordinata ad peccatorum deletionem, dicitur penitentia*. Eſt communis inter catholicos.

Probatur 1. ex ipſa nominis etymologia. Nam (ut diximus ab initio) penitentia dicta eſt à tenentia pænæ, quam ſponte nobis infligimus, ob motiuum diuinæ offenſionis, quam patratis criminibus prouocauimus. Ergo quia per hanc virtutem concipimus dolorem de peccatis, quo excitamur ad penam ſponte ſubeundam, in illorum vindictam, ut diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciamus, cum firmo propoſito ab illis in poſterum præcauendi, congruentiſſimè dicimur pœnitere, ut docent Auguſtinus lib. de vera, & falſa pæn. c. 19. & Iſidorus lib. 3. etym. c. vlt. & cum his communiter omnes alij. In quo obſeruat doctiſſimus Suarius, non quamlibet penam conſtituere hanc virtutem, ſed illam ſolam, quæ ſpontè, & liberè ſubitur, in vindictam patrati ſceleris; nam ſiquis cogatur ad illam, non erit penitens, ſed

puni-

Digitized by Google

punitus. Præterea hæc pęna debet includere propoſitum non peccandi; aliter non erit ex deteſtatione, & odio peccatorum, quæ niſi abhorreantur ut præcauenda, non verè, & ſeriò abhorrentur. Quomodo enim factum diſpliceat, quod placet faciendum? Et ideo Magiſter in 4. d. 14. docet, *pęnitentia eſt virtus, qua mala commiſſa cum emendationis propoſito plangimus, & odimus*. Cui concinunt Greg. homil. 34. in Euang. docens, *pœnitentia eſt peccata præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, & Hyeron. in pſal. 118. *Vera eſt pœnitentia, iugiter fletibus commiſſa diluere, & abluta non iterare*.

2 E ſacris paginis. Et 1. dicitur in actibus Apoſt. c. 20. *teſtificans Iudæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*. 2. Matth. 11. ipſe Chriſtus D. dixit, *ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. Quod idem habetur Matth. 12, Lucæ 10. & 11. & in ſexcentis alijs locis noui teſtamenti. 3. Iob ultimo dicitur, *Ago pęnitentiam in fauilla, & cinere*. 4. Sap. 5. *pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*. 5. Eccleſ. 2. *Si pœnitentiam non egerit*; & paſſim in veteri teſtamēto inuenitur uſurpatum hoc nomen, ut Ier. 8. Thren. 2.

Ezechiel. 18. Eſdræ 9. & 10. Iudic. 21. Leuit. 5. &c. Sed in talibus locis prò pęnitentia, non ſolùm intellexerunt ſcripturæ mentis emendationem, & erroris reſipiſcentiam, ut garriunt hæretici, ſed etiam ſcelerum deteſtationem, & pęnam ſponte ſibi inflictam à penitente. Ergo ductu ſacrorum codicum, verbum *pænitentia* congruenter ſumitur à catholicis, ad ſignificandam virtutem, & Sacramentum pęnitentiæ. Probatur minor ex Ionæ 3. ubi deſcribitur Niniuitarum pęnitentia, quam Chriſtus Dominus toties laudauit, his verbis, *& crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis, à maiore vſque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniuæ, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Et infra iuſſit Rex omnibus Niniuitis, *& operiantur ſaccis, & clament ad Dominum, & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate &c.* Et ex Ioelis 2. ubi dicitur, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu,* & *& ſcindite corda veſtra &c.* Ex quibus euidenter deducitur, pęnitentiam veram eſſe dolorem de peccatis, emendationem vitæ, confeſſionem ſcelerum, & ſpontaneam mulctam in ſatisfactionem delictorum, quæ ſunt partes catholicæ pęnitentiæ.

3 Probatur e Sanctis Patribus, quorum

rum anteſignanum exhibeo Auguſtinum; dicentem ſer. 3. in natiu. Dom. ſub init. *pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei, quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipſum te cruciet in mente.* Cui concinunt Gregorius hom. 34. in Euang. Cyprianus ſerm. de lapſis, & infiniti alij, quos recenſent hic Suar. Valentia, Bellarminus, Gonettus, Eſparſa, Salmaticenſes, & ferè omnes agentes de hac materia.

4. Ex ipſis Ethnicis, tàm poetis, quàm oratoribus, quorum primus ſit Ouid. lib. 1. de Ponto, eleg. 1. ubi ut exprimeret dolorem, quem patiebatur, ex eo, quòd læſiſſet Augustum, canit, *Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo. Cumque ſit exilium, magis eſt mihi culpa doloris; eſtque pati pœnam, quàm meruiſſe minus.* Secundus ſit Aulus Gellius, qui lib. 17. noct. Attic. c. 1. explicat quid ſuo tempore pœnitentia ſignificaret, tamquam vocabulum familiare, *pœnitere tum dicere ſolemus, cum quæ ipſi facimus, aut quæ de noſtra voluntate, noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis poſt incipiunt diſplicere, ſententiamque in his noſtram demutamus.* Et Tullius occupet locum tertium, qui or. prò Cælio inquit, *id numquam tam acerbè feret, ut eum pœniteat*; ac ſi dicat, non quamlibet doloris

Digitized by Google

acerbitatem ſufficere, ad pœnitentiam facti, ſed requiri ſummam, & vehementem Ergo non ſolum e ſacris litteris, & Patribus, ſed ex ipſa priſca nominis etymologia, & uſurpatione latinorum ſcriptorum, pęnitentia ſumitur prò actu dolentis animi de malefactis, & à ſe exigentis pęnam, in eorum deteſtationem, & pręcautionem, quæ ſunt propria virtutis pęnitentiæ.

Vnde patet, quàm immeritò fuerit hoc nomen ab hæreticis calumniatum. Aduerſùs autem nugas, ſeu deliramenta Lutheri, Bezæ, aliorumque hæreticorum, quæ initio recenſuimus, unum fulmina torqueat Tridentinum, quod ſeſſ. 14. nouem capitibus oſtendit, pęnitentiam includere deteſtationem peccatorum, emendationem vitæ, ſcelerum confeſſionem, & ſatisfactionem, & eſſe Sacramentum diſtinctum à Baptiſmo, & alijs, à Chriſto Domino inſtitutum, in remiſſionem eorum peccatorum, quæ patrantur poſt Baptiſmum, ut infra probabimus ſuo loco.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Pœnitentia ſit virtus ſimpliciter?

VIdetur non eſſe, ut contendunt hæretici, quos retulimus in alio articulo, quibus, quoad hoc, non diſſentiunt aliqui ex catholicis. Primò quia pęnitentia

tia vel eſt Sacramentum, vel pars Sacramenti. Nullum autem Sacramentum eſt virtus, quod idem valet de partibus. Ergo neque pęnitentia.

2 Si pęnitentia eſſet virtus, eius exercitium eſſet ex ſe meritorium. Ergo non conferret gratiam ex opere operato, ſed ex opere operantis, quod ut falſum reijcitur ab omnibus.

3 Actus pęnitentiæ poſſunt fieri ex vanagloria, vel ex alio pravo motivo. Ergo non ſunt actus virtutis.

4 Dolere de præterito eſt actus ſtultitiæ, quia non poteſt præteritum non fuiſſe. Nulla autem ſtultitia eſt virtus, ut habetur ex 4. ethic. Ergo cùm pęnitentia ſit dolor de præterito, eſt ſtultitia, & non virtus. Confirmatur, nulla virtus fertur ad impoſſibile. Sed pęnitentia fertur ad impoſſibile, quia ita deteſtatur peccatum, ut vellet, illud non extitiſſe, & conatur facere, ut non fuerit. Ergo non eſt virtus.

5. Ideo per Philoſophum 4. ethic. verecundia non eſt virtus, quia præſupponit peccatum. Sed etiam pœnitentia præſupponit peccatum. Ergo non eſt virtus. Confirmatur, erubeſcentia ibid. à Phil. vocatur virtus, eò quia non ſupponat, ſed fugiat peccati turpitudinem. Ergo ex oppoſita ratione, quod ſupponit peccatum, non eſt virtus.

6. Pœnitentia non eſt diſpoſitio perfe-

Digitized by Google

cti ad optimum, eò quia ſupponat iacturam innocentiæ, quæ eſt magna pars humanæ perfectionis. Ergo non eſt virtus.

7. Habitus amativus peccati non eſt virtus, ſed eſt eſſentialiter pravus. Sed pœnitentia, quatenus eſt eſſentialiter deletiua peccati, debet amare, illud præextitiſſe, alioquin neque poſſet illud delere, neque ipſa exiſtere. Ergo non eſt virtus, ſed prauitas.

8. Nulla virtus exigit, ut ipſam habens fuerit ſub ſuo contrario. Sed pœnitentia exigit, pœnitentem fuiſſe ſub ſuo contrario, nempe ſub peccato. Ergo non eſt virtus.

9. In Chriſto D. fuit omnis virtus. Sed habitus pœnitentiæ non potuit eſſe in Chriſto D., eò quia vel præſupponat peccatum, vel ſaltem potentiam ad peccandum. Ergo non eſt virtus.

Concluſio, *Pœnitentia eſt ſimpliciter virtus*. Ita D. Tho. 3. p. q. 85. ar. 1; in quo diſtinguit duplicem pœnitentiam, vnam videlicèt conſiſtentem in appetitu ſenſitiuo, & alteram conſiſtentem in actu voluntatis deteſtatiuo ſceleris patrati. Primam ait non eſſe virtutem, ſed paſſionem, ſecundam verò ait eſſe virtutem ſimpliciter, & de hac loquimur. Cum D. Thom. ſentiunt communiter omnes alij.

Probatur 1. Quia pœnitentia eſt habitus electivus, ſecundùm rectam rationem;

ſpe-

ſpectat enim ad rectam rationem dolor de malo culpæ, cum intentione illud remouendi. Sed huiuſmodi habitus eſt virtus ex 2. Ethic. Ergo pęnitentia eſt virtus. Deinde, omnis actus diſponens ad optimum, eſt virtus, ut diximus in Logicis. Sed actus pœnitentiæ diſponit ad optimum, quia diſponit peccatorem ad ſtatum diuinæ amicitiæ, & adoptionis, per iuſtificationem, quod eſt eius optimum. Ergo etiam quoad actum eſt ſimpliciter virtus. An autem ſit virtus quædam ſpecialis, videbimus infra.

Ad 1. Reſpondeo primò cum D. Thō. hic q. 85. ar. 1. negando minorem. Inquantum enim alia ſacramenta non ſunt virtutes, inquantum non verſantur circa actus humanos, ſicut verſatur pœnitentia, quæ reſpicit actiones humanas prauas, ut materiam remotam. Reſpondeo 2. cum Argentinate in 4. d. 14. ar. 1. ad 1. poſſe conſiderari pœnitentiam, vel vt præambulam ad ſacramentum, vel vt partem ſacramenti. Primo modo eſt virtus, non tamen eſt ſacramentum. Tunc enim datur virtus pœnitentiæ quoad actum, quando peccator antecedenter ad confeſſionem, conteritur de peccatis, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. In tali autem ſtatu, non datur ſacramentum, niſi radicaliter, & inchoatiuè, neque datur formaliter, niſi accedant confeſſio, & ab-

ſolutio. Sicut ergo baptiſmus flaminis præuius in adulto ad baptiſmum fluminis, non eſt formaliter baptiſmus, ſed ſolùm inchoatiuè, & diſpoſitiuè; ita virtus pœnitentiæ præuia ad ſacramentum, non eſt formaliter ſacramentum. Si verò conſideretur ſecundo modo, adhùc retinet rationem virtutis, licèt ipſum ſacramentum non ſit virtus, cùm non ſit abſurdum, partem eſſe virtutem, & non totum. Siquidem poteſt ſacerdos, vel ex motiuo charitatis, vel ex motiuo iuſtitiæ, quia ad id tenetur ex officio, tradere abſolutionem pœnitentibus. In primo caſu abſolutio eſt actus charitatis, & in ſecundo iuſtitiæ, licèt ſit pars ſacramenti. Ergo ratio virtutis non repugnat ſacramento, ſecundùm partes ſeorſim.

Ad 2. Nego conſequentiam. Quamuis enim conferat gratiam ex opere operantis, non tamen ut eſt ſacramentum, amittit, conferre gratiam, etiam ex opere operato, cum hoc vno diſcrimine, quod vt actus meritorius, in eodem inſtanti, in quo ſit, conferat gratiam, ſed ut ſacramentum, ſolum illo perfecto.

Ad 3. Diſtinguo antecedens, actus pęnitentiæ materialiter ſumpti, poſſunt fieri ex prauo fine, concedo: formaliter ſumpti, nego. Et diſtinguo conſequens, actus pęnitentiæ materialiter ſumpti, non ſunt virtutes, concedo: formaliter ſumpti, nego

go conſequentiam. Quamuis enim poſſit cadere vanagloria in confeſſionem ſcelerum, ut eſt purè confeſſio vocalis, non tamen quatenus eſt ſacramentalis, hoc eſt ut prouenit ab animo verè contrito, & humiliato. Ergo non poteſt intrinſecè vitiari, ut eſt formaliter pars ſacramenti, & ideo ſemper eſt virtus.

Ad 4. Dico, intentum pęnitentiæ non eſſe, tollere peccatum à differentia temporis præteriti, faciendo quod non fuerit, quod eſt impoſſibile, ſed tollerę diuinam offenſam ex illo conſequentem, & actu perſeuerantem, per deteſtationem, & confeſſionem peccati, quod eſt poſſibile, & proprium actus virtutis. Vnde patet reſponſio ad confirmationem. Siquidem pœnitentia conatur ſolùm, nè peccatum habitualiter perſeueret, quoad effectus noxios, non autem quòd ipſum quoad eſſe non prætererit. Et ideo non odit peccatum, ut tale materialiter, ſed ut formaliter offenſam Dei, ſub qua ratione, quia moraliter durat, ideo eſt aliquid per pęnitentiam amouibile.

Dices, poteſt dari aliquod peccatum veniale, abſque ulla aduertentia Dei. Hoc autem non poteſt odio haberi à pęnitentia, ut offenſa Dei. Ergo odio habetur ut formaliter tale.

Nego maiorem, quia omne peccatum, licèt leuiſſimum, eſt contra inclinationem natu-

naturæ rationalis, qua tendit ad Deum, tamquam ad ultimum finem, qui eſt prima regula omnis bonitatis. Sed hæc inclinatio, utpote quæ dictat bonum ſequendum, & malum fugiendum, neceſſariò inuoluit, ſaltem implicitè, aliquam cognitionem Dei, ut ultimi finis. Ergo omne peccatum eſt aliqualis offenſa Dei. Præterquamquòd licèt admittatur, poſſe dari peccatum purè philoſophicum, abſque ulla cognitione Dei, adhùc tamen illud eſſet offenſa Dei, ſaltem mediatè, quatenus eſſet offenſa proximi, qui cùm ſit eleuatus ad amicitiam, & filiationem Dei, non poteſt offendi, Deo inoffenſo. Sicut enim qui offendit filium, offendit patrem, ita qui offendit proximum, offendit Deum, ut eius patrem adoptivum.

Ad 5. Nego maiorem. Et dico, rationem cur verecundia non ſit virtus, non eſſe quia præſupponit peccatum, ſed quia illud non tollit, ſed ſolùm tegit, fugiendo eius publicationem. Pęnitentia verò illud tollit, modo ſupra explicato. Ergo nō eſt par ratio. Præterea verecundia non eſt habitus, ſed pura paſſio, ſeu motus indeliberatus appetitus, tàm ſenſitiui, quàm rationalis, qui excitatur ex apprehenſione periculi infamationis, & iacturę bonæ exiſtimationis, ac honoris, propter turpitudinem ſceleris patrati, unde tranſmittuntur ſpiritus ſanguinei in faciem, & alias

par-

partes exteriores, ut velo quaſi facto, occultetur infamia. Idem proportionaliter dico de pœnitentia, quæ ut eſt quædam paſſio appetitus ſenſitiui, non eſt virtus, ſed ſolùm eſt virtus, quatenus eſt in voluntate, cum electione ſecundùm rectam rationem, ut docet hic D. Tho. q. 85. ar. 1. ad 1.

Ad 6. Nego antecedens, quia pœnitentia perficit pœnitentem, & facit bonum eius opus, & meritorium. Et ideo eſt bona qualitas mentis, qua mediante, homo efficitur bonus. Neque obſtat quòd pœnitens careat innocentia naturali, conſiſtente in carentia peccati, quia talem carentiam compenſat bono multò maiori, cuiuſmodi eſt acquiſitio gratiæ ſanctificantis, per quam pœnitens eleuatur ad ordinem ſupernaturalem diuinæ adoptionis.

Dices, eſſet melius ſupponere innocentiam, quàm eius iacturam quomodocumque compenſatam. Ergo pœnitentia eſt actus imperfecti, adeòque non eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, quod eſt de eſſentia virtutis.

Nego antecedens. Si enim in ſtatu innocentiæ poſſet eſſe bonum pœnitentiæ, hoc eſſet multò maius, quàm bonum innocentiæ, docente Ambroſio in ſer. cathedræ S. Petri, *fidelior factus eſt Petrus, poſtquàm fidem ſe perdidiſſe defleuit*; *atque adeo*

adeo maiorem gratiam reperit, quàm amiſit. Ergo quia amiſit gratiam innocentiæ, & habuit gratiam pœnitentiæ, hæc eſt major, quàm ſit illa. Neque obſtat quòd bonum innocentis ſit Deus numquam offenſus, pœnitentis autem ſit Deus placatus, quia vel conſiderantur actus diuinæ indignationis, & placationis, ut ſunt formaliter actus interni Dei, vel quoad effectus? Primo modo quia ſunt idem cùm eadem Diuina Eſſentia, neque poſſunt reddere nobis Deum ut finem meliorem, neque ut peiorem, cùm Deus in ſe ſit ſemper idem & optimus. Secundo modo multò maius gaudium reſultat ex Deo placato, quàm ex Deo numquam offenſo, ratione maioris boni prouenientis pœnitenti ex tali placatione, ut teſtatur oraculum veritatis Lucæ 15. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in Cęlo ſuper uno peccatore pęnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pænitentia*. Ergo finis hominis innocentis non eſt melior fine pœnitentis.

Ad 7. Nego minorem. Sicut enim triumphans ex hoſtibus, non amat hoſtes, licèt ſine hoſtibus triumphus non reportetur; ita pœnitentia non amat peccatum, de quo triumphat, immò ideo de illo triumphat, quia illud odit ut inimicum. Non ergo pœnitentia amat, præextitiſſe peccatum, ſed poſito quòd illud præextiterit,

terit,

Digitized by Google

terit, amat de illo victoriam, & triumphum. Neque obſtat quòd actus pœnitendi non eſſet, ſi peccatum non præextitiſſet. Sicut enim poteſt amari cauſa, & odio haberi aliquis eius effectus neceſſarius, ut eſt mors innocentis in volita arcis demolitione; ita poteſt amari effectus, & odio haberi eius cauſa neceſſaria; ſiquidem omnes amant effectus reſultantes ex morte Christi, ipſam tamen mortem non amant, & ideo oderunt crucifixores. Præterea amantur lucra prouenientia ex tentationibus Dæmonis, non tamen amantur tentatores. Quia ergo pœnitentia non eſt purus amor deletionis peccatorum, ſed eſt etiam odium eorumdem, ideo amat effectum ex illis prouenientem, & non cauſam. Multò minus obſtat quòd pœnitentia connectatur eſſentialiter cum peccato; ſiquidem non amat connexionem ſui cum peccato, ſed ſe ipſam ex ſuppoſitione peccati, ſicut mercator in mari fluctibus agitatus, amat euaſionem naufragij, ex mercium proiectione, non tamen amat ipſam proiectionem, & multò minùs periculum naufragij, cum quo connectitur in tali ſtatu.

Ad 8. quod tanti fit à Caietano, ut q. 85. ar. 1. apertè fateatur, ab illo conuinci ſuum intellectum, Primò nego minorem, nam habitus pœnitentiæ eſt etiam in infantibus baptizatis, quamuis non fuerint

ſub

ſub peccato per illum expiando. Deinde nego maiorem. Nam actus reſtitutionis, cùm ſit ex habitu iuſtitiæ commutatiuæ, eſt actus virtutis, quamuis non poſſit eſſe, niſi in eo, qui abſtulit aliena, adeòque fuerit ſub peccato furti. Cùm ergo pœnitentia reducatur ad iuſtitiam commutatiuam, ut eius pars obiectiua, quatenùs videlicet reddit Deo honorem, quem abſtulerat peccatum, neceſſariò ſupponit ablationem diuini honoris, per ipſam reparandi, tamquam per virtutem ſpecialem. Quare major non habet locum, niſi in illis virtutibus, quæ non habent prò obiecto materiali ipſum peccatum, in quo differunt à pœnitentia, quæ cùm ſit inſtituta, tamquam ſecunda tabula, ad liberandos homines à naufragio peccati actualis, utique non poteſt eſſe quoad actum, niſi in eo, qui fuerit ſub peccato, eo modo, quo neque miſericordia, clementia, iuſtitia vindicatiua, & aliæ ſimiles poſſunt reduci ad actum ſecundum, niſi ſupponantur in earum obiectis miſeria, culpa, & reitas. Verum quidem eſt, quòd huiuſmodi obiecta non ſint in ſubiecto, in quo ſunt actus talium virtutum, ſicut eſt obiectum pęnitentiæ. Sed hoc eſt per accidens, quatenus videlicèt huiuſmodi virtutes ſunt ad aliud, non ſolùm ſecundùm rationem obiecti formalis, ſed etiam ſecundùm rationem obiecti materialis, cuiuſmodi non eſt pęnitentia, quæ

non

non eſt ad aliud quoad obiectum materiale, ſed terminatur ad penitentis peccata. Et ideo non eſt iuſtitia vindicatiua, niſi imperfectè, & ſecundùm quid, cùm potiùs reducatur ad commutatiuam, ut videbimus. Ergo non obſtat, quin ſit virtus moralis, quòd eius ſubiectum fuerit ſub eius oppoſito.

Ad 9. Nego minorem, propter rationes infra afferendas, cum agemus de ſubiecto penitentiæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Penitentia ſit virtus ſpecialis?

Videtur non eſſe, ut contendunt. Maior in 4. d. 14. q. 2. dub. 1. Altiſiodorenſis lib. 4. ſummæ trac. 6. q. 3. & alij, quos referunt Albertus, & Bonauentura, quibus videtur accedere Scotus docens, deteſtationem, & odium peccatorum ſpectare, non ſolùm ad penitentiam, ſed etiam ad omnes alias virtutes, quatenus omnis virtus deteſtatur actus ſibi oppoſitos. Fundamenta poſſunt eſſe.

1 Omnis virtus ſpecialis eſt theologica, vel moralis. Sed penitentia neque eſt theologica, quia eius motiuum formale non eſt Deus, vel aliquid à Deo indiſtinctum, ſed eſt expiabilitas peccati, quæ eſt aliquid creatum: neque eſt moralis, quia

quia non eſt inter extrema vitioſa, ratione exceſſus, vel defectus; ſicut enim non datur exceſſus in deletione peccati, ita neque datur defectus, quia cùm peccatum conſiſtat in indiuiſibili, non poteſt deleri minùs, quàm oporteat. Ergo non eſt virtus ſpecialis.

2. Omnis virtus deteſtatur peccatum, ut eſt offenſa Dei. Ergo pęnitentia eſt virtus generalis, vel per modum conditionis, vagantis per omnes virtutes, ut volunt Maior, & Altiſidiorenſis, vel per modum concomitantiæ, ſeu aggregationis, ut propugnat Alenſis.

3. Pęnitentia ſe extendit ab obiecta omnium virtutum. Ergo eſt virtus generalis.

4. Quod tribuitur pœnitentiæ, poteſt fieri à Religione, cuius munus eſt reddere Deo ut offenſo cultum ablatũ ob peccatũ, & ut benefactori, cultum debitum ob ſuſcepta beneficia, ut docet Caietanus. Ergo non eſt ponenda ſpecialis virtus.

5. Eadem iuſtitia, quæ ſeruat ius illæſum, reparat læſum: & eadem temperantia præuenit, quæ tollit intemperantiam. Ergo non debet admitti ſpecialis virtus, cuius munus ſit reparare iacturam innocentiæ, factam per actus oppoſitos huiuſmodi virtutibus.

6 Reſtitutio, ſiue rerum, ſiue famæ, habet ſpecialem difficultatem. Ergo, vel debet

bet admitti ſpecialis virtus, ad illam ſuperandam, vel hæc ſpecialis difficultas non probat ſpecialem virtutem pœnitentiæ.

7. Habitus pœnitentiæ vel eſt ſupernaturalis, & infuſus, vel naturalis, & acquiſitus? Si primum, amittitur per peccatum. Ergo non poteſt peccatorem iuvare, ad illud reparandum. Si ſecundum, ergo non poteſt eſſe vtilis ad actus pœnitentiæ ſalutares, qui niſi procedant à principio ſupernaturali, non ſunt ſufficientes ad tollenda peccata. Ergo fruſtra admittitur ut virtus ſpecialis.

Concluſio, *Pœnitentia eſt virtus quædam ſpecialis, diſtincta ab omnibus alijs, & habet aliquam ſimilitudinem cum iuſtitia vindicatiua, & commutatiua, quarum eſt pars obiectiua.*

Probatur prima pars cum D. Tho. hic q. 85. art. 2. Pœnitentia habet prò obiecto expiationem peccati, per eius deteſtationem, & ſatisfactionem. Sed in hoc inuenitur ſpecialis honeſtas, & difficultas, quæ non poteſt reduci ad ullam aliam virtutē. Ergo debet eſſe proprium alicuius virtutis ſpecialis. Maior patebit infra, cum agemus de eius obiecto. Minor probatur quoad primam partem, habitus oppoſitus habet ſpecialem deordinationem, & malitiam, cùm ſit ſpeciale vitium, ſibi complacere de peccato commiſſo, & velle in illo perſeuerare. Ergo velle ab illo recedere,

re, & dare prò illo ſatisfactionem Deo offenſo, dicit ſpecialem honeſtatem, & difficultatem, ſpectantes ad ſolum habitum pęnitentię, qui proinde eſt virtus ſpecialis.

Probatur ſecunda pars, & primò quòd diſtinguatur à iuſtitia vindicatiua. Primò quia iuſtitia non eſt ad ſe, ſed ad alium; pęnitentia verò non eſt ad alium, ſed punit ipſum pęnitentem, qui eſt ſui punitor, adeoque cauſa, & ſubiectum punitionis. 2. Iuſtitia non tollit peccatum, ſed punit, cooperando eius motioni demeritoriæ; pęnitentia verò illud tollit, & extinguit eius vim demeritoriam. 3. Iuſtitia de ſua ratione formali intrinſeca, non eſt promotiua boni ipſius puniti, cui eſt purè mala, ſed aliorum, quos exemplo puniti auertit à peccatis; pęnitentia verò non eſt promotiua boni aliorum, ſed ipſius pęnitentis. Ergo inter ſe diſtinguuntur.

Probo diſtinctionem eiuſdem à iuſtitia commutatiua, quia hæc ſeruat æqualitatem rei cum re, ſecundum menſuram, & proportionem arithmeticam, ita ut tantum reddat, quantum accipit, ut probaui in tract. de Deo vno diſp. 18. art. 5. Sed hæc proportio ſeruari non poteſt, inter ius diuinum læſum per peccatum, & ſatisfactionem præſtandam à pęnitentia, quia læſio iuris diuini dicit quamdam infinitatem (ut ſuo loco probabimus) & ſatisfactio quantumuis creſcat, ſemper eſt finita.

Ergo

Digitized by Google

Ergo non poteſt pęnitentia eſſe iuſtitia commutatiua.

Neque poteſt eſſe diſtributiua, primò quia hæc eſt in principe, ſeu ſuperiore ad inferiorem; pęnitentia verò eſt in homine ad Deum, cuius eſt ſervus. Deinde diſtributiua non oritur ex debito alicuius ablati, ſicut pęnitentia, quæ oritur ex debito rependendi Deo rationem ultimi finis, quam ab illo abſtulit peccatum, ſaltem affectiuè. Demum diſtributiua ſeruat proportionem geometricam, per reſpectum ad alios, quod non facit pęnitentia, quæ punit peccatum in ſe, ut eſt offenſa Dei. Ergo diſtinguuntur.

Probo demum diſtinctionem pęnitentiæ à charitate, Religione, conſtantia, & omnibus alijs, ſiue theologicis, ſiue moralibus. Primò quia operari, & eniti prò viribus ad deſtructionem peccati præteriti, inquantum eſt offenſa Dei, eſt actus de ſua ratione formali intrinſeca honeſtus, & laudabilis. Cùm ergo e ſpeciali actus honeſtate, & laudabilitate, arguatur ſpecialis virtutis habitus, hic actus debet prouenire ab aliquo habitu ſpecialis virtutis. Sed hic non poteſt eſſe alius, quàm pęnitentiæ, quia charitas, religio, & omnes alij habitus, vel non reſpiciunt actus præteritos, vel reſpiciunt ſolos actus bonos, & nullus reſpicit peccatum, ut eſt formaliter offenſa Dei, expiabilis per ſatisfactio-

Digitized by Google

ctionem ſpontaneam ipſius peccatoris. Ergo eſt habitus pęnitentiæ, ut formaliter diſtinctus ab omnibus alijs. Deinde obiectum formale pęnitentiæ eſt bonum delectionis peccati, ut eſt offenſa Dei. Sed hoc non reſpicitur ab ullo alio habitu. Ergo à ſolo habitu pęnitentiæ, ut formaliter ab alijs diſtincto.

Probo poſtremam partem concluſionis. Et primò quòd pęnitentia aſſimiletur iuſtitiæ commutatiuæ, quia pęnitentia, ut eſt emendatio diuinæ offenſæ, non ſolùm dicit ceſſationem ab illa, ſed præterea dicit quamdam compenſationem, ſponte oblatam Deo à pęnitente. Sed hęc videtur eſſe quędam commutatio (ut docet hic D. Tho. ar. 3.) eò quia ſicut Deus ex parte ſua largitur veniam, ita & pęnitens reddit compenſationem doloris, & deteſtationis de offenſa. Ergo vidētur aſſimilari. Probo de aſsimilatione vindicatiuę, quia ſicut hęc delictis infligit pęnas, ita & pęnitentia. Quia tamen non ſunt ad alterum huiuſmodi pęnę, ideo non conſtituūt veram vindicatiuam, ſed ſolùm ſimilitudinariam, & adſummum obiectiuam, quatenus pęnitētia participat aliquo modo de obiecto materiali talium ſpecierum iuſtitiæ. Vnde ſupra diximus, illam reduci ad iuſtitiam, non quidem ut partem poteſtatiuam, ſeu actualem, ſed ſolùm ut partem obiectiuam. Et ideo D. Thomas

in

in dicto ar. 3. docet in corp. loquens de emendatione, & compenſatione, quæ ſunt propriæ pęnitentiæ, *Vtrumque autem ad materiam iuſtitiæ pertinet, quia utrumque eſt commutatio quædam*, quaſi dicat, has virtutes non habere communem, niſi materiam, ſecundùm quam pęnitentia dicitur pars obiectiua iuſtitiæ, ſicut in tract. de prædeſt. diſput. 1. ar. 6. diximus cum eodem, prædeſtinationem eſſe partem obiectiuam, & non ſubiectiuam prouidentiæ.

ARTICVLVS IV.

Solvuntur obiecta.

AD 1. Nego minorem quoad ſecundam partem. Et dico primò cum Argentina in 4. d. 14. q. 1. ar. 1. ad 5. extrema vitioſa pœnitentiæ, eſſe furorem ex una parte, ducentem ad deſperationem, quali furore percitus Cain, erupit in illa verba, *maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, ut dicitur Geneſ. 4., & impœnitentiam finalem ex alia, cui ſemper annexa eſt temeraria præſumptio, qualis fuit illa Pharaonis, de quo dicitur Exodi 7. *Induratum eſt cor Pharaonis*. Dico 2. quod ſicut iuſtitia non habet niſi unum extremum vitioſum, nempe iniuſtitiam, & tamen eſt virtus moralis, licèt vni ſoli vitio contrarietur; ita & pœnitentia eſt virtus mora-

lis, licèt contrarietur ſoli impœnitentiæ Et ratio eſt, quia (ut obſeruat Eſparſa q 75. ad 6. ar. 2.) in eodem vitio poſſun conſiderari duo extrema vitioſa, nam ea dem iniuſtitia poteſt conſiderari, ſecundùm exceſſum reſpectu unius,& defectum reſpectu alterius, ut in vindicatiua, ſi plus pęnæ rependat uni, quàm mereatur delictum, vel minùs alteri, quàm mereatur Ergo nè iuſtitia deuiet ad iniuſtitiam, debet vitare exceſſum, & defectum, quibus committitur iniuſtitia, adeòque debet ſeruare rectam mediocritatem, quod eſt proprium virtutis moralis. Idem proportionaliter dico de pęnitentia, quæ aſſimilatur iuſtitiæ, ut dictum eſt. Ad hoc enim, ut ſit vera pęnitentia, debet vitare exceſſum, quo nimis indulgeat peccatori, & defectum, nè minùs colat Deum, quàm par eſt, quod licèt non ſit habere ex parte obiecti exceſſum, & defectum, tamquam extrema vitioſa, quorum media ipſa conſiſtat, eſt tamen illa habere, ratione alicuius circumſtantię concomitantis;& ideo non ponit æqualitatem ſimpliciter inter Deum, & peccatorem, ſed ſolùm ſecundùm quid. Dico 3. quadrupliciter poſſe haberi medium, nempe obiectiuè, eſſentialiter, ex natura rei, & comparatiuè, ut fusè explicaui in lib. ethic. diſp. 1. ar. 1. ad 5. Quia ergo pęnitentia habet medium ex natura rei, & comparatiuè, quatenus

aſſimi-

ſimilatur iuſtitiæ, cui fusè probaui in lo-
co citato conuenire hæc media, ideo iure
tenet locum inter virtutes morales.

Ad 2. Nego antecedens, & dico, ad ſolam penitentiam ſpectare deteſtationem peccati præteriti, inquantum eſt offenſa Dei, ut docet Angelicus hic q. 85. ar. 2. Aliæ ergo virtutes deteſtantur peccatum ſolum ſub rationibus ſpecialibus, ſub quibus ſibi aduerſatur. Nam e. g. temperantia odit intemperantiam, non quatenus Deum offendit, ſed quatenus tollit bonum temperantiæ: fortitudo odit audaciam, & puſillanimitatem, quatenus tollunt mediocritatem in adeundis periculis: & caſtitas odit adulterium, quatenus tollit bonum matrimonij, & ſic de ſingulis alijs. Ergo ſola penitentia reſpicit in his omnibus puram rationem diuinæ offenſæ, ut formaliter talem, quatenus expiabilem per dolorem, confeſſionem, & ſatisfactionem, & per conſequens non eſt virtus generalis, ratione motiui, ſeu obiecti formalis. Sed neque eſt generalis aggregatione omnium virtutum, quia ut talis, non poſſet unico actu omnia ſimul peccata deteſtari, ſed peccatum iniuſtitiæ deberet deteſtari per actum iuſtitiæ, & peccatum intemperantiæ per actum temperantiæ, & ſic de alijs, quod repugnat, non ſolùm experientiæ, ſed communi aſſertioni theologorum. Ergo eſt ſpecialis.

Ad 3. Diſtinguo antecedens, ſe extendit ſub propria formalitate ſingularum virtutum, nego: ſub una, & propria ipſius formalitate, concedo antecedens, & nego conſequentiam, cuius falſitas patet ex eo quòd pœnitentia feratur ad obiectum, ſub una tantum formalitate diuinæ offenſæ, ut expiabilis per congruentem ſatisfactionem, quæ nulli alij conuenit; adeoque ex unitate motiui, infertur eius unitas ſpecialis.

Ad 4. Nego antecedens. Nam neque religio, neque ulla alia virtus poteſt habere prò fine expiationem peccati, & reparationem diuinæ amicitiæ, cum augmento ipſius, ſicut habet pœnitentia, fundata in ſpe veniæ, modo ſupra explicato.

Ad 5. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia tàm conſeruatio, quàm reparatio iuris habent eumdem finem, nempe æqualitatem. Quod idem dico de temperantia, quæ ſiue præueniat, ſiue ſequatur intemperantiam, ſemper reſpicit moderationem ut finem. Hoc non accidit in virtutibus conſeruantibus innocentiam, reſpectu illam reparantis, quia habent diuerſos fines. Ergo nulla eſt paritas.

Ad 6. Dico, in actu reſtitutionis duplicem inueniri difficultatem, unam prouenientem ex actibus oppoſitis, qui remittunt habitum iuſtitiæ, ratione cuius remiſſius influit ad talem actum: & alteram

pro-

prouenientem ex obiecto, eò quia nulla appareat lucri ſpes. Quoad primam concedo, exinde probari ſpecialem virtutem, non tamen diſtinctam à pœnitentia, cuius eſt emendare peccatum, & reparare diminutionem, quam per illud paſſæ ſunt cæteræ virtutes. Quoad ſecundam nego ſequelam, quia cùm hæc reſtitutio reſpiciat æqualitatem, non dicit difficultatem formaliter diuerſam, & ex obiecto formali, à difficultate conſeruandi ius alienum, ſed ſolùm dicit difficultatem materialiter diuerſam, quæ non requirit ſpecialem virtutem, niſi forte illam penetremus cum pœnitentia.

Ad 7. Nego conſequentiam. Primò quia quamuis pereat habitus pœnitentiæ, ex ſuppoſitione quod ſit ſupernaturalis, & infuſus, adeoque non poſſit eſſe utilis ad expulſionem peccati, à quo ipſe fuit expulſus, tamen poteſt eſſe utilis ad expulſionem venialium, à quibus ipſe non expellitur, & ad ſatisfaciendum prò mortali, à quo fuit expulſus, poſito quòd redeat per iuſtificationem factam per ſacramentum pœnitentiæ, qua mediante, cum collatione gratiæ habitualis, redeunt omnes habitus ſupernaturales infuſi, ut videbimus in loco. Deinde poſſet dici, quòd ſicut per peccatum læthale non tolluntur habitus fidei, & ſpei, ad hoc ut peccator poſſit reſurgere, ita neque tollitur

habitus pœnitentiæ, adhoc ut peccator fortius aduerſus peccatum aſſurgat, deque illo vindictam ſumat conuenientem, ut diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciat. Quamuis enim communiter aſſeratur, aduentu peccati recedere omnes habitus ſupernaturales, excæptis illis duobus, hoc poſſet explicari de habitibus virtuoſis, qui verſantur circa actus virtuoſos, non autem de his, qui verſantur circa peccatum, ut illud perdant, cuiuſmodi eſt pęnitentia. Demum quia, etiam admiſſo quòd pereat hic habitus per peccatum, clementiſſimus Deus ſupplet eius abſentiam, per copiam gratiarum excitantium, ut per illas peccator eliciat actus contritionis, & deteſtationis peccati, quibus adigatur ad illud ſacramentaliter confitendum, & virtute clauium recipiat gratiam, qua habitus recuperetur, ut diximus initio. Verùm hanc difficultatem radicitùs euellemus, cum agemus de cauſalitate pęnitentiæ; & ideo prò nunc hæc ſufficiant, quibus aliqua etiam addemus ar. ſequentibus, & præcipuè ar. 6. ad 3.

ARTICVLVS V.

An habitus pœnitentiæ ſit ſupernaturalis, & infuſus?

VIdetur non eſſe, ut contendunt Scotus in 4. d. 14. q. 2. Durandus ibid. diſt.

diſt. 33. q. 6. Henricus quodlib. 6. q. 12. Gabriel, & Okam, Primò quia nulla virtus eſt ſupernaturalis, & infuſa, præter theologicas. Ergo cùm virtus pœnitentiæ non ſit theologica, neque eſt ſupernaturalis, & infuſa.

2. Poteſt habitus pœnitentiæ acquiri aſſuetudine, & actuum ſimilium pęnitendi frequentatione, ut patet experientia, qua videmus, aſſuetos ad huiuſmodi actus, illos faciliùs elicere, quod eſt ſignum habitus acquiſiti. Ergo fruſtra recurritur ad eius infuſionem, & ſupernaturalitatem.

3. Habitus pœnitentiæ ordinatur intrinſecè ad deſtructionem peccati. Ergo non poteſt eſſe talis, ut in quolibet conflictu cum peccato pereat; quod enim cadit ſemper ad aſpectum hoſtis, non eſt aptum ad illum ſuperandum. Sin autem ſit ſupernaturalis, & infuſus, quolibet adueniente læthali crimine, perit, ut omnes fatentur. Ergo eſt acquiſitus, & ideo remanet poſt peccatum.

4. Si eſſet habitus infuſus, ineſſet omnibus iuſtis, quibus cum charitate infunduntur omnes habitus ſupernaturales. Hoc autem eſt falſum, quia non ineſt Chriſto, Deiparæ, infantibus decedentibus poſt baptiſmum, angelis ſanctis; immò nec fuit in ſtatu innocentiæ. Ergo non eſt infuſus.

Concluſio, *Habitus pœnitentiæ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & infuſus.* Ita D. Thomas 3. p. q. 85. ar. 5. cui adhærent Riccardus, Canus, Sotus, Caietanus, Vaſquez, Suarius &c.

Probatur ex illo Hieremiæ 31. *Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Domine Deus meus: poſtquàm enim conuertiſti me, egi pœnitentiam*, ſuper quem locum docet Hyeron. *Vide quantum ſit auxilium Dei, & quàm fragilis humana conditio, ut hoc ipſum quod agimus pœnitentiam, niſi nos Dominus ante conuerterit, & niſi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus.* Quibus concinit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. ubi dicitur, *Siquis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut penitere poſſe, ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Ex quibus patet neceſſaria, & eſſentialis dependentia, quam habet pœnitentia ab aliquo principio ſupernaturali. Vnde licèt non probetur, quòd ſit infuſa, probatur tamen, quòd non poſſit acquiri ſolis naturæ viribus, adeòque, quòd non ſit inter virtutes morales philoſophicas, naturaliter acquiſibiles. Quòd autem ſit etiam ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & per conſequens infuſa (in quo eſt totus cardo difficultatis) probatur.

Primò, Virtus penitentiæ perficit ho-

minem

minem, non ſecundùm ſtatum vitæ naturalis, ſed ſecundùm ſtatum vitæ ſupernaturalis, quæ habetur per gratiam. Ergo eſt intrinſecè ſupernaturalis. Conſequentia patet, cùm nihil naturale conducat ad perfectionem eorum, quæ ſunt in ordine ſuperiori, ut probauimus in trac. de viſ. & demonſtrabimus in trac. de gratia. Antecedens probatur, obiectum formale pęnitentiæ eſt expiatio peccati, quatenus eſt offenſa Dei, cuius gratia priuat, & ponit reatum pęnæ æternæ. Sed hoc non perficit hominem ſecundùm ſtatum vitæ naturalis, cùm diuina offenſa, ut priuans diuina gratia, & ut inducens reatum pęnæ æternæ, non ſpectet ad ſtatum naturæ, cuius ſolo lumine non pateſcit hæc veritas. Ergo quia hac veritas ſolo fidei lumine poteſt attingi, ſpectat ad ſtatum gratiæ. Neque obſtat quòd etiam Ethnici philoſophi cognouerint neceſſitatem pęnitentiæ de peccatis, quatenùs ſunt contra rectam rationem, & contra Deum, ut authorem naturæ, adeo ut Auſonius in epigrammate de pęnit. illam per proſopopæiam inducat ſic loquentem, *ſum Dea, quæ facti, non factique exigo pęnas; nempe ut pæniteat, ſic metanea vocor*. Nam hujuſmodi philoſophi, ut pote deſtituti lumine fidei, non cognouerunt pęnitentiam ſecundùm propria, ſed ſolùm adumbratè, ſecundùm aliquam rationem imperfe-

ctam, quæ toto cęlo diſtat à pęnitentia, de qua hic agimus, quæ fundatur in fide remiſſionis peccatorum. Quamuis enim aliquis etiam cognouerit, pęnitentiam iuuare ad minuendas pęnas. Vnde Ouidius eleg. 1. de peccato cecinit, *ſæpe leuant pęnas, ereptaque Numina reddunt, cum bene peccati pęnituiße vident*, qua moti cognitione, nitebantur ſacrificijs Deos placare. Nihilominùs tamen non cognouerunt, per pęnitentiam deleri ipſũ peccatum, cum augmento prioris gratiæ, quod eſt proprium noſtræ pęnitentiæ.

2. Pęnitentiæ actus diſponunt ad gratiam, ut habetur ex Tridentino ſeſſ. 6. c. 7. & ideo non poſſunt fieri ſine aliquo principio ſupernaturali, ut definitur in ead. ſeſſ. can. 3. quem ſupra retulimus. Sed quod diſponit ad gratiam, & eſſentialiter pendet à principio ſupernaturali, eſt intrinſecè ſupernaturale, ut probauimus in trac. de viſione. Ergo ſunt intrinſecè ſupernaturales, adeòque non poſſunt elici ab habitu naturali, ſed petunt fieri ab habitu ſupernaturali, ut infert Bonaccina hic q. 1. puncto. 5. Quinam autem ſint huiuſmodi actus, videbimus infra. Cui doctrinæ concinit D. Thomas q. 89. ar. 1. ubi docet, *per pęnitentiam remittuntur peccata. Remiſſio autem peccatorum non poteſt eſſe, niſi per infuſionem gratiæ. Vnde relinquitur, quod per pęnitentiam homini*

mini gratia infundatur, ut habetur ex Tridentino ſeſſ. 6. c. 16, & can. 11. ubi dicitur, *ſiquis dixerit, homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit.* Sed quod promouet gratiam ſanctificantem, non poteſt elici ab habitu naturali. Ergo habitus pęnitentiæ eſt ſupernaturalis. Vnde infertur, pęnitentiam non eſſe purè deletiuam peccati, ſed eſſe etiam promotiuam gratiæ, quatenus vel illam ſimpliciter confert, vel intendit, quod fieri non poteſt ab actu habitus naturalis. Et ideo communiter dicitur cum D. Tho. hic q. 89. ar. 2. per pęnitentiam locupletari pęnitentem, quatenus facit quòd peccator reſurgat, non ſolùm cum æquali gratia, ſed etiam cum maiori, iuxta menſuram perfectionis ipſius, quam deſumit ex maiori, vel minori intenſione motus liberi arbitrij, quem in iuſtificatione impij ait, eſſe ultimam diſpoſitionem ad gratiam. Verùm de hoc fuſiùs agemus diſp. 17. ar. 3.

3. Habitus acquiſitus non concurrit actiuè ad ſubſtantiam actus, ſed ad eius facilitatem, & voluptatem, quæ ſunt eius modi, ut fusè probauimus in logica agentes de habitibus; habitus verò ſupernatu-

ralis infuſus concurrit ad ſubſtantiam actus, tamquam comprincipium omninò neceſſarium. Sed habitus pęnitentiæ concurrit ad ſubſtantiam actuum, quos pęnitens elicit, ut infra videbimus. Ergo non eſt acquiſitus, ſed ſupernaturalis infuſus.

ARTICVLVS VI.

Solvuntur obiecta, vbi ſtatuitur, quòd etiam in ſtatu puræ naturæ fuiſſet pęnitentia virtus.

AD 1. Nego antecedens, quòd eſt adeo falſum, ut Gabriel Vaſquez in 1. 2. tom. 1. diſp. 86. c. 5. & 6. egregiè probet, circa materiam cuiuſcumque virtutis moralis, poſſe dari habitum ſupernaturalem infuſum, diſtinctũ à theologicis. Ad quod probandum ſupponit ex 2. ethic. c. 4. ad rationem actus virtutis moralis, non ſufficere quòd fiat bonum, ſed requiri quòd fiat benè. Et ideo actus iuſtitiæ facit iuſtum, & iuſtè: actus temperantiæ facit temperatum temperatè: & actus fortitudinis facit fortia fortiter, hoc eſt quod bonitas moralis non ſit in ipſis actibus, ſed habeatur ex affectu bono ipſius operantis, ſine quo poſſet quidem aliquando fieri caſu opus rectum, non tamen rectè, eo modo quo non habens logicam poteſt facere bonum ſyllogiſmum,

non

non tamen logicè, quia eius factio non eſt ex regulis logicæ, quas talis homo non callet. Præterea adhoc ut quis ex virtute operetur, requiritur quòd ſciens, & eligens, & ex firmo animo operetur, ut docet ibid. Philoſophus his verbis, *quæ à virtutibus procedunt, non iuſtè, aut temperatè aguntur, ſi ſint iuſta, aut temperata, ſed ſi & agens ſic ſe habens agat, primò quidem ſi ſciens, deinde ſi eligens propter ipſa, tertiò ſi firmo animo, ac immutabili agat.* Quare adhoc ut fiat opus moraliter bonum, neceſſe eſt, quod fiat ex electione, propter ipſam virtutis honeſtatem, & ſecundùm modum virtutis. Vnde ſequitur, quòd multiplicantur virtutes morales, ad multiplicationem illarum honeſtatum, quæ ex parte obiecti mouent operantem, ad electionem talium actuum, circa talem materiam, tamquam fines proximi, ad quorum eſſecutionem diriguntur actus electi. Inſuper ſupponendum eſt, habitus acquiſitos (ut ſupra diximus) non concurrere ad ſubſtantiam actuum, ſicut concurrunt infuſi, ſed ſolùm ad eorum modum, nempe facilitatem, voluptatem &c.

His poſitis, quia eadem materia temperantiæ habet diuerſam honeſtatem, mouentem ex parte obiecti, ideo debet attingi à diuerſis habitibus virtuoſis, & idem dico de alijs. Quòd autem habeat diuerſam honeſtatem, facilè probatur ex eo,

quia

quia (ut docet Philoſophus lib. 3. politic. c. 3.) idem homo non poteſt conſiderari ut homo eſt, & pars ciuitatis, & ut eſt capax diuinæ amicitiæ, & felicitatis æternæ, ad quam ordinatur. Si ergo homo agat temperata temperatè, propter honeſtatem, quæ decet ciuem, & partem ciuitatis, exercet actum temperantiæ moralis, prouenientem ab habitu naturali acquiſito. Si verò agat propter honeſtatem, quæ decet domeſticum Dei, ordinatum ad felicitatem æternam, exercet actum ſupernaturalem, qui petit eſſe ab habitu ſibi proportionato, nempe ſupernaturali, & infuſo. Et ratio eſt, quia hæc honeſtas non apparet, niſi per reuelationem ſupernaturalem, & finis gloriæ æternæ non eſt aſſequibilis, niſi per gratiam ordinis ſuperioris. Ergo actus intrinſecè ad hunc finem ordinatus, eſt intrinſecè ſupernaturalis, quatenus videlicèt reſpicit mediocritatem, non qua homo tueatur valetudinem, & rectum vſum rationis, ſed qua corpus ſubijciatur ſpiritui, [illegible] ſpirituali, ad quam [illegible] atr [illegible] dico de iuſtitia, n [illegible] reddendum c [illegible] tat hone [illegible] pax in [illegible]

tem, cupit conſeruare æqualitatem in vita ſpirituali, & in ordine gratiæ, exercet actum iuſtitiæ ſupernaturalis, & ſic de alijs.

Si ergo actus pęnitentiæ ſit deteſtatio peccati, eò quia propter ſuam fęditatem, & deordinationem à recta ratione, tollat honeſtatem, quæ decet virum bene morigeratum in republica humana, erit actus habitus acquiſiti. Si verò deteſtetur peccatum, quia eſt offenſa Dei, & quia deuiat ab ultimo fine, priuans hominem æterna felicitate, quam permutat cum æterna miſeria irreparabili, erit actus pęnitentiæ elicitus ab habitu ſupernaturali. Vnde ſequitur, non ſolùm dari habitum pęnitentiæ infuſum, ſed etiam dari habibitus infuſos cuiuſcumque alterius virtutis moralis, diſtinctos à theologicis, & à naturalibus, verſantibus circa eaſdem materias talium virtutum, in quibus reſpiciant ſpeciales honeſtates, quibus moueantur, diſtinctas ab honeſtatibus, quibus mouentur [illegible]s habituum acquiſitorum.

Ad 2. [illegible] dictis. Ex qui[illegible]
[illegible]s ſequ[illegible] in ſtatu puræ
uræ f[illegible] entiæ natura-
eò q[illegible] frequentare
is do[illegible] is peccato-
, que[illegible] t authorem,
[illegible] am cum ſpe

ve-

veniæ, ut docet hic Gonettus in fine diſputationis ſecundæ. Immo dico cum Eſparſa hic q. 76. ar. 2. quòd potuiſſet etiam per talem pęnitentiam remitti peccatum. Primò quia aliter cùm finis pœnitentiæ ſit remiſſio, & deſtructio peccati, hic finis fuiſſet illi impoſſibilis in tali ſtatu, adeòque natura fruſtra extimulaſſet peccatores ad pœnitendum. Deinde quia ſi homo non poſſet per pęnitentiam redire ad Deũ, poſt commiſſionem cuiuſcumque peccati mortalis, eſſet deplorata eius æterna ſalus, adeòque induceretur in deſperationem, & impęnitentiam finalem, quod non eſt credendum, cùm Deus, ut pater amantiſſimus, prò omni ſtatu poſuerit remediũ prò lapſis, ut dicitur Pſal. 102. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus, homo ſicut fœnum dies eius, tamquam flos agri ſic efflorebit*. Ergo concludendum eſt cùm eodem, etiam in ſtatu puræ naturæ prouiſurũ fuiſſe Deum prò lapſis, ut poſſent ad iuſtitiã redire per pœnitentiam acquiſitam, & per dilectionem Dei. Ex quo ſequitur, habitum pœnitentiæ, quamuis de facto infundatur, non tamen eſſe de ſuo conceptu formali infuſum, ita ut non poſſit eſſe etiam acquiſitus, ut dictum eſt. Quamuis enim acquiſitus non poſſit eſſe ſicut oportet

prò

prò ſtatu gratiæ, potuiſſet tamen eſſe prò ſtatu puræ naturæ, ut idem probat ibid.

Quòd ſi quæras, an in tali ſtatu pęnitentia acquiſita eſſet virtus ſpecialis? Reſpondeo contra Vaſquez affirmatiuè. Siquidem illa ſola doleret de peccatis, quatenus eſſent offenſa Dei, ut auctoris naturalis, per ipſam expiabilis, ſicut pęnitentia infuſa de illis dolet, ut ſunt offenſa Dei, ut auctoris, & finis ſupernaturalis per ipſam expiabilis, cùm aliæ virtutes dolerent quidem de illis in tali ſtatu, quatenus eſſent contra rationem rectam, in ordine ad finem naturalem, quod viſus eſt innuere Riccardus in 4. d. 14. ar. 4. q. 1. ubi admiſit duas pęnitentias, nempe infuſam, & acquiſitam.

Dices, dolor de peccatis, ut ſunt offenſa Dei, ſiue ſit auctor naturalis, ſiue ſupernaturalis, ſpectat ad habitum diligendi Deum. Ergo non prouenit à ſpeciali virtute pęnitentiæ.

Diſtinguo antecedens, ſi talis dolor connectatur cum intentione ſatisfaciendi, & compenſandi offenſam, nego: ſi ab illa ſeparetur, concedo. Quia ergo pęnitentiæ dolor ſemper coniungitur cum tali intentione, ideo non prouenit à charitate, ſed à pęnitentia, ut eſt virtus ſpecialis. Præterquamquòd probauimus ar. 4. ad 2. cum D. Thoma, nullam aliam virtutem deteſtari peccatum ſub ratione offenſæ, ut

pa-

patet de alijs, & ipſa charitas deteſtatur peccatum, non quia eſt offenſa, ſed quia ſeparat à Deo amato, & tollit eius amicitiam. Ergo ſub ratione offenſæ, non reſpicitur, niſi à pęnitentia, quæ intendit eius ſatisfactionem, & compenſationem.

Ad 3. Patet reſponſio ex dictis art. 4. ad 7. Quibus poſſet addi, quòd habitus pęnitentiæ non expellit formaliter peccatum, ſed ſolùm diſpoſitiuè, & cauſaliter (ut videbimus) per ſuos actus. Ergo finis eius primarius non eſt expulſio peccati, ſed eius compenſatio, & ſatisfactio, quæ quia non eſſent utiles, niſi eſſent gratia formatæ, ideo debent præſtari ab homine iuſtificato, ac proinde habitus pęnitentię non infunditur, niſi accepta gratia depulſiua peccati, ut per illum deinde offenſæ ſatisfiat, & auferantur reliquiæ peccati, & planè fiat compenſatio. Quando ergo dicitur, quòd habitus pęnitentiæ ordinatur intrinſecè ad deſtructionem peccati, non debet intelligi de prima eius expulſione, quæ fit per pęnitentiæ ſacramentum, ſed de ſecunda, quatenùs peccatum non dicitur plenè deſtructum, quamdiù durat eius reatus, ad cuius deſtructionem ordinatur virtus pęnitentiæ. Et ideo D. Thomas hìc q. 86. ar. 5. in littera docet, *Poſt primam remiſſionem culpæ, qua peccator reſtituitur ad viſum ſpiritualem, adhùc remanent in eo aliquæ reliquiæ peccati præteriti*. Super

per quem locum Suarez explicans has reliquias, inquit, *Addo, ſub his reliquijs comprehendi, non ſolùm proprios habitus vitiorum, qui ſunt in voluntate, vel appetitu, ſed etiam phantaſmata, & ſpecies intelligibiles prauorum obiectorum, quæ poſt remiſſionem peccati, ſolent occaſionem præbere iterum peccandi, aut difficilem reddere perſeuerantiam, & exercitium virtutum. In quo etiam comprehenduntur aliquæ corporis diſpoſitiones, ex uſu peccandi relictæ, quæ non parum difficile poſtea etiam faciũt exercitium virtutum.* Vnde apparet, quòd licèt penitentiæ habitus, ut infuſus, non remaneat poſt peccatum, adhuc tamen eſt utiliſſimus, ad illud, non quidem primò vincendum, ſed ad illud penitùs abolendum, quoad omnes illos effectus prauos, quos relinquit in homine iuſtificato, & ad illi ſatisfaciendum.

ARTICVLVS VII.

Soluitur ultimum argumentum, & quæritur, an in omnibus iuſtis inſit virtus penitentiæ, etiam in patria?

AD 4. Nego maiorem. Et dico, habitus ſupernaturales infundi ad hoc, ut per illos anima diſponatur, ad exercẽdos actus omnium virtutum. Ergo intrinſecè, & eſſentialiter ordinantur ad actus, per quos

ſpe-

ſpecificantur. Ex quo ſequitur, quòd ſi alicui repugnẽt actus proprij alicuius habitus ſupernaturalis, non poſſit illi infundi, vel ſaltem non infundatur talis habitus. Rationem attulimus in trac. de Trin. diſp. 24. ar. 4. quia videlicèt cui repugnat actus alicuius potentiæ, reſpectu illius, talis potentia eſſet ſimpliciter impotentia, utpote quæ non diſponeret ſubiectum ad agendum, ſed illud relinqueret in impotentia ad actum, quam habebat, antequam afficeretur tali potentia. Ergo talis potentia in tali ſubiecto, ut abſolutè, & ſimpliciter inexplebilis, non ſolùm eſſet fruſtranea, ſed oneroſa, utpote quæ excitaret aſſiduò ſubiectum ad agendam chimæram, nempe actum ſibi repugnantem. Sicut enim actus exigit obiectum, ita potentia exigit ſuum actum. Et ideo videmus, quòd viſio exigit coloratum, & potentia viſiua exigit viſionem, ad quæ intrinſecè, & eſſentialiter ordinantur. Vnde alibi ſæpe intulimus, quòd impoſſibilitato obiecto, impoſſibilitaretur actus, & impoſſibilitato actu proprio ſpecificatiuo, impoſſibilitaretur potentia, cuiuſmodi eſſet, ſi fingeremus in lapide potentiam intellectiuam, in homine potentiam creatiuam, & in filio æterno potentiam generatiuam. Quia Ergo habitus ſupernaturales, non ſunt ad modos, ſed ad ſubſtantiam actuum, ideo aſſimilantur potentijs,

&

& dant ſimpliciter poſſe, Atque adeo ſicut potentiæ non poſſunt dari ſubiectis, cui repugnant earum actus, ita neque poſſunt infundi habitus ſupernaturales ijs, quibus actus repugnant.

His poſitis, quia habitus pœnitentiæ eſſentialiter ordinatur ad hoc ut inclinet, & coadiuvet ſubiectum ad ſatisfaciendum Deo prò peccato commiſſo, per retractaionem actus, & deteſtationem peccati, quatenus per illud Deum offendit, ideo upponit in ſubiecto potentiam peccandi, & volubilitatem, ſeu flexibilitatem volunatis, quibus non poſitis, numquam poſſet educi ad actum.

Ex quibus ſequitur primò, in Angelis non eſſe habitum pęnitentiæ, quia cùm int inflexibiles, non poſſunt retractare uos actus, ut probauimus in trac. de Angelis. Quòd ſi ſupponamus, huiuſmodi nflexibilitatem non eſſe illis naturalem, & intrinſecam, ſed prouenire ex eo, quòd llis neget Deus aſſiduò auxilia ſufficienia ad retractandos ſuos actus, ut cenſueunt Scotus, Maior, & Catharinus, in tai ſententia potuiſſet Angelis viatoribus ſſe utilis pęnitentia, quatenus per illam otuiſſent reſipiſcere, ſi præſto illis eſſent iuina adiutoria, à patrato peccato, quia n tali ſententia fuiſſent in ſtatu viæ pecabiles, & flexibiles, quod non valet in ppoſita ſententia, in qua dicatur eorum

in-

ralis infuſus concurrit ad ſubſtantiam actus, tamquam comprincipium omninò neceſſarium. Sed habitus pęnitentiæ concurrit ad ſubſtantiam actuum, quos pęnitens elicit, ut infra videbimus. Ergo non eſt acquiſitus, ſed ſupernaturalis infuſus.

ARTICVLVS VI.

Solvuntur obiecta, vbi ſtatuitur, quòd etiam in ſtatu puræ naturæ fuiſſet pęnitentia virtus.

AD 1. Nego antecedens, quòd eſt adeo falſum, ut Gabriel Vaſquez in 1. 2. tom. 1. diſp. 86. c. 5. & 6. egregiè probet, circa materiam cuiuſcumque virtutis moralis, poſſe dari habitum ſupernaturalem infuſum, diſtinctũ à theologicis. Ad quod probandum ſupponit ex 2. ethic. c. 4. ad rationem actus virtutis moralis, non ſufficere quòd fiat bonum, ſed requiri quòd fiat benè. Et ideo actus iuſtitiæ facit iuſtum, & iuſtè: actus temperantiæ facit temperatum temperatè: & actus fortitudinis facit fortia fortiter, hoc eſt quod bonitas moralis non ſit in ipſis actibus, ſed habeatur ex affectu bono ipſius operantis, ſine quo poſſet quidem aliquando fieri caſu opus rectum, non tamen rectè, eo modo quo non habens logicam poteſt facere bonum ſyllogiſmum,

non

non tamen logicè, quia eius factio non eſt ex regulis logicæ, quas talis homo non callet. Præterea adhoc ut quis ex virtute operetur, requiritur quòd ſciens, & eligens, & ex firmo animo operetur, ut docet ibid. Philoſophus his verbis, *quæ à virtutibus procedunt, non iuſtè, aut temperatè aguntur, ſi ſint iuſta, aut temperata, ſed ſi & agens ſic ſe habens agat, primò quidem ſi ſciens, deinde ſi eligens propter ipſa, tertiò ſi firmo animo, ac immutabili agat.* Quare adhoc ut fiat opus moraliter bonum, neceſſe eſt, quod fiat ex electione, propter ipſam virtutis honeſtatem, & ſecundùm modum virtutis. Vnde ſequitur, quòd multiplicantur virtutes morales, ad multiplicationem illarum honeſtatum, quæ ex parte obiecti mouent operantem, ad electionem talium actuum, circa talem materiam, tamquam fines proximi, ad quorum eſſecutionem diriguntur actus electi. Inſuper ſupponendum eſt, habitus acquiſitos (ut ſupra diximus) non concurrere ad ſubſtantiam actuum, ſicut concurrunt infuſi, ſed ſolùm ad eorum modum, nempe facilitatem, voluptatem &c.

His poſitis, quia eadem materia temperantiæ habet diuerſam honeſtatem, mouentem ex parte obiecti, ideo debet attingi à diuerſis habitibus virtuoſis, & idem dico de alijs. Quòd autem habeat diuerſam honeſtatem, facilè probatur ex eo, quia

quia (ut docet Philoſophus lib. 3. politic. c. 3.) idem homo poteſt conſiderari ut homo eſt, & pars ciuitatis, & ut eſt capax diuinæ amicitiæ, & felicitatis æternæ, ad quam ordinatur. Si ergo homo agat temperata temperatè, propter honeſtatem, quæ decet ciuem, & partem ciuitatis, exercet actum temperantię naturalis, prouenientem ab habitu naturali acquiſito. Si verò agat propter honeſtatem, quæ decet domeſticum Dei, ordinatum ad felicitatem æternam, exercet actum ſupernaturalem, qui petit eſſe ab habitu ſibi proportionato, nempe ſupernaturali, & infuſo. Et ratio eſt, quia hæc honeſtas non apparet, niſi per reuelationem ſupernaturalem, & finis gloriæ æternæ non eſt aſſequibilis, niſi per gratiam ordinis ſuperioris. Ergo actus intrinſecè ad hunc finem ordinatus, eſt intrinſecè ſupernaturalis, quatenus videlicèt reſpicit mediocritatem, non qua homo tueatur valetudinem, & rectum vſum rationis, ſed qua corpus ſubijciatur ſpiritui, ſeu vitæ ſpirituali, ad quam eſt ordinatum. Idem dico de iuſtitia, nam ſi homo moueatur ad reddendum cuique quod ſuum eſt, quia putat honeſtum, ut per æqualitatem ſeruetur pax in humana republica, exercet actum iuſtitiæ acquiſitæ. Si verò moueatur ex eo, quia conſiderando ſe, & alios ut domeſticos Dei, & ordinatos ad æternam felicitatem

tem, cupit conſeruare æqualitatem in vita ſpirituali, & in ordine gratiæ, exercet actum iuſtitiæ ſupernaturalis, & ſic de alijs.

Si ergo actus pęnitentiæ ſit deteſtatio peccati, eò quia propter ſuam fęditatem, & deordinationem à recta ratione, tollat honeſtatem, quæ decet virum bene morigeratum in republica humana, erit actus habitus acquiſiti. Si verò deteſtetur peccatum, quia eſt offenſa Dei, & quia deuiat ab ultimo fine, priuans hominem æterna felicitate, quam permutat cum æterna miſeria irreparabili, erit actus pęnitentiæ elicitus ab habitu ſupernaturali. Vnde ſequitur, non ſolùm dari habitum pęnitentiæ infuſum, ſed etiam dari habibitus infuſos cuiuſcumque alterius virtutis moralis, diſtinctos à theologicis, & à naturalibus, verſantibus circa eaſdem materias talium virtutum, in quibus reſpiciant ſpeciales honeſtates, quibus moueantur, diſtinctas ab honeſtatibus, quibus mouentur actus habituum acquiſitorum.

Ad 2. patet reſponſio ex dictis. Ex quibus ſequitur, quòd etiam in ſtatu puræ naturæ fuiſſet habitus pœnitentiæ naturalis, eò quia potuiſſet homo frequentare actus doloris, & deteſtationis peccatorum, quę patraſſet in Deum, ut authorem, & finem ordinis naturalis, etiam cum ſpe

ve-

Digitized by Google

veniæ, ut docet hic Gonettus in fine diſputationis ſecundæ. Immo dico cum Eſparſa hic q. 76. ar. 2. quòd potuiſſet etiam per talem pęnitentiam remitti peccatum. Primò quia aliter cùm finis pœnitentiæ ſit remiſſio, & deſtructio peccati, hic finis fuiſſet illi impoſſibilis in tali ſtatu, adeòque natura fruſtra extimulaſſet peccatores ad pœnitendum. Deinde quia ſi homo non poſſet per pęnitentiam redire ad Deũ, poſt commiſſionem cuiuſcumque peccati mortalis, eſſet deplorata eius æterna ſalus, adeòque induceretur in deſperationem, & impęnitentiam finalem, quod non eſt credendum, cùm Deus, ut pater amantiſſimus, prò omni ſtatu poſuerit remediũ prò lapſis, ut dicitur Pſal. 102. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus, homo ſicut fęnum dies eius, tamquam flos agri ſic effiorebit.* Ergo concludendum eſt cum eodem, etiam in ſtatu puræ naturæ prouiſurũ fuiſſe Deum prò lapſis, ut poſſent ad iuſtitiã redire per pœnitentiam acquiſitam, & per dilectionem Dei. Ex quo ſequitur, habitum pœnitentiæ, quamuis de facto infundatur, non tamen eſſe de ſuo conceptu formali infuſum, ita ut non poſſit eſſe etiam acquiſitus, ut dictum eſt. Quamuis enim acquiſitus non poſſit eſſe ſicut oportet

prò

prò ſtatu gratiæ, potuiſſet tamen eſſe prò ſtatu puræ naturæ, ut idem probat ibid.

Quòd ſi quæras, an in tali ſtatu penitentia acquiſita eſſet virtus ſpecialis? Reſpondeo contra Vaſquez affirmatiuè. Siquidem illa ſola doleret de peccatis, quatenus eſſent offenſa Dei, ut auctoris naturalis, per ipſam expiabilis, ſicut penitentia infuſa de illis dolet, ut ſunt offenſa Dei, ut auctoris, & finis ſupernaturalis per ipſam expiabilis, cùm aliæ virtutes dolerent quidem de illis in tali ſtatu, quatenus eſſent contra rationem rectam, in ordine ad finem naturalem, quod viſus eſt innuere Riccardus in 4. d. 14. ar. 4. q. 1. ubi admiſit duas penitentias, nempe infuſam, & acquiſitam.

Dices, dolor de peccatis, ut ſunt offenſa Dei, ſiue ſit auctor naturalis, ſiue ſupernaturalis, ſpectat ad habitum diligendi Deum. Ergo non prouenit à ſpeciali virtute penitentiæ.

Diſtinguo antecedens, ſi talis dolor connectatur cum intentione ſatisfaciendi, & compenſandi offenſam, nego: ſi ab illa ſeparetur, concedo. Quia ergo penitentiæ dolor ſemper coniungitur cum tali intentione, ideo non prouenit à charitate, ſed à penitentia, ut eſt virtus ſpecialis. Præterquamquòd probauimus ar. 4. ad 2. cum D. Thoma, nullam aliam virtutem deteſtari peccatum ſub ratione offenſæ, ut

Digitized by Google

patet de alijs, & ipſa charitas deteſtatur peccatum, non quia eſt offenſa, ſed quia ſeparat à Deo amato, & tollit eius amicitiam. Ergo ſub ratione offenſæ, non reſpicitur, niſi à pęnitentia, quæ intendit eius ſatisfactionem, & compenſationem.

Ad 3. Patet reſponſio ex dictis art. 4. ad 7. Quibus poſſet addi, quòd habitus pęnitentiæ non expellit formaliter peccatum, ſed ſolùm diſpoſitiuè, & cauſaliter (ut videbimus) per ſuos actus. Ergo finis eius primarius non eſt expulſio peccati, ſed eius compenſatio, & ſatisfactio, quæ quia non eſſent utiles, niſi eſſent gratia formatæ, ideo debent præſtari ab homine iuſtificato, ac proinde habitus pęnitentię non infunditur, niſi accepta gratia depulſiua peccati, ut per illum deinde offenſæ ſatisfiat, & auferantur reliquiæ peccati, & planè fiat compenſatio. Quando ergo dicitur, quòd habitus pęnitentiæ ordinatur intrinſecè ad deſtructionem peccati, non debet intelligi de prima eius expulſione, quæ fit per pęnitentiæ ſacramentum, ſed de ſecunda, quatenùs peccatum non dicitur plenè deſtructum, quamdiù durat eius reatus, ad cuius deſtructionem ordinatur virtus pęnitentiæ. Et ideo D. Thomas hic q. 86. ar. 5. in littera docet, *Poſt primam remiſſionem culpæ, qua peccator reſtituitur ad viſum ſpiritualem, adhùc remanent in eo aliquæ reliquiæ peccati præteriti*. Su-

per

per quem locum Suarez explicans has reliquias, inquit, *Addo, ſub his reliquijs comprehendi, non ſolùm proprios habitus vitiorum, qui ſunt in voluntate, vel appetitu, ſed etiam phantaſmata, & ſpecies intelligibiles prauorum obiectorum, quæ poſt remiſſionem peccati, ſolent occaſionem præbere iterum peccandi, aut difficilem reddere perſeuerantiam, & exercitium virtutum. In quo etiam comprehenduntur aliquæ corporis diſpoſitiones, ex uſu peccandi relictæ, quæ non parum difficile poſtea etiam faciũt exercitium virtutum.* Vnde apparet, quòd licèt penitentiæ habitus, ut infuſus, non remaneat poſt peccatum, adhùc tamen eſt utiliſſimus, ad illud, non quidem primò vincendum, ſed ad illud penitùs abolendum, quoad omnes illos effectus prauos, quos relinquit in homine iuſtificato, & ad illi ſatisfaciendum.

ARTICVLVS VII.

Soluitur ultimum argumentum, & quæritur, an in omnibus iuſtis inſit virtus penitentiæ, etiam in patria?

AD 4. Nego maiorem. Et dico, habitus ſupernaturales infundi ad hoc, ut per illos anima diſponatur, ad exercēdos actus omnium virtutum. Ergo intrinſecè, & eſſentialiter ordinantur ad actus, per quos

ſpe-

ſpecificantur. Ex quo ſequitur, quòd ſi alicui repugnet actus proprij alicuius habitus ſupernaturalis, non poſſit illi infundi, vel ſaltem non infundatur talis habitus. Rationem attulimus in trac. de Trin. diſp. 24. ar. 4. quia videlicèt cui repugnat actus alicuius potentiæ, reſpectu illius, talis potentia eſſet ſimpliciter impotentia, utpote quæ non diſponeret ſubiectum ad agendum, ſed illud relinqueret in impotentia ad actum, quam habebat, antequam afficeretur tali potentia. Ergo talis potentia in tali ſubiecto, ut abſolutè, & ſimpliciter inexplebilis, non ſolùm eſſet fruſtranea, ſed onerosa, utpote quæ excitaret aſſiduò ſubiectum ad agendam chimæram, nempe actum ſibi repugnantem. Sicut enim actus exigit obiectum, ita potentia exigit ſuum actum. Et ideo videmus, quòd viſio exigit coloratum, & potentia viſiua exigit viſionem, ad quæ intrinſecè, & eſſentialiter ordinantur. Vnde alibi ſæpe intulimus, quòd impoſſibilitato obiecto, impoſſibilitaretur actus, & impoſſibilitato actu proprio ſpecificatiuo, impoſſibilitaretur potentia, cuiuſmodi eſſet, ſi fingeremus in lapide potentiam intellectiuam, in homine potentiam creatiuam, & in filio æterno potentiam generatiuam. Quia Ergo habitus ſupernaturales, non ſunt ad modos, ſed ad ſubſtantiam actuum, ideo aſſimilantur potentijs,

&

& dant ſimpliciter poſſe, Atque adeo ſicut potentiæ non poſſunt dari ſubiectis, cui repugnant earum actus, ita neque poſſunt infundi habitus ſupernaturales ijs, quibus actus repugnant.

His poſitis, quia habitus pœnitentiæ eſſentialiter ordinatur ad hoc ut inclinet, & coadiuvet ſubiectum ad ſatisfaciendum Deo prò peccato commiſſo, per retractationem actus, & deteſtationem peccati, quatenus per illud Deum offendit, ideo ſupponit in ſubiecto potentiam peccandi, & volubilitatem, ſeu flexibilitatem voluntatis, quibus non poſitis, numquam poſſet reduci ad actum.

Ex quibus ſequitur primò, in Angelis non eſſe habitum pœnitentiæ, quia cùm ſint inflexibiles, non poſſunt retractare ſuos actus, ut probauimus in trac. de Angelis. Quòd ſi ſupponamus, huiuſmodi inflexibilitatem non eſſe illis naturalem, & intrinſecam, ſed prouenire ex eo, quòd illis neget Deus aſſiduò auxilia ſufficientia ad retractandos ſuos actus, ut cenſuerunt Scotus, Maior, & Catharinus, in tali ſententia potuiſſet Angelis viatoribus eſſe utilis pœnitentia, quatenus per illam potuiſſent reſipiſcere, ſi præſto illis eſſent diuina adiutoria, à patrato peccato, quia in tali ſententia fuiſſent in ſtatu viæ peccabiles, & flexibiles, quod non valet in oppoſita ſententia, in qua dicatur eorum

inflexibilitas eſſe illis intrinſeca, & naturalis.

2. Sequitur, in pueris decedentibus poſt baptiſmum, fuiſſe infuſum habitum pęnitentiæ, eò quia cùm ſint natura flexibiles, & peccabiles, potuiſſent peccare, ſi ſuperuixiſſent, adeòq; potuiſſet illis prodeſſe talis habitus.

3. Probabile eſt, quòd etiam in Beata Virgine fuerit talis habitus. Quamuis enim ut confirmata in gratia, ratione diuinæ maternitatis, facta fuerit exercitè impeccabilis, tamen erat peccabilis per naturam; Vnde illi potuiſſet ſimpliciter prodeſſe pęnitentia, quamuis per accidens non profuerit, ratione innocentię ad finem uſque conſeruatę, propter ſpeciale privilegium diuinæ aſſiſtentiæ, ob eleuationem ad maternitatem.

De Apoſtolis non poteſt eſſe dubium, quia multi de facto peccarunt, ut Petrus, & Thomas, vel potuiſſent peccare, antequàm confirmarentur in gratia. Multò minùs poteſt eſſe dubium de Beatis, quia potuerunt peccare, & multi fuerunt peccatores in via. Ergo congruentiſſimum eſt, ut ad ornatum retineant inſigne relati triumphi. Tota ergo difficultas reducitur ad Chriſtum Dominum, de quo varij varia, quoad hoc, opinati ſunt, & ego omnia paucis comprehendam ar. ſequenti.

A R.

ARTICVLVS IIX.

An in Chriſto fuerit pænitentia virtus?

ARgentinas in 4. d. 14. ar. 1. Cardinalis de Lugo hìc diſput. 6. initio, & Comink diſp. 1. dub. 3. reſpondent, in Chriſto fuiſſe habitum pęnitentiæ. Eorum fundamenta reducuntur ad hæc, Primò quia licèt Chriſtus ex defectu peccati, & impotentia peccādi numquam poſſit exire in actum ſecundum pęnitendi, tamen potuit huiuſmodi habitum habere ad ornatum, ſicut eſt in pueris, quibus per gratiam baptiſmalem; infunduntur omnes habitus ſupernaturales. Ergo non eſt fruſtraneus.

2. Potuit Chriſtus habere odium efficax peccati, & offenſæ Dei, cum propoſito efficaci, illud ſemper vitandi. Præterea potuit habere gaudium de carentia peccati, propter bonum pacis cum Deo. Sed hi ſunt actus proprij habitus pœnitentiæ. Ergo illum habuit.

3. Potuit habere habitualem diſpoſitionem ad hoc, ut ſi umquam per impoſſibile peccaret, prò illo ſatisfaceret. Sed hæc diſpoſitio attingeret peccatum, ſub ratione offenſæ, ut compenſabilis per ſatisfactionem, quod eſt proprium habitus pœnitentiæ. Ergo illum habuit.

4. De

Digitized by Google

4. De facto habuit actum abſolutum ſatisfaciendi prò peccatis noſtris, quatenus ſunt offenſa Dei. Ergo habuit habitum pęnitentiæ.

5 Chriſtus D. dicit veram humanitatem eiuſdem ſpeciei cum noſtra, quæ licèt ratione unionis hypoſtaticæ cum Verbo, reddatur proximè impeccabilis, adhùc tamen remotè, & ex natura ſua eſt peccabilis, & potuiſſet de facto peccare, ſi non fuiſſet aſſumpta. Ergo fuit illi ſimpliciter utilis pęnitentia, non ſolùm ad ornatum, attenta præcisè circumſtantia unionis, ſed etiam ad ſatisfaciendum prò peccato, ſub conditione illi ſimpliciter poſſibili, quòd vel non aſſumpta, vel dimiſſa peccaret. Quæ ratio multò magis urget in eorum ſententia, qui dicunt, potuiſſe Verbum aſſumere humanitatem, quæ de facto peccauerit, ut refert idem Lugo dicta diſp. 6. n. 11.

6. Habitus ſupernaturales non ſunt in persona Chriſti, ſed in eius anima. Sed animæ Chriſti non repugnat habitus pœnitentiæ, immò illi eſt utilis propter dicta. Ergo potuit eſſe in Chriſto, non quidem ſecundùm perſonam, ſed ſecundùm naturam humanam.

Dico tamen, in Chriſto non fuiſſe habitum pœnitentiæ, ut docent D. Thomas in 4. d. 14. q. 1. ar. 3. Sotus ibid. q. 2. ſub finem, & ſatis communiter alij, ut Gonet-

tus,

tus, Vaſquez, Suarius, Valentia &c.

Probatur, quia ut diximus in reſponſione quarti, non poteſt ineſse ullus habitus in eo, cui repugnat omnis eius actus proprius, & ſpecificativus. Sed Chriſto repugnat omnis actus proprius ſpecificativus habitus pęnitentiæ. Ergo in illo non poteſt eſse talis habitus. Probatur minor, actus proprij ſpecificatiui pęnitentiæ ſunt deteſtatio peccati patrati, ut eſt offenſa Dei, & intentio ſatisfaciendi, & compenſandi. Sed hi non poſſunt competere Chriſto Domino, qui nullum fecit, neç potuit facere peccatum, ut patet, & probamus in trac. de incarnatione. Ergo illi repugnat omnis actus proprius pœnitentiæ.

Ad 1. Nego antecedens. Et dico, pęnitentiæ habitum non poſſe cedere in ornatum, niſi illi, qui vel compenſauit offenſam Dei, & ideo eſt veluti teſſera relati triumphi, vel quia potuit peccare, oſtẽdit animum paratum ad compenſandum, ſi forte peccaſſet. Ergo eſſentialiter ſupponit, vel peccatum, vel ſaltem potentiam peccandi, quæ cùm non ſint in Chriſto, talis habitus eſſet potiùs dehoneſtamentum, quàm ornatus, eo modo, quo tabulæ publicæ acquiſitæ nobilitatis, quia ſignificant defectum eius antecedentis priuationis, non eſſent ornamentum nato ex parentibus nobiliſſimis. Et hinc patet diſ-

D paritas

paritas infantium cum Chriſto.

Ad 2. Nego minorem. Et dico, actus pęnitentiæ eſſe plures. Nam aliqui ſunt præparatorij, ſeu diſpoſitiui, ut fides, ſpes, timor ſeruilis, agnitio erroris commiſſi ex inconſideratione, & voluntas inefficax conuertendi ſe ad Deum. Alij ſunt eliciti, & ſunt duo, nempe deteſtatio peccati proprij, & voluntas efficax conuertendi ſe ad Deum per ſatisfactionem, & compenſationem. Actus imperati ſunt duo, nempe contritio de præſtita offenſa Deo, & charitas in eumdem. Ex his actibus, ſolus ultimus poteſt competere Chriſto. Hic autem quia eſt actus proprius charitatis, licèt poſſit imperari à pęnitentia, non tamen pendet eſſentialiter à tali imperio, & ideo poteſt haberi per ſolùm habitum charitatis. Quia ergo odium peccati, & gaudium de eius carentia ſunt actus proprij charitatis, aliter non poſſent conuenire diuinæ voluntati, ideo non inferunt habitum pęnitentiæ.

Ad 3. Nego maiorem, cùm diſpoſitio ad aliquid faciendum, ſub conditione impoſſibili, ſit ſpecies fatuitatis, cuiuſmodi eſſet, ſi aliquis eſſet diſpoſitus ad pęnitendum, ſub conditione quòd ad nihilum redigeret diuiniſſimam Trinitatem. Ergo quia hic habitus infunderetur à Deo, faceret Deum fatuum, utpote qui per illum intenderet prouidere Chriſto ad caſum impoſ-

impoſſibilem. Vnde obiter infer, quàm immeritò Gonettus hìc diſp. 2. ar. 3. n. 88. impingat Suario viro eruditiſſimo, quòd admiſerit in Chriſto habitum pœnitentiæ, ex eo quòd putauerit, illum habere hunc actum, *ſi ego per impoſſibile peccarem, Deo prò peccato meo ſatisfacerem*. Nam neque Suarius admiſit hunc habitũ in Chriſto, neque talem actum, cùm expreſsè doceat tom. 1. in 3. p. diſp. 19. ſect. 1. *Cùm Chriſtus à principio fuerit beatus, & incapax peccati, certum eſt, non potuiſſe habere virtutes, quæ requirunt in ſubiecto hanc imperfectionem, ut diximus de continentia; & ſimile eſt de pœnitentia, quæ ſimpliciter dicta ſupponit peccatum, vel ſaltem capacitatem peccati.* Verum quidem eſt, quòd admiſerit pęnitentiam longè diuerſam in Chriſto, nempe illam, quæ dicit ſimplex odium peccati, & voluntatem ſatisfaciendi diuinæ offenſæ ab alio illatæ, quam putat non diſtingui à charitate, vel iuſtitia, vel religione. Et ideo concludit, quòd *hæc virtus in Chriſto non habuit rationem pœnitentiæ, quia in illo non fuit imperfectio, quam denotat pœnitentia.*

Vnde patet reſponſio ad 4. cùm ille actus ſpectet ad charitatem. Et ideo de Chriſto dicitur ad Epheſ. 2. *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, conuiuificauit nos &c.*

Ad 5. Nego conſequentiam, Primò

quia humanitas Chriſti fuit aſſumpta in inſtanti conceptionis, & ſtatim fuit in gratia confirmata, & dotata viſione beatifica, cum quibus eſt incompoſſibile peccatum. Deinde quia falſum, & impium eſt dicere, quòd potuerit aſſumi poſt peccatum retractatum. Si enim Verbum non paſſum eſt ullum peccatum, etiam originale in ſua genitrice, quantò minùs tolerasset in natura aſſumpta? Et demum quia quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit, neque eſt dimiſſurum, quod aliqui dicunt etiam de poſſibili, cùm videatur Deum dedecere, quòd priuet filiatione naturali naturam aſſumptam, ita ut redeat ad ſeruitutem propriam ſpeciei, ut probamus in tract. de incarnatione.

Ad 6. Nego minorem. Quamuis enim naturæ humanæ Chriſti ſecundùm ſe, non repugnet pęnitentiæ virtus, tamen repugnat ut aſſumptæ. Et quia ſtatus aſſumptionis eſt perpetuus, ideo illi ſimpliciter repugnat.

ARTICVLVS IX.

An ſolum peccatum actuale proprium ſit obiectum materiale huius virtutis?

VIdetur non eſſe, primò quia etiam peccatum originale eſt obiectum pęnitentiæ, ut docet Suar. hic diſp 2. ſec. 1. n.

1. n. 13. Fundamentum eius eſt, quia peccatum originale eſt quoddam peccatum habituale. Hoc autem ſpectat ad pœnitentiam, ad quam ſpectat omnis læſio iuris diuini, ſiue vitanda, ſiue reparanda. Ergo etiam originale. Maior eſt certa, quia originale non perſeuerat in nobis, niſi ſecundùm reatum pęnæ, & maculam, ſicut perſeuerat quodlibet aliud peccatum habituale. Minor probatur, quia peccatum actuale ſe ipſo perit. Ergo non eſt opus pęnitentia, ad illud deſtruendum. Vnde ſequitur, pęnitentiam eſſe aduersùs peccatum habituale.

2. Videtur quòd etiam peccatum alienum ſit obiectum pęnitentiæ, ut idem docet ibid. n. 9. Ratio ipſius eſt, quia actus pęnitentiæ non ſolùm ſunt triſtitia, quæ verſatur circa malum præſens, hoc eſt circa peccatum commiſſum, & propoſitum illud in poſterum cauendi, quod eſt fuga de malo abſenti, quod futurum timetur, ſed etiam odium, & deteſtatio illius, quæ verſantur præcisè circa malum vt tale, cum abſtractione à præſentia, vel abſentia. Sed ratio mali tàm inuenitur in peccato proprio, quàm in alieno. Ergo eadem virtus, quæ illud odit in proprio ſubiecto, odit etiam in quocumque alio. Sicut enim honeſtas propria virtutis eſt illi amabilis, ubicumque ſit, ita & malum, ſeu inhoneſtas oppoſita eſt illi odibilis in

quocumque ſit.

3 Etiam malum pęnæ ſpectat ad eius obiectum, ut idem docet ibid. n. 14. Ratio eſt, quia ſicut iuſtitia, quæ reſidet in voluntate, verſatur circa actiones externas, quas vult, ut iuſtè operetur, ita & pęnitentia reſidens in voluntate, ut prò offenſa Deo ſatisfaciat, vult internas afflictiones, & dolores, quatenùs ſunt ſubiecto pęnales. Præterea eadem virtus, quæ intendit finem, vult media ad illum conducentia. Sed malum pęnæ eſt utile, ad compenſandum Deo prò offenſa, quod ut finis intenditur à pęnitentia. Ergo eſt volitum per modum obiecti à pęnitentia.

4 Etiam imperfectio moralis videtur eſſe obiectum pęnitentiæ. Ratio eſt, quia poteſt eſſe materia virtutis pęnitentiæ, quod eſt materia ſacramenti. Sed imperfectiones morales poſſunt eſſe materia Sacramenti pęnitentiæ, quia defacto multi viri ſancti illas confitentur, & exponunt clauibus cum dolore, & rubore. Ergo poſſunt eſſe etiam materia pęnitentiæ virtutis.

Concluſio, *ſola peccata actualia propria, ſiue læthalia, ſiue venialia, ſunt obiectum proprium materiale adæquatum pænitentiæ, quamuis indirectè attingat plura alia.*

Probatur, illud eſt obiectum materiale proprium pęnitentiæ, circa quod verſatur,

Digitized by Google

tur, non ſolùm ut illud omninò deſtruat ; ſed etiam ut prò illo ſatisfaciat, & ponat compenſationem. Sed huiuſmodi non eſt, niſi peccatum actuale proprium. Ergo hoc ſolum eſt eius obiectum materiale proprium adæquatum. Maior patet, ex definitione pęnitentiæ, quæ dicitur, habitus diſponens hominem ad deteſtandum, & deſtruendum peccatum, quod commiſit, & ad ſatisfaciendum prò diuina offenſa. Probatur minor, quia (ut ſupra dictum eſt) peccata, quæ non fuerunt in noſtra poteſtate, cuiuſmodi ſunt aliena, & originale, poſſunt quidem ex motiuo charitatis, vel religionis, excitare ad ſui odiũ, & deteſtationem, & aliquando etiam ad ſatisfactionem, ut accidit Chriſto Domino, non tamen ex motiuo pęnitentiæ, quæ cùm primariò diſponat ad retractationẽ actus praui, neceſſariò dicit identitatem ſui ſubiecti cum ſubiecto peccati. Quamuis enim aliquis multa patiatur, in compenſationem peccati alterius, non tamen illius pęnitet, quia non poteſt illud retractare, ut meliùs patebit obiectionum ſolutione.

Quod autem verſetur circa omne peccatum actuale, probatur, quia peccato læthali tollitur amicitia Dei, cuius reſtitutionem amat pęnitentia: & veniali læditur æſtimabilitas bonitatis hominis, quę læſio, ſeu diminutio trahit ſecum dilatio-

nem beatitudinis ſupernaturalis. Sed amans odit totum illud, quod tollit, vel impedit poſſeſſionem amati. Ergo pęnitentia, quæ intendit recuperationem diuinæ amicitiæ, ipſiuſque Dei poſſeſſionem, odit, & deteſtatur utrumque peccatum.

Ad 1. Nego minorem. Et ratio eſt, quia pęnitentia non poteſt excitare pęnitentem ad dolendum, niſi de eo, quod fuit in eius poteſtate non facere, cuiuſmodi non eſt originale. Ergo non poteſt de illo dolorem excitare. Reſpectu autem Adæ, quia fuit eius primum peccatum actuale, quod potuit non facere, eſt obiectum pęnitentiæ. Quòd ſi replices, ſpectare ad aliquam virtutem, quòd inimicus Dei per originale, redeat ad eius amicitiam, dico, hoc eſſe proprium alterius virtutis innominatæ magis uniuerſalis, de cuius ratione ſit placare Deum, & auertere effectum peccati alieni, quomodocumque nobis nocentis, vel potentis nocere.

Dices, admiſſa huiuſmodi virtute innominata, non remanet neceſſaria pęnitentia, quia illa ſola ſufficeret contra omne peccatum. Ergo vel non eſt admittenda hæc virtus, vel ſuperflua eſt pęnitentia.

Nego antecedens, quia retractatio actus proprij inuoluit ſpecialem difficultatem, quæ ſuperari non poteſt ab illo habitu generali, placandi Deum offenſum

alieno peccato, nobis imputato, vel imputabili, in quo non eſt ſpecialis difficultas. Ergo debet ſuperari à ſola pęnitentia.

Ad 2. Nego maiorem propter nuper traditas rationes. Odium ergo, & deteſtatio peccati, non ſpectant ad habitum pænitentiæ, niſi inuoluant actus retractationem, quæ cum non poſſit cadere ſupra peccatum alienum, non facit, hos actus ſpectare ad habitum pęnitentiæ; & ideo meliùs reducuntur ad habitum charitatis, vel alium magis vniuerſalem innominatum.

Ad 3. Dico, triſtitiam pęnitentis eſſe vel actum, vel effectum pęnitentiæ. Nam ſi ſit in voluntate, eſt eius actus elicitus, cuius pęnalitas reflexè amatur ut medium ad ſatisfactionem, ſicut amatur ipſe actus triſtandi, ſeu dolendi. Si verò ſit in appetitu ſenſitiuo, eſt effectus doloris, quo voluntas ſponte cruciatur. Ergo neutro modo eſt obiectum pęnitentiæ. Quare corruit utraque ratio Suarij.

Ad 4. Nego minorem. Et dico, viros ſanctos confiteri imperfectiones morales, vel quia dubitant, illas eſſe peccata, ſaltem venialia; vel quia timent, nè cum illis irrepſerint venialia; vel ut clariùs confeſſario ſuæ animæ ſtatum patefaciant; vel demum ut exerceant actus ruboris, & humilitatis. Et hæc eſt ratio, cur confeſ-

ſarij docti, & prudentes, in huiuſmodi caſibus, ſoleant pęnitentes adigere ad confitenda alia peccata venialia, quæ illis redigunt in memoriam per frequentes interrogationes, vel ſaltem ad repetenda peccata aliàs confeſſa, ut habeatur materia ſufficiens ad abſolutionem.

ARTICVLVS X.

An obiectum formale pænitentiæ ſit expiatio peccati, & reparatio diuinæ offenſæ? Vbi de actibus pænitentiæ.

VIdetur non eſſe, primò quia pęnitentia ut virtus deteſtatur peccatum ſub quacumque ratione, ſub qua illud deteſtantur omnes aliæ virtutes. Ergo non habet propriam, & formalem rationem ſpecificam, quæ habeat reſpectu illius, rationem obiecti formalis, ut docent Scotus in 4. d. 14. q. 1. & Maior ibid. q. 3. ſed tendit in peccatum, ſub aliqua ratione communi omnibus virtutibus.

2. Virtus pœnitentiæ non diſtinguitur à ſacramento. Ergo ſicut hoc non attingit peccatum ſub ratione aliqua ſpeciali, ita neque virtus. Antecedens probatur, quia præter conuenientiam nominis, & finis, conueniunt etiam in eſſe neceſſaria per modum pharmaci, ad delenda peccata actualia læthalia, & ideo de

utra-

Digitized by Google

utraque dicitur, quòd ſit ſecunda tabulæ poſt naufragium, ut habetur in Trid. ſeſſ. 6. c. 14. Vnde ſequitur quòd conueniant, etiam in obiecto materiali, quod ſunt peccata, & in hoc quòd poſſint iterari, prout iterantur peccata.

Concluſio, *obiectum formale virtutis pęnitentiæ eſt expiatio peccati, & reparatio diuinæ offenſæ per eius deteſtationem, & quaſi compenſationem.*

Probatur ex dictis ar. 3. Obiectum formale eſt illud, per quod virtutes ſpecificantur in eſſe tales. Sed virtus pœnitentiæ per hoc ſolùm ſpecificatur ab alijs, quòd verſetur circa peccatum, quatenus eſt diuina offenſa, ut expiabilis per deteſtationem, & ſatisfactionem. Ergo eius obiectum formale motivum, & ſpecificativum, eſt expiabilitas peccati, quatenus eſt diuina offenſa, reparabilis per deteſtationem, & ſatisfactionem. Conſequentia eſt euidens. Maior patet ex definitione. Minor fuit probata loco citato. Ergo vera doctrina.

Ad 1. Nego antecedens, cuius falſitatem probauimus, cum ſtatuimus, pęnitentiā eſſe virtutem ſpecialem, quod non eſſet, ſi attingeret peccatum ſub quacumque ratione, ut bene probat Scotus, qui ex hoc ſuppoſito, concludit, illam eſſe virtutem generalem.

Ad 2. Nego antecedens. Ad cuius pro-

bationem admitto, quòd hæc virtus conueniat in aſſignatis cum Sacramēto. Quia tamen differt in multis alijs, ideo ab illo diſtinguitur. Quòd autem differat, probatur, nam virtus conſtituitur in genere actus, vel habitus; Sacramentum autem in genere ſigni, ut probamus in trac. de Sacramentis in genere. 2. Virtus eſt actus, vel habitus interior, & ideo inſenſibilis; Sacramentum autem eſt quid ſenſibile per actus externos, non quòd non includat etiam actus internos pęnitentis, ſed quòd non poſſit perfici ſine aliquo actu externo, immò etiam ipſi actus interni pęnitentis debent fieri ſenſibiles, ut conſtituant Sacramentum, ut dicemus ſuo loco. 3. Virtus eſt pars Sacramenti quoad ſuos actus; Sacramentum verò conſtat ex actibus pęnitentis, tamquam materia proxima, & abſolutione Sacerdotis, tamquam forma. 4. Sacramentum confert gratiam ex opere operato, ut cauſa efficiens, actus verò virtutis ex opere operātis, ut diſpoſitio ad gratiam. Demum Sacramentum fuit inſtitutum à Chriſto; Virtus autem ſemper fuit. Ergo non ſunt unum, & idem.

Dices, in ar. 8. ad 2. dictum eſt, fidem, ſpem, timoremque eſſe actus pęnitentiæ. Sed hi non habent pro obiecto formali expiationem peccati, & reparationem diuinæ offenſæ. Ergo vel hi actus non ſunt pęnitentiæ, vel hæc non habet hoc obie-

ctum

ctum formale.

Reſpondeo, obiectum formale correſpondere actibus elicitis, non autem præparatoriis, & imperatis. Timor ergo, fides, & ſpes non ſunt actus eliciti à pęnitentia, & ideo non debent moueri ab hoc obiecto formali. Quòd autem illi actus ſint neceſſarij, ad hoc ut voluntas diſponatur ad veram pęnitentiam, probatur. Et primò de fide, fides eſt ſalutis initium, & primus actus interueniens in voluntaria iuſtificatione impij. Ergo niſi pœnitentia ſit ex fide, non eſt vera pœnitentia, hoc eſt actus ſupernaturalis conducens ad iuſtificationem. Nomine autem fidei prò nunc intelligo pium affectum credendi, poſt ſufficientem propoſitionem credibilitatis rerum fidei, & obligationem agnitam credendi ſine formidine. An autem poſſit abſolutè loquendo elici actus ſupernaturalis pęnitentiæ, præſuppoſita ſolùm cognitione naturali, videbitur ſuo loco. Cum fide eſt neceſſaria etiam ſpes, quia ſine ſpe veniæ, non poſſet pęnitens deteſtari peccatum, ut expiabile per ſatisfactionem. Ergo non poſſet haberi ullus actus veræ pęnitentiæ.

Eſt etiam neceſſarius timor ſeruilis, quia nullus peccator poteſt velle Deo reconciliari, niſi illum timeat, & ideo dicitur Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui ſine timore eſt, non po-*

terit

terit iuſtificari. Nomine autem timoris, non intelligo paſſionem illam naturalem, qua quis eſt animi abiecti, & timet pericula: neque illum, qui prouenit ex metu pœnarum, ſeu malorum huius mundi, nullatenus excludente peccatum, quod taliter timens non refugit, dummodo poſſit euadere hæc mala temporalia, nihil cogitans de æternis. Nam primus eſt puſillanimitas, nullam dicens moralitatem, & ſecundus eſt ſimpliciter malus. Loquor ergo de timore ſeruili cum ſeruilitate, hoc eſt de illo, quo peccator retrahit ſe à peccatis, non quia Deum offendant, ſed quia timet eius æternam punitionem, quo præciſo reſpectu, peccaret. Non quòd ſimpliciter, & abſolutè cum hoc timore, retineatur affectus ad peccatum, hoc enim ut malum fuit damnatum à Tridentino ſeſſ. 14. c. 4., ſed ſolùm ex ſuppoſitione conditionali, quòd hæc actio non ſit vetita. Dico ergo, taliter timentem eſſe quidem affectum ad talem actionem materialem peccati, quam utique vellet, ſi eſſet licita, & quam proinde vellet eſſe licitam, ut illam faceret, quia tamen videt illam vetitam ſub pœna inferni, ob metum talis pœnæ, & quia videt, fieri non poſſe, ut fiat licita, ideo illam non vult, immò illam ſimpliciter odit, ut allatiuam talis pœnæ. Cum autem diximus, eſſe neceſſarium timorem ſeruilem, non excluſimus alium

ti-

Digitized by Google

timorem perfectiorem, prouenientem ex charitate, quo timetur peccatum, non præcisè ut punibile, ſed & principaliùs ut offenſivum diuinæ bonitatis, qui iure dicitur filialis, & adſummum ſeruilis, abſque ſeruilitate; hunc enim eſſe ſufficientem, euidenter probabimus, cum agemus de contritione. Accepimus ergo neceſſitatem cumulatiuè, non autem priuatiuè, hoc eſt quòd ſaltem ſit neceſſarius timor ſeruilis.

Inſuper eſt neceſſaria agnitio erroris. Neque enim poteſt excitari dolor de culpa, non cognita ut tali, & ſaltem ut iuſtè punibili pœna æterna; & multò minùs poteſt timeri ipſa pœna æterna, niſi cognoſcatur ipſius cauſa meritoria, & punibilitas. Ergo cùm ſint neceſſarii metus, & dolor, eſt etiam neceſsaria cognitio culpæ.

Demum requiritur etiam odium de peccato, cum voluntate priùs inefficaci, & deinde etiam efficaci conuerſionis. Probo primum, quia non verè dolet de facto, qui illud non odit, ut dictum eſt. Probo ſecundum, quia dolor, & deteſtatio facti non ſunt veri, niſi procedant ex voluntate facti emendatiua. Quis enim dicat, furem deteſtari furtum commiſſum, ſi habeat animum illud continuandi? Hæc autem voluntas, ut eſt actus præparatorius, non debet eſſe talis, ut eodem momento conuertatur, quia hæc eſt quidem perfe-
ctior,

ctior, ſed eſt actus elicitus, ut patebit. Ergo ſufficit, quòd ſit inefficax. Probo tertium, quia qui tantùm vult inefficaciter conuerti, non tranſit ad actum ſecundum pœnitentiæ, ſed ſiſtit in eius actu primo præparatorio. Ergo ad hoc ut eliciat actum ſecundum perfectæ pœnitentiæ, debet velle efficaciter conuerti, & de facto conuerti, ſe proximè diſponendo ad actus contritionis, & charitatis, qui ſunt actus imperati à pœnitentia. Totum hoc elicitur ex Tridentino ſeſs. 6. c. 6., ubi dicitur, *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dùm excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes, vera eſſe quæ diuinitùs reuelata, & promiſſa ſunt; atque illud inprimis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & dùm peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandum Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum, propitium fore, illumque tamquam omnis iuſtitiæ fontem, diligere incipiunt; ac propterea mouentur aduersùs peccata, per odium aliquod, & deteſtationem &c.*

Supereſset nunc agere de contritione, & cauſalitate pœnitentiæ, deque multis alijs, quæ ſpectant ad hanc virtutem. Sed quia ſunt indiuiſa ab ijs, quæ ſpectant ad

Sa-

Digitized by Google

Sacramentum, & vix intelligi poſsunt ab illo ſeparata, ideo clariùs, & fructuoſiùs tractabimus, agentes de Sacramento.

DISPVTATIO SECVNDA

DE POENITENTIA Sacramento.

INcipientes quæſtiones de ſacramento pęnitentiæ, illas diuidimus in quinque veluti claſſes, in quarum prima continentur illæ, quæ ſpectant ad exiſtentiam, inſtitutionem, & neceſſitatem talis ſacramenti: in 2. illæ, quæ agunt de eius partibus: in 3. quæ agunt de miniſtro: in 4. quæ agunt de ſubiecto, ſeu pęnitentibus. Et in 5. quæ verſantur circa eius cauſalitatem, & effectum. In hac ergo prima diſputatione, quæ ſecundùm ordinem eſt ſecunda, aduersùs errores hęreticorum, quattuor reuocabimus in controuerſiam. Primum eſt, an detur in Eccleſia facultas

re-

remittendi peccata commiſsa poſt baptiſmum? 2. An Eccleſia id faciat per ſacramentum propriè dictum? 3. An hoc ſacramentum ſit diuerſum à baptiſmo? Et 4. An fuerit in lege veteri?

ARTICVLVS PRIMVS.

An detur in Eccleſia facultas remittendi peccata commiſſa poſt baptiſmum, per modum iudicij extrinſeci?

VIdetur non dari, ut opinatus eſt Montanus cum ſuis, qui dicebat, lapſos poſt baptiſmum, nullum poſse recipere remedium ab Eccleſia, quo Deo reconcilientur, ut videre eſt penès D. Hyeronimum ep. 54. ad Marcellam. Quibus etiam adhęſere Nouatiani apud Socratem lib. 4. hiſt. c. 23. Cyprianum lib. 2. ep. 4. & Ambroſium lib. 1. de pęnit. c. 2. quamuis hi paulatim receſſerint à rigore maiorum, admittendo videlicet iudiciariam potestatem, dimittendi venialia, quam negabant prò mortalibus. Eorum fundamenta ſumuntur ex epiſtola D. Pauli ad Hebræos.

Primò quia c. 6. dicitur, *impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pęnitentiam, rurſus cruci-*

cifi-

Digitized by Google

ciſigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Ex quò deducunt, prolapſos poſt baptiſmum, non poſſe ab Eccleſia iudicialiter ad pœnitentiam vocari, & per ipſam renouari ad ſtatum reconciliationis cum Deo.

2 Cap. 10. dicitur, *voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur prò peccatis hoſtia; terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios*. Ergo in Eccleſia datur quidem remedium, pro peccatis patratis ante baptiſmum, non autem pro alijs poſterioribus.

3. Eſt impoſſibile, quòd Chriſtus D. reliquerit ſtimulum ad peccandum, & impunitatem ante peccatum. Sed ſi reliquiſſet Eccleſiæ hanc facultatem, utrumque feciſſet, nam homines ex facilitate remiſſionis, allicerentur ad ſcelera perpetranda. Ergo non reliquit hanc poteſtatem.

Concluſio, *Exiſtit in republica chriſtiana poteſtas remittendi peccata, non ſolùm venialia, ſed etiam læthalia, commiſſa poſt baptiſmum, per modum iudicij reconciliatiui hominem cum Deo*. Eſt de fide.

Probatur 1. Ex Io. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Sed Chriſtus falſum dixiſſet, & decæpiſſet Apoſtolos, quibuscum loquebatur, ſi non daretur

hæc

hæc poteſtas. Ergo quia Chriſtus non poteſt mentiri, neque nos decipere, ipſi potiùs hæretici mentiuntur, & nos decipere conantur. Quare unanimiter aſſeritur à Theologis, per hæc verba tradidiſſe Apoſtolis, & ſucceſſoribus poteſtatem remittendi peccata, ut infra probabitur, quæ cùm numquam fuerit reuocata, perſeueret in Eccleſia.

2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. dicente, *Nouatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica, tamquam hæreticos expulit, atque condemnauit*. Ergo eſt de fide dari hanc poteſtatem.

3. Ex multis alijs locis ſacrorum codicum, ut 2. ad Cor. 5. ſub fin. *dedit nobis miniſterium reconciliationis*. Et infra, *poſuit in nobis verbum reconciliationis. Prò Chriſto ergo legatione fungimur*. Quæ verba intelligi de Sacramento pœnitentiæ, luculentiſſimè probat Bellarminus lib. 1. de pœnit. c. 10. Deinde Ezech. 19. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Item Luc. 13. initio, *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*, & ex plurimis alijs.

4 Ex Sanctis Patribus, quos longiſſimum eſſet recenſere, & quorum cenſum facilè ineas penes eumdem Bellarminum, alioſque authores. Nobis autem ſufficiant

pauci.

pauci. Ambroſius lib. 1. de pęnit. c. 7. ait, *cur baptizans, ſi per hominem peccata remitti non licet? In baptiſmo enim utique remiſſio peccatorum omnium eſt. Neque intereſt utrum per pęnitentiam, an per lauacrum hoc ius ſibi datum ſacerdotes vendicent ſibi; idem in utroque myſterio eſt.* Hyeron. lib. 1. con. Pelag. *Redimatur ſanguine Saluatoris, aut in domo baptiſmatis, aut in pœnitentia, quæ imitatur baptiſmatis gratiam.* Auguſtinus ep. 180. ad Honoratum, *Si miniſtri adſint, alij baptizantur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur.* Leo Papa ep. 91. ad Theodorum, *muttiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, ut non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ.* Et unanimiter loquuntur ſexcenti alij.

Ad 1. locum D. Pauli reſpondeo cum Chryſoſtomo, Bellarmino, Theophilacto, Oecumenio, Gonetto, aliiſque pluribus, Apoſtolum ibi loqui de renouatione, quæ fit per baptiſmi ſuſceptionem, quæ quia dicitur prima tabula poſt naufragium, ideo bene dicitur penitentia. Niſi velimus loqui de pęnitentia, quæ in adultis præcedit baptiſmum, ut dicitur in act. c. 2. *Pęnitentiam agite, ut baptizetur unuſquiſque veſtrum, in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Facit

ergo

ergo ſenſum, impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt renouati per baptiſmi ſuſceptionē, rurſus renouati ad pęnitentiam, hoc eſt iterum vocari ad pęnitentiam præambulam baptiſmo, ut iterum baptizentur, quod eſſet rurſum crucifigere filium Dei. Hoc autem colligitur ex illo verbo *renouari*, quod eſt proprium baptiſmi, cum per pęnitentiam homines purgentur, & reconcilientur, non autem renouentur propriè, ut obſeruat hic Bellarminus lib. 1. c. 13. Et hanc expoſitionem approbat, & promouet D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 10. ad 1. inquiens, *Ad quod excludendum,* nempe quòd ſicut poteſt iterari lauacrum corporis, ita iteretur lauacrum animæ) *Apoſtolus ſcribit Hebræis, quòd impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, ſcilicèt per baptiſmum, rurſum renouari ad pœnitentiam, ſcilicèt per baptiſmum, qui eſt lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti.*

Ad 2. Dico, Apoſtolum loqui in tali loco de morte Chriſti, qui obtulit ſemetipſum hoſtiam viuentem, ita ut fiat ſenſus, quòd voluntariè peccantibus, poſt acceptam notitiam veritatis, non relinquitur alia mors Chriſti, hoc eſt quòd Chriſtus iterum prò illis non morietur, ſed potiùs aduenict illos iudicaturus per ignem, in die finalis iudicij, niſi pœnitentia deleuerint peccata.

Ad

Ad 3. Nego minorem. Ex eo enim quòd Deus reliquit remedium facile prò peccatis, non proinde dedit ſtimulum ad peccandum, ſed potiùs ad non perſeuerandum in peccato, à quo facile poſſit recedere peccator, per receptionem gratiæ Sacramentalis, qua fortiùs poſſit reſiſtere tentationibus, & vincere tentatores. Multò minùs dedit impunitatem ante peccatum, primò quia eſt paratus ad illud puniendum, niſi per pęnitentiam deleatur. Et deinde quia nemo poteſt ſibi certò promittere tale remedium, cùm poſſit vel ob defectum miniſtri, vel mortem improuiſo ſuperuenientem fruſtrari tali remedio. Quòd autem fuerit expediens, dari hoc remedium, probatur ex eo, quòd ſtante procliuitate hominum ad peccandum, proueniente ex naturæ fragilitate, vitiatæ per peccatum originale, omnes, vel ſaltem plerique perirent, niſi daretur in Eccleſia aliquod efficax medium reconciliationis cum Deo, quod facilè poſſet iterari, quoties vellent homines à peruerſitate recedere. Aliter fruſtranea redderetur Chriſti paſſio, & diuina prouidentia, ordinis ſupernaturalis, deficeret in neceſſarijs. Hoc autem medium non poteſt eſſe baptiſmus, qui non poteſt iterari. Ergo debuit dari pęnitentia ad libitum iterabilis. Quòd autem hæc ſit Sacramentum, & diſtinctum à baptiſmo, mox videbitur.

A R.

ARTICVLVS II.

An medium ſenſibile reconciliationis, quod dicitur pęnitentia, ſit verum Sacramentum?

VIdetur non eſſe, ut contenduñt Nouatiani, Montaniſtæ, Zuingliani, Caluiniſtæ, cum Kemnitio, Beza, aliiſque huiuſmodi catholicæ veritatis oſoribus. Primò quia omne Sacramentum eſt viſibile, ut docet Aug. ſerm. de baptiſmo ad infantes, & lib. 2. q. vet. teſtam. Sed pęnitentia non eſt viſibilis. Ergo non eſt Sacramentum.

2. Omne Sacramentum conſtat ex aliquo elemento, ut patet in baptiſmo, criſmate, Euchariſtia, Extrema vnctione &c. in quibus interueniunt reſpectiuè aqua, balſamum, vinum, oleum &c. dicente Auguſtino trac. 80. in Ioa. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Sed in pęnitentia nullum interuenit elementum. Ergo non poteſt eſſe Sacramentum. Et hoc argumentum niſum authoritate Auguſtini, tanti fit ab hæreticis, ut Martinus Kemnitius in trip. exam. Conc. Trid. illud vocet penitùs inſolubile.

3 In lege veteri dabatur pęnitentia. Sed hæc non erat ſacramentum, ut definitur à Tridentino ſeſſ. 14. c. 1. Ergo neque

que eſt ſacramentum in lege noua, in qua non poteſt eſſe magis neceſſarium hoc ſacramentum, quàm in veteri.

Prò reſolutione notandum eſt, hìc nomine pęnitentiæ non intelligi mentis conuerſionem ad Deum, vel ſolam internam peccati deteſtationem, ſed illam cui accedãt externa ſigna męroris, lachrymarum, confeſſionis, &c. quæ iudicialiter Sacerdoti manifeſtatur, & quærimus, an hæc pęnitentia per acceſſum abſolutionis, eleuetur ad rationem ſacramenti?

Concluſio, *Pœnitentia, quatenus dicit medium ſenſibile reconciliationis cum Deo, per dolentem confeſſionem, & ſacerdotalem abſolutionem, eſt veriſſimum ſacramentum.*

Probatur 1. ex Tridentino ſeſſ. 14. can. 1. *Siquis dixerit, in catholica Eccleſia, pœnitentiam non eſſe verè, ac propriè ſacramentum prò fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, anathema ſit.* Et ſeſs. 7. can. 1. *Siquis dixerit, ſacramenta nouæ legis eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, videlicèt baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pęnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, ac propriè ſacramentum, anathema ſit.*

2. Idem definitur à Florentino, in decreto unionis, ſub Eugenio IV, & patet expreſsè ex cathechiſmo Romano p. 2. c.

5. n. 11. & 12; & ex communi ſenſu totiu Eccleſiæ. Ergo oppoſitum dicere eſt hæ reticum.

Ad 1. Nego minorem, cùm multa ſin viſibilia in hoc ſacramento, ut manuum impoſitio, pœnitentis genuflexio, ſtatu humilis, lachrymarum profuſio, tunſio pectoris &c. quæ licèt non ſint ſacramenti conſtitutiua, tamen ſunt illius manifeſta tiua. Ad Auguſtinum dico, ab illo ter minum *viſibile* confundi in tali loco cum *ſenſibili*, iuxta communem definitionem ſacramenti ut ſic, *ſignum ſenſibile inſenſi bilis gratiæ*; ut patet ex citato ſermone eiuſdem, in quo ait, *ſacramentum ideo di citur, quia aliud videtur, aliud intelligi tur. Quod videtur, ſpeciem habet corpora lem, quòd intelligitur, fructum habet ſpiri tualem*, ubi quòd videtur, explicat per cor poreum, quod comprehendit omne ſenſi bile; aliter non bene explicaſſet ly *quod videtur*.

Ad 2. Dico, Auguſtinum in tali loco loqui de ſolo baptiſmo, ut patet ex ipſo textu, ubi dicitur, *detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*. Et ideo ibid. obſeruat, à Chriſto D. nō dici Apo ſtolis, *mundi eſtis propter baptiſmum, ſed propter verbum, quod locutus ſum vobis, niſi quia & in aqua verbum mundat*. Ex quo infert, formam baptiſmi eſſe verba, &

ma-

materiam eſſe aquam, eleuatam ad producendam gratiam. Præterquamquòd licèt dictum Auguſtini extenderetur ad omne ſacramentum, non tamen per ly *elementum* poſſet intelligi quod eſt propriè, & rigorosè tale; aliter neque euchariſtia, neque criſma, immò nec unctio extrema eſſent ſacramenta, cùm primum includat vinum, ſecundum balſamum, & tertium oleum. Ergo non potuit ab Auguſtino requiri prò omni ſacramento, elementum ſimile aquæ. Hoc enim non poſſet ſaluari in ſimilitudine ſecundùm ſpeciem, ſeu genus proximum, nam omnia conſtarent ex aqua, vel ſaltem ex puris elementis, quatenus ſunt corpora ſimplicia, excluſis oleo, vino, & balſamo, quæ ſunt miſta. Ergo ſimilitudo eſſet ſolùm attendenda, ſecundùm aliquod genus remotum, nempe corporis, vel rei ſenſibilis, ex parte materiæ, cuiuſmodi ſunt panis, vinum, oleum, balſamum, quæ ſunt corpora ſenſibilia, ſicut aqua. Hanc autem ſenſibilitatem non deeſſe ſacramento pœnitentiæ, patet, non ſolùm ex dictis, ſed etiam ex dicendis, cum agemus de eius partibus.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ non bene deducitur ex præmiſſis particularibus. Potuit ergo eſſe una pœnitentia in teſtamento veteri, quæ non eſſet ſacramentum, & in nouo eſſe alia, quæ ſit ſacramentum. Ad paritatem neceſſitatis

reſpoudebimus ar. 4., cum agemus e
profeſſo de hoc. Prò nunc ſufficiat, po
tuiſſe Chriſtum D. ſpecialibus fauoribu
decorare ſuam Eccleſiam, quibus non fue
rat decorata Synagoga. Neque enim ul
Hebræorum fuit umquam à Deo dictum
quorum remiſeris peccata, remittuntur ei
Ergo non eſt par ratio.

ARTICVLVS III.

An ſacramentum pœnitentiæ ſit diuerſum à baptiſmo?

VIdetur non eſſe, ut garriunt plures hæreticorum. Siquidem Lutheru ex uno ſemper errore prolapſus in alium, poſtquàm irritos conatus adhibuit in ſa cramentum pœnitentiæ, tandem in lib. de capt. Babyl. c. de baptiſmo, ſemper ſibi repugnans, illud non diſtinguit à ſacra mento baptiſmi. Et ideo reprehendit D. Hyeronimum, quòd penitentiam vocaſſe ſecundam tabulam poſt naufragium, cùm eius iudicio, non ſolùm baptiſmus ſit ſuf ficiens tabula, ad liberandum à peccati commiſſis ante ipſum, per veram, & rea lem ſuſceptionem ipſius, ſed etiam ad li berandum à poſterioribus, per eius repe titionem ſecundum memoriam, dummo dò accedat fides, quòd Deus per illum ſi remiſſurus talia peccata. Vnde Philip pus

pus Melancthon eius auditor in trac. de
pen. infert, poteſtatem clauium à ſolo ba-
tiſmo pendere, eiuſque vim ſe extende-
e ad peccata totius vitæ. Quibus conci-
nit Caluinus lib. 4. inſt. c. 19. cum Ke-
nnitio, & pluribus alijs eiuſdem farinæ
ſectarijs, qui omnes pertinaciter dicunt,
vel penitentiam non eſſe ſacramentum,
vel eſſe unum, & idem cum baptiſmo.
Probant autem.

1. Baptiſmus eſt de ſe ordinatus ad de-
enda peccata. Ergo non requiritur aliud
ſacramentum, quod eſſet fruſtraneum.
Probant conſequentiam, quia licèt ba-
ptiſmus ſit phyſicè tranſactus, tamen mo-
raliter perſeuerat quoad ſubſtantiam, &
phyſicè quoad caracterem. Ergo adhùc
poteſt delere peccata, ſicut poteſt valor
paſſionis Chriſti.

2. Aug. in lib. de nupt. & concup. c.
33. ait de baptiſmo, *lauacro regeneratio-
nis, non tantùm peccata præterita, ſed etiam
poſteriùs admiſſa remittuntur*. Ergo vir-
tus baptiſmi extenditur etiam ad peccata
baptizatorum, ſi applicetur per memo-
riam illius. Et hæc eſt ratio, cur Lucæ 3.
confundatur baptiſmus cum penitentia,
*venit prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in
remiſſionem peccatorum*.

Concluſio, *Pœnitentia eſt ſacramen-
tum nouæ legis diſtinctum realiter à baptiſ-
mo*. Eſt de fide.

Probatur 1. ex Tridentino ſeſſ. 14. can. 2. ubi dicitur, *Siquis ſacramenta confundens, ipſum baptiſmum pœnitentiæ ſacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo ſacramenta diſtincta non ſint; atque adeo pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.* Ergo negare hanc diſtinctionem, eſt hæreſis manifeſta.

2. Hæc ſacramenta differunt in omnibus eſſentialibus, ut fusè recenſet Tridentinum ſeſſ. 14. c. 2. Ergo non ſunt unum, & idem. Conſequentia eſt euidens, cùm ſit impoſſibile, dari unitatem identitatis, ubi datur pluralitas quidditatum. Antecedens probatur, nam primò differunt in materia, & forma, ut patet. 2. In miniſtro, cùm baptiſmus conferri poſſit ab omnibus, etiam fęminis; pęnitentia verò à ſolo ſacerdote, ut videbimus infra. 3. In ſubiecto, cùm baptiſmus conferatur infideli, pęnitentia verò ſoli fideli. 4. In modo, cum hæc procedat per modum iudicij, ille autem per modum beneficij. 5. in effectu, cùm ille in bene diſpoſito inducat nouam, & perfectam regenerationem, delendo omnia peccata, quoad utrumque reatum culpæ, & pænæ; hæc autem hoc non efficit, niſi magnis fletibus, & conatibus pœnitentis, ut ibi loquitur Tridentinum, & ideo plerumque abſoluto à reatu culpæ, relinquit reatum pænæ temporalis.

alis. Ergo differunt in eſſentialibus.

Vnde patet, falſum eſſe, quod aſſerunt hæretici, nempe ſufficere memoriam baptiſmi, ad delenda peccata illo poſteriora. Primò quia omnes deberent in ętate adulta baptizari, ut illius poſſent recordari, quod faueret Anabaptiſtis, & nullus baptizatus perire poſſet, cùm ſit ferè impoſſibile, quòd aliquis in neceſſitate conſtitutus moriendi, vel nolit, vel non poſſit baptiſmi recordationem habere, qua ſola iuſtificetur.

Deinde quia ita ſe habet baptiſmus in lege Chriſti, ad delenda peccata, ſicut ſe habuit circumciſio in lege Moyſis. Sed circumciſio non poterat per ſui memoriã extendi, ad delenda peccata circumciſorum. Ergo neque baptiſmus ad peccata baptizatorum. Atque adeo ſicut circumciſi delebant ſua peccata per ſacrificia, hoſtias propritiatorias, expiationes, & alia in tali lege præſcripta ad hunc finem, ut videre eſt in Leuitico c. 4. 5. & 6. ita baptizati debent ſua peccata delere per ſacramentum pęnitentiæ, diſtinctum à baptiſmo, ad hoc deſtinatum, ut apertè colligitur ex epiſt. 1. Ioan. cap. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra: & emundet nos ab omni iniquitate.* Et Lucæ 13. initio, *niſi penitentiam habueritis* (vel *egeritis*, ut vertit Tridentinum ſeſſ. 14. c. 1.)

1.) *omnes ſimiliter peribitis*. Quod fuit etiam præuiſum, & indicatum ab Ezech. c. 18. ſub fin. *Conuertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*.

Ad 1. Dico, baptiſmum eſſe per ſe ordinatum ad ſolius deletionem originalis, & ſolùm per accidens extendi etiam ad actualia, ſi quæ ſunt. Illa verò, quæ fuerunt patrata poſt ipſum, non poſſunt per ipſum deleri; aliter delerentur per id, quod non eſt. Neque obſtat, quòd baptiſmus remaneat, ſecundùm characterem; ſiquidem cùm hic detur ad ornatum, non habet vim delendi peccata; aliter cùm ſemper detur, baptizati haberent impunitatem, ante peccatum, quod vergeret in perniciem baptizatorum. Nec valet paritas paſſionis Chriſti, primò quia hæc fuit infiniti valoris, quod non habet baptiſmus. Et deinde quia non delet peccata, niſi applicetur. Applicatio autem non fit per ſolam eius memoriam, ſed per confeſſionem, & abſolutionem, ut conſtituentes ſacramentum pęnitentiæ, quod etiam hinc arguitur, eſſe ſpecialiter inſtitutum, ad delenda peccata baptizatorum, non quidem ſecundùm eius memoriam, ſecundùm quàm nullum ſacramentum operatur, ſed ſecundum realitatem.

Ad 2. Dico 1. mentem Auguſtini eſſe expiſcandam ex verborum contextu, quæ

vſurpauit in tali loco, & alibi. Cùm ergo poſt verba aſſignata, ſubdiderit, *quid enim prodeßet, vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet?* euidenter colligitur, iuxta eius mentem, baptiſmum eſſe quidem cauſam radicalem, & fundamentum remiſſionis omnium peccatorum, etiam poſt ipſum commiſſorum, non tamen eſſe cauſam proximam, quam ait eſſe ſacramentum pœnitentiæ ut clarè colligitur ex ep. 23. in qua docet, *ſi parvulus baptizatus grandævus factus propria incœperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione* (hoc eſt baptiſmo) *ſed alia curatione* (hoc eſt pœnitentia) *reſarciri poſſunt*. Sicut ergo dixit, peccatum originale eſſe cauſam damnationis omnium, quia eſt prima radix omnium peccatorum; ita cum dixit, baptiſmo remitti omnia peccata, etiam ipſo poſteriora, voluit aſſerere, baptiſmum, ut ianuam omnium ſacramentorum eſſe primam radicem iuſtificationis, non excludendo principium proximum, quod eſt penitentia. Deinde utcumque explicetur Auguſtinus, certè conſequentia repugnat Tridentino ſeſſ. 7. can. 10. *Siquis dixerit, peccata omnia, quæ poſt baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti baptiſmi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit.* Ergo eſt hæretica,

adeoque non poteſt aſſeri, illam fundari in doctrina Auguſtini.

ARTICVLVS IV.

An ſacramentum pœnitentiæ fuerit in lege veteri?

VIdetur fuiſſe, Primò quia dicitur Num. 5. *Vir, ſiue mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum.* Vbi verſio hebraica addit, *quod fecerunt*, penès Bellarminum tom. 2. controu. 4. de pœni. c. 3. lib. 3. Secundò in Leuitico c. 5. dicitur, *Agat pænitentiam prò peccato*, quod hebraicè vertitur per eumdem ibid. *Et erit cum peccauerit in vno ex his, confitebitur apertè peccatum, quod peccauit.* Tertiò Ieremiæ 18. dicitur, *Si pœnitentiā ſuper malo &c.* 4. Eccleſ. 4. *Non confundaris confiteri peccata tua.* 5. Prouer. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea; miſericordiam conſequetur.* 6. Iſaiæ 43. *Narra ſiquid habes, ut iuſtificeris*, & plurima alia ſimilia, quæ habentur in veteri teſtamento. Sed hæc non poſſunt exponi, niſi de ſacramento pœnitentiæ, ut patet. Ergo hoc fuit in lege veteri.

Con-

Digitized by Google

Concluſio, *Sacramentum pœnitentiæ fuit ſolùm adumbratè in lege veteri, & potiùs materialiter, quàm formaliter.* Eſt D. Thomæ 3. p. qu. 84. art. 7. ad 2. Durandi in 4. d. 17. q. 8. ad 3. num. 12. Card. De Lugo diſp. 12. ſect. 1. n. 9. & eſt communis inter catholicos.

Probatur 1. ex Trid. ſeſs. 14. c. 1. in quo dicitur, *porrò nec ante aduentum Chriſti, pœnitentia erat ſacramentum, nec eſt poſt aduentum illius, cuiquam ante baptiſmum.* 2. Ratione deducta ex eod. ibid. Inſtitutio ſignificat nouitatem rei, quæ inſtituitur; id enim, quod eſt, non inſtituitur, ſed adſummum confirmatur, & renouatur. Sed Eccleſia docet in loco citato, Sacramentum pœnitentiæ fuiſſe à Chriſto D. inſtitutum, ut infra videbimus. Ergo non fuit in lege veteri. Vnde elicitur tertia ratio, In lege veteri non erat poteſtas clauium, per quam aliquis poſſet, & teneretur ſe ſubijcere clauibus per confeſſionem, & ſatisfactionem, cum ſpe conſequendi veniam, ex opere operato talis ſubiectionis, ſeu confeſſionis, accedente abſolutione Sacerdotis. Ergo quamuis pœnitentia potuerit eſſe utilis, & fortaſſe etiam præcepta quoad dolorem internum, ut dicitur Ioelis 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*, & quoad illam erubeſcentiam, quæ ſequitur ex manifeſtatione ſcelerum, humiliter

facta ſacerdoti, diſponente ex opere operantis ad contritionem, non tamen erat ſacramentum deletivum peccati.

3. In lege veteri nullum fuit verum ſacramentum. Ergo neque hoc. Antecedens fusè probatur in trac. de ſacramentis in genere. Prò nunc probatur ex Florentino, & Tridentino, quorum primum in decreto fidei, poſt ultimam ſeſſionem §. 5. ait, *Multum à ſacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; hæc verò noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Et ſecundum ſeſs. 7. can. 2. damnat dicentes, *ſacramenta nouæ legis non differre à ſacramẽtis antiquæ, niſi quia ſint diuerſæ cæremoniæ, & ritus.* Et can. 6. damnat dicentes, *ſacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, & eſſe tantùm ſigna externa acceptæ iuſtitiæ, & notas quaſdam chriſtianæ religionis*, ſubintellige, ſicut erant ſacramenta veteris legis, iuxtà communem theologorum expoſitionem, paſſim vocantium ſacramenta veteris legis cum D. Paulo ad Galat. 4. infirma, & egena, & alibi etiam egena elementa, quatenus nempe ex ſe, ſeu ex opere operato non poterant conferre gratiam, ſicut poſſunt noſtra, ſed ſolùm ex opere operantis, ut patebit in loco.

Ad

Ad loca ſcripturarum initio adducta; facilis eſt reſponſio, ſi dicatur, illa eſſe intelligenda de confeſſione materialiter ſumpta, quatenus videlicet per externam illam confeſſionem denotatur internus dolor, & ſcelerum deteſtatio, quibus peccator in lege veteri poterat diſponi ad iuſtificationem, ſeu ſaltem ad veniam impetrandam, mediantibus contritione, & fide Chriſti Redemptoris. Magnum enim præbet indicium contritionis, & ſcelerum deteſtationis, qui illa coram alio, ſiue in ſpecie, ſiue in genere, humiliter, & cum lachrimis confitetur. Hinc ergo non probatur, huiuſmodi pœnitentiam fuiſſe formaliter verum ſacramentum.

DISPVTATIO III.

De inſtitutione ſacramenti pœnitentiæ.

TRia hic reuocabimus in quæſtionem, nempe an, & quando fuerit inſtitutum à Chriſto Domino? & an fuerit congruenter inſtitutum?

ARTICVLVS I.

An ſacramentum pœnitentiæ fuerit inſtitutum à Chriſto Domino?

VIdetur non eſſe, Primò quia Montaniſtæ, Nouatiani, & plerique Græcorum ſchiſmaticorum (quibuſcum perperam Chriſoſtomus admiſcetur) aiunt, confeſſionem auricularem fuiſſe politicè inuentam à catholicis, ut tenerent in officio fideles, non autem à Chriſto D. ut fusè referunt, & confutant Hyeron. ep. 54. ad Marcellam, Cyprianus lib. 2. ep. 4. & Bellarminus lib. 1. de pœn. c. 9. in to. 2. controu. 4.

2. Confeſſio auricularis fuit ablata per Nectarium Patriarcam Conſtantinop. ut referunt Socrates, Sozomenus, Nicephorus, & Ruffinus, qui omnes dicunt, illum fuiſſe virum pietate conſpicuum. Idem fecit Chryſoſtomus eius ſucceſſor, qui hom. 4. de Lazaro poſt med. ſuper illud Iſaiæ, *dicito tu peccata tua*, inquit, *caue homini dixeris, nè tibi exprobret, ſed ei, qui dominus eſt, qui tui curam gerit; neque enim ignorat, etiamſi non dixeris*. Et idem confirmat hom. 2. in pſal. 50. *Peccata tua dicito, ut deleas illa. Si confunderis alicui dicere quæ peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conſeruo* tuo,

tuo, qui exprobet, dicito Deo, qui curat ea. Et nè videretur, id caſu, & imprudenter dixiſſe, idem confirmat hom. 21. in ep. ad Heb. *Ante Deum confitere peccata tua, apud verum iudicem; cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria.* Quod idem repetit hom. 5. & 8. de pœnit. & alibi. Quid ſimile habetur ex Ambroſio de pœn. d. 1. ſub init. Sed vocalis confeſſio non potuiſſet licitè auferri, nec fuiſſet ablata ab huiuſmodi viris dignitate, & ſanctitate conſpicuis, ſi fuiſſet inſtituta à Chriſto Domino. Ergo concludendum eſt, non fuiſſe ab illo inſtitutam.

3. Hoc ſacramentum non fuit in vſu tempore Apoſtolorum; imò Chriſtus D. remittebat peccata, ante ſuam mortem. Ergo non inſtituit ad hoc, ſacramentum pœnitentiæ, quo utique ipſe cum ſuis Apoſtolis vſus fuiſſet, ut ſuo exemplo alios incitaret ad illud frequentandum.

Concluſio I, *Sacramentum pænitentiæ fuit inſtitutum à Chriſto Domino.* Eſt de fide, & communis inter catholicos.

Probatur ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. *Siquis dixerit, ſacramenta nouæ legis, non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, videlicèt baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pænitentiam, extre-*

tremam unctionem, ordinem, & matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè ſacramentum, anathema ſit. Et clariùs ſeſſ. 14. can. 1. *Siquis dixerit, in catholica Eccleſia, pœnitentiam non eſſe verè, & propriè ſacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum, in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto D. noſtro inſtitutum, anathema ſit.* Ergo quicumque hoc negat, contradicit catholicæ veritati.

Ad 1. Dico, mendacia, & errores dictorum hæreticorum, aduersùs hanc definitionem Eccleſiæ fuiſſe anathematis fulmine ictos ab eodem Tridentino ſeſſ. 14. can. 6. *Siquis negauerit, confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino, aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia catholica ab initio ſemper obſeruauit, & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inuentum eſſe humanum, anathema ſit.*

Ad 2. Reſpondeo cum communi, à Nectario, Chryſoſtomo, Ambroſio, aliiſque fuiſſe ſolùm prohibitam confeſſionem publicam, quæ illis temporibus erat in vſu, ut probat Suarius hic diſp. 16. ſect. 1. & 4., non autem priuatam, & auricularem; & hoc ratione ſcandali, præcipuè aliquorum criminum enormium. Et ideo omnia eorum teſtimonia eliciuntur ex homilijs

milijs ad populum, qui ſemper eorum dicta intelligebat, ut determinata ad publicam confeſſionem, quamuis aliquando eorum verba materialiter ſumpta viderentur poſſe extendi etiam ad confeſſionem priuatam. Hoc autem colligitur manifeſtè, non ſolùm quia tenerent aſſiduò in templis expoſitos ſacerdotes, & ipſi etiam in feſtis ſolemnioribus ſe publicè in iiſdem exponerent, ad audiendas fidelium confeſſiones; ſed etiam quia in alijs infinitis locis emphaticè fideles hortarentur, ad frequentandum hoc ſacramentum, ut patet expreſsè ex Ambroſio, qui lib. 2. de pœn. c. 6. ait, *ſi vis iuſtificari, fatere delictum tuum; ſoluit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum*. Idem dicit Chryſoſt. hom. 30. in Geneſ., & lib. 2. de ſacerdotio &c. Neque obſtat quòd Chriſoſtomus (quo hæretici ut ſuo quoad hoc gloriantur) dixerit, *caue homini dixeris, ſed dic Deo*. Siquidem cùm eo tempore vigeret opinio, quòd ſinguli homines, etiam laici poſſent, ſaltem in aliquibus caſibus, præbere confitentibus abſolutionem ſacramentalem, ut occurreret huic errori (de quo agemus, cum erit mentio de miniſtro) dixit, confeſſionem non eſſe faciendam homini, hoc eſt laico, ſed Deo, hoc eſt eius miniſtro, qui Dei vicem gerit. Niſi velimus dicere, illos fuiſſe locutos de ſcelerum propriorum confeſſione,

etiam

etiam priuata, non quatenus ordinatur ad ſacramentalem abſolutionem, ſed quatenus ordinatur ad aliquam extraiudicialem ſatisfactionem, reſultantem ex confuſione, & rubore talis confeſſionis, quam ſponte pęnitentes, in illorum pęnam ſubibant illis temporibus. Quia ergo multa ſcandala poterant ſuboriri ex huiuſmodi confeſſionibus, hortabantur hi patres, ut potiùs facerent confeſſiones in oratorijs, & templis, non quidem conſeruis, ſed ſacerdotibus deputatis. Et hanc expoſitionem approbat ut optimam ex Bellarmino, Gonetus hìc diſp. 1. ar. 2. §. 2. in fine.

Ad 3. Nego antecedens. Nam dicitur in actis Apoſt. c. 19. *Multi credentium veniebant confitentes, & annũciantes actus ſuos*. Et Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate prò inuicem, ut ſaluemini*. Et Io. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra*. Et 2. ad Cor. 5. *Dedit nobis miniſterium reconciliationis, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Prò Chriſto ergo legationem fungimur*. Ergo etiam tempore Apoſtolorum viguit ſacramentum pœnitentiæ, poſt eius inſtitutionem. Neque obſtat, quòd Chriſtus remitteret peccata, ante eius inſtitutionem. Nam cùm eſſet homo Deus, illa non remittebat virtute ſacramenti, ſed propria, nempe diuina.

A R-

ARTICVLVS II.

An hoc ſacramentum fuerit inſtitutum poſt mortem, & reſurrectionem Christi?

VIdetur quòd non, Primò quia hoc ſacramentum remittit peccata virtute clauium. Ergo tunc fuit inſtitutum, cum fuit Eccleſiæ collata poteſtas, ſeu virtus clauium. Sed hæc fuit tradita à Chriſto ante ſuam paſſionem, ut patet ex Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Et eiuſdem Matthæi 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Per quæ verba, non de futuro, ut ly *dabo*, loquens cum Petro, ſed de præſenti contulit Chriſtus omnibus Apoſtolis poteſtatem clauium, ut euidenter colligitur ex eo, quòd poſt acceptam talem poteſtatem, in eodem capite de eius vſu Petrus Chriſtum interrogat, *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vſque ſepties? Dixit illi Ieſus, non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ad ſeptuagies ſepties.* Ergo fuit inſtitutum, ante mortem Chriſti.

2. Sacramentum pœnitentiæ, utpote quod eſt inſtitutum ad reconciliandum hominem cum Deo, debet præcedere ſacramentum euchariſtiæ, quod eſt inſtitutum ad hominem ſanctificandum. Ergo cùm in ultima cæna fuerit inſtitutum ſacramentum euchariſtiæ, debuit pœnitentia inſtitui multò priùs. Aliter cùm non potuerit obligare ante inſtitutionem, potuiſſent Apoſtoli accedere ad euchariſtiam, etiam cum peccato mortali, quod eſt abſurdum.

Concluſio, *Sacramentum pœnitentiæ fuit inſtitutum à Chriſto D. poſt eius reſurrectionem.* Eſt de fide.

Probatur ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 1. ubi dicitur, *Dominus autem ſacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſufflauit in diſcipulos ſuos dicens, accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tàm inſigni facto, & verbis tàm perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandum fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Quare huius ſacramenti inſtitutio facta fuit per illa verba, quæ Chriſtus protulit in cænaculo, ubi erant diſcipuli congregati, poſt eius reſurrectionem, ut habentur

Digitized by Google

tur expreſsè Io. 20. *hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quæ verba ſignificant de præſenti, & tradunt poteſtatem, non ad prædicandum, ut perperam interpretabantur Nouatiani, ſed ad remittenda peccata; & ideo uſurpantur ab Epiſcopis, dùm conſecrant ſacerdotes, quibus unà cum ordine tradunt poteſtatem abſoluendi à peccatis. Et ideo ſubditur à Tridentino in tali loco, *Et Nouatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia catholica tamquam hæreticos expulit, atque condemnauit &c.* His verò non contentum Tridentinum, ut hoc ſtatueret de fide credendum, & aliter interpretandi tolleret facultatem, can. 3. eiuſd. ſeſſ. concludit, *Siquis dixerit, verba illa Domini Saluatoris accipite &c. non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in ſacramento penitentiæ, ſicut Eccleſia catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contra inſtitutionem huius ſacramenti, ad auctoritatem prædicandi euangelium, anathema ſit.* Quare de hoc, tamquam de articulo iam definito, non poteſt ampliùs eſſe controuerſia inter catholicos.

Ad 1. Nego minorem ſubſumptam. Ad cuius probationem dico, per illa ver-

ba Matth. 16. fuiſſe quidem promiſſam; non verò collatam clauium poteſtatem, ut patet per ly *dabo*. Collatio ſiquidem debet fieri per verba de præſenti. Sicut enim ſiquis diceret, *ego te abſoluam*, non abſolueret, ita cum Chriſtus dixit, *dabo tibi claues*, non dedit, ſed promiſit, ſe daturum. Et ideo bene Suarez, Medina, Bonaccina, & alij dicunt, his verbis ſolam fuiſſe collatam D. Petro poteſtatem ferendi cenſuras, & ab ijs abſoluendi, in ordine ad quam non poteſt obijci ly *dabo*, nam poſt illud ſequuntur verba de præſenti, *quodcumque ſolueris, erit ſolutum &c.* quæ verba faciunt ſenſum de præſenti, ideſt, *nunc trado tibi poteſtatem ſoluendi, vel ligandi cenſuris Eccleſiaſticis*, ut clariùs patet Matth. 18. per ly *quæcumque alligaueritis ſuper terram &c.* Quòd autem hæc interpretatio ſit legitima, patet primò ex Tridentino citato, determinante locum, tempus, & verba talis inſtitutionis. Deinde quia cùm peccati remiſſio debeat fieri per Spiritum Sanctum, qui eſt vera charitas, non fuit conueniens, tradi poteſtatē remittendi peccata, priuſquàm fuiſſet datus Spiritus Sanctus. Et ideo Io. 20. priuſquam Chriſtus contulerit Apoſtolis hanc facultatem, dixit, *accipite Spiritum Sanctum*, & deinde ſubdidit, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*.

Ex

Ex quo euidenter ſequitur, per verba relata Matth. 16. & 18. vel nullam fuiſſe traditam de præſenti facultatem, & ſolùm fuiſſe expreſſam promiſſionem conferendi, vel ſolam fuiſſe traditam poteſtatem procedendi iudicialiter in foro fori, per pęnas, & cenſuras eccleſiaſticas, ut videntur ſonare illa verba *ligare*, & *ſoluere*, nulla facta mentione peccatorum. Neque obſtat interrogatio Petri de remiſſione peccati, nam Petrus loquebatur de iniurijs ſibi illatis, & inferendis, ut patet ex eius verbis, *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Peccata verò, quæ abſolvuntur per pęnitentiam, non ſunt iniuria, & offenſa ipſius Sacerdotis abſoluentis, ſed Dei. Ergo non loquebatur de uſu talis ſacramenti, & de remiſſione per illud facienda, ſed de iniuriæ condonatione, quam Chriſtus D. nullo voluit numero circumſcribi, ut colligitur ex indefinita illa reſponſione, *uſque ad ſeptuagies ſepties* & ex parabola condonantis debitum ſuo conſeruo, & ex relatis in fine eiuſdem capitis, ut dictis Chriſti, *ſic & pater meus cęleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*.

Ad 2. Nego conſequentiam, primò quia Apoſtoli, ob defectum peccati mortalis, non indigebant ſacramento pęnitentiæ, ad ſumendam euchariſtiam. Ne-

que

que obſtat, quòd Iudas fuerit in peccato; cùm enim eſſet peccatum conſumaturus actuali proditione magiſtri, & haberet obſtinationem præſentem voluntatis, neque illi profuiſſet hoc ſacramentum quod vel ſacrilegè accepiſſet, ut accepit Euchariſtiam, vel reſpuiſſet. Et ideo Chriſtus dixit, *Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis, ſed non omnes*, excipiendo Iudam, de quo dicitur, *poſt bucellam, introiuit in eum Satanas.* Vbi obiter obſeruetur, quòd Apoſtoli non fuerint iuſtificati per pœnitentiam, ſed per virtutem Dei, verbis Chriſti communicatam, *propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Vnde apparet ſecunda ratio, nempe alia via potuiſſe Apoſtolos poſt lapſum, Deo reconciliari, ſine hoc ſacramento, videlicet vel verbis Chriſti, dignè in ſe receptis, vel per actus veræ contritionis. Atque adeo licèt Apoſtoli non poſſent obligari ad hoc ſacramentum, quod nondùm fuerat inſtitutum, non tamen potuiſſent accedere ad Euchariſtiam, cum peccato læthali.

ARTICVLVS III.

An hoc ſacramentum fuerit congruenter inſtitutum?

Videtur non fuiſſe, ut hæretici garriunt, primò quia non fit confeſſio per-

perſonæ offenſæ, ſed alij, unde ſequitur, obligationem confitendi eſse onus intolerabile, præcipuè mulieribus, quæ adiguntur ad detegenda viris flagitia ſua.

2. Affert ſcandalum ſacerdoti audienti ſcelera pœnitentis, & aliquando etiam tentationem, cùm facilè inclinemur ad imitanda quæ ſunt magis ab alijs factitata. Ergo melius eſset quòd ſoli Deo confiteremur.

3. Inducit facilitatem peccandi, cum det quaſi impunitatem ante peccandum, dùm nulli negatur uſus pœnitentiæ, & abſolutio ſacramentalis, præſertim nunc in tanta copia ſacerdotum abſoluentium.

4 Eſt de iure naturæ pænitere culpæ, quatenus eſt priuatiua ſummi boni, & ablatiua mali incompenſabilis. Ergo ſuperfluum fuit inſtituere hoc ſacramentum.

Concluſio, *Congruentiſſimum fuit, inſtitui hoc ſacramentum*. Admittitur ab omnibus catholicis.

Probatur primò, fuit valde congruens, quòd fragilitati humanæ remedio tàm facili conſuleretur. Debuit autem inſtitui, ut peccatorem pæniteret erroris, illumque per modum iudicij, alteri patefaceret, à quo petendo veniam, reciperet abſolutionem. Eo ideo Tridentinum ſeſs. 14. c. 1. ait, *quoniam autem Deus diues in miſericordia, cognouit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe*

poſtea in peccati ſeruitutem, & Dæmoni poteſtatem tradidiſſent, ſacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapſis poſt baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur. Hoc autem non potuit melius inſtitui, ut patebit obiectionum ſolutione. Deinde cùm Chriſtus D. non eſſet viſibiliter permanſurus in Eccleſia militanti, debuit inſtitui aliquod viſibile tribunal gratiæ, cui ipſe præeſſet tamquam Dominus in perſona ſacerdotis, & per eius verba veniam concederet humiliter petentibus delictorum ſuorum. Ergo cùm hoc tribunal aptius eſſe non poſſit hoc ſacramento, congruentiſſimum fuit, illud inſtitui.

Ad 1. Retorqueo argumentum, ideo non eſt adeo graue hoc ſacramentum, quia confeſſio non fit perſonæ offenſæ, ſed alteri eiuſdem ſpeciei, fragili, & peccatrici, quæ poſſit compati alienam fragilitatem. Quid eſt autem puſillus rubor, præ remiſſione criminum, euaſione inferni, & collatione gratiæ diſponentis ad vitam æternam? Ad illationem de mulieribus, dico primò, multò maiorem ruborem fœminam habituram, regulariter loquendo, ſi teneretur alteri fœminæ ſua ſcelera patefacere, quàm ſi teneatur homini, cui propter naturalem ſubiectionem, facilius, & cum voluptate conuerſatur. Deinde non tenetur omnibus confiteri, ſed uni tantùm ad libitum eligendo. Demum

hæc

hæc ſubiectio mulierum compenſatur à Deo per minora illicia, quibus trahi poſſunt ad malum, propter domeſticam conſuetudinem, & maiorem inclinationem ad bonum, unde canit Eccleſia, *pro devoto fœmineo ſexu*. Ergo non ſolùm feminis non eſt grauius, ſed eſt multò ſuauius, quàm viris, ut patet experientia, qua videmus, hoc Sacramentum à feminis frequentari, diutiùs immorari in confeſſione ſuorum criminum, & ſi liceret per Sacerdotes, numquam finirent confeſſionem, quod non eſſet, ſi paterentur maiorem ruborem, & difficultatem.

Ad 2. Dico, hoc eſſe per-accidens reſpectu huiuſmodi Sacerdotis, cùm potiùs confeſſio ſcelerum propriorum debeat per ſe inducere in audientibus compunctionem, occaſionem orandi prò confitentibus, & gratias agendi Deo quòd ſe benignè ab huiuſmodi flagitijs præſeruauerit. Sicut ergo manifeſtare delicta principi terreno, veniam humiliter petendo, non eſt materia ſcandali, ſed potius commiſerationis, ita reſpectu Sacerdotis vicem gerentis Dei. Quod idem dico de tentationibus inde reſultantibus per accidens confeſſario; alioquin eſſet etiam incongrua adminiſtratio Euchariſtiæ, quia videndo vultum, & aliquando etiam pectus, & ubera mulierum communicantium, aliquis poſſit induci Sacerdos ad

tentationem. Quod multò magis vrgeret de viſitatione, & adminiſtratione monialium.

Ad 3. Dico, quòd ſicut non eſt incongruum, quòd Deus infinita ſua miſericordia facilè indulgeat peccatoribus, unde videtur induci facilitas ad peccandum; ita neque eſt incongrua inſtitutio pęnitentiæ, ex eo quòd per accidens, reſpectu alicuius inducat peccandi facilitatem. Et ratio eſt, quia homines non debent auerti à peccando, ob veniæ conſequendæ difficultatem, ſed ob amorem Dei, fœditatem peccati, & pęnam prò illo præparatam.

Ad 4. Nego conſequentiam. Quamuis enim natura dictet, bonum eſſe peccati pęnitere, non tamen poteſt per talem pęnitentiam veniam polliceri, cùm in rerum natura, poſito ſtatu eleuationis, non detur facultas remittendi peccata. Ergo congruentiſſimum fuit, quòd hæc pęnitentia eleuaretur ad rationem ſacramenti, unde vires acquireret remittendi peccata. Hoc autem aſſequi non potuiſſet, niſi Chriſtus Dominus inſtituiſſet hoc ſacramentum. Ergo congrua fuit eius inſtitutio. Verum quidem eſt, quòd non fuit de iure naturæ, hunc potiùs modum præſcribi, quàm alium, eò quia cùm remiſſio culpæ ſit omninò gratuita, & effectus diuinæ miſericordiæ, ſicut non exigitur à natura quoad ſubſtantiam, ita neque potuit

tuit eſſe exigita quoad modum, qui fuit Chriſto penitùs arbitrarius, licèt ſit in ſe congruentiſſimus.

DISPVTATIO QVARTA

De Neceſſitate Pænitentiæ.

QVeremus primò, an ſacramentum pęnitentiæ ſit ſimpliciter neceſſarium? 2. An ſit neceſſarium neceſſitate præcepti quoad modum confeſſionis? 3. An eius præceptum obliget ſtatim poſt peccatum mortale? 4. An poſſit aſſignari tempus, in quo obliget determinatè? 5. An præceptum Eccleſiaſticum de annua confeſſione obliget ad totum annum?

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſacramentum pęnitentiæ ſit neceſſarium neceſſitate medij?

VIdetur non eſſe, Primò quia contritio perfecta non eſt neceſſaria ne-

ceſſitate medij, quia poteſt ſuppleri per contritionem imperfectam cum ſacramento. Sed etiam ſacramentum poteſt ſuppleri per contritionem perfectam. Ergo non eſt unicè neceſſarium.

2. Pœnitentia eſt priuilegium à Chriſto conceſſum peccatoribus, ut per illud poſſint Deo reconciliari. Sed nemo cogitur uti ſuo priuilegio, quod ex hoc ipſo non eſſet priuilegium, ſed neceſſitas. Ergo nemo tenetur ad hoc ſacramentum.

3. Non poteſt eſſe magis neceſſarius uſus huius ſacramenti, quàm fuerit eius inſtitutio. Sed hæc non fuit neceſſaria ſimpliciter, cùm Deus potuiſſet alio modo conſulere ſaluti lapſorum poſt baptiſmum. Ergo neque eius uſus.

Prò reſolutione, notandum eſt, illud eſſe neceſſarium neceſſitate medij, quod eſt ſimpliciter neceſſarium, hoc eſt quod eſt tale ex natura ſua, ut ſine illo determinatè finis haberi nullatenus poſſit, cuiuſmodi eſſet applicatio oculorum ad viſionem, quæ ſine illa haberi non poteſt. Illud autem, quod ita conducit ad aſſecutionem finis, ut adhùc ſine illo haberi poſſit, dicitur neceſſarium indeterminatè, ſeu diſiunctiuè, quam neceſſitatem aliqui vocant ſecundùm quid, eò quòd non ſit neceſſitas, niſi ex ſuppoſitione, quòd deſint alia media, cuiuſmodi eſſet equus ad iter faciendum. Cùm enim poſſit viator iter

fa-

facere, vel curru, vel lectica, equus non eſt illi unicè, & ſimpliciter neceſſarius, niſi deſint currus, & lectica. Præter hæc, multa alia ſunt neceſſaria neceſſitate morali, proueniente ex lege, vel præcepto particulari, ratione quorum conſtituuntur extrinſecè in eſſe talia, ut ſine illis peccatum non euitetur, cuiuſmodi ſunt auditio ſacri in die feſto, ieiunium tempore quadrageſimæ, & ſimilia, quæ requiruntur ad legis obſeruantiam; & hæc dicuntur neceſſaria neceſſitate præcepti. Quærimus, ergo hic an pœnitentia ſit neceſſaria primo modo, & in alio articulo quæremus de ſecundo.

Concluſio, *Sacramentum pænitentiæ eſt neceſſarium determinatè neceſſitate medij exiſtenti in peccato mortali, determinatione cadente ſupra ſacramentum quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum, hoc eſt quòd fiat in re, vel in voto, cùm alterutrum poſſit ſufficere ad iuſtificationem.* Ita Conink, Suarez, Eſparſa, Bonaccina, Reginaldus, Nugnius &c.

Probatur, poſito peccato mortali, nulla eſt alia via redeũdi in gratiam Dei, quàm vel attritio cum ſacramento in re, vel contritio cum ſacramento in voto, ut probabitur infra. Ergo in quolibet medio iuſtificationis, inuoluitur neceſſariò ipſum Sacramentum, ut complens formaliter rationem medij, non tamen quoad unum

modum determinatè, & ideo eſt ſolū m neceſſarium quoad ſubſtantiam. Probatur conſequentia, quia ſicut peccator verè attritus, & efficaciter volens confiteri, ſed ex defectu, etiam inculpabili confeſſarij, carens ſacramento in re, ineuitabiliter damnatur; ita quamuis per impoſſibile eſſet contritus, ſed non habens animum confitendi, vel explicitè (ut vult Canus) vel ſaltem virtualiter, & implicitè (ut aſſerit Suarez, nempe eliciendo actum ſupernaturalem amoris Dei, ſine actuali aduertentia, vel ad peccatum præteritum, vel ad ſacramentum, vel ad utrumque, adeòque abſque formali, & explicito propoſito cōfitendi) adhùc damnaretur, quia verè hic talis non eſſet contritus. Ergo hoc ſacramentum quoad ſubſtantiam eſt unicè neceſſarium, neceſſitate medij. Et ideo dicitur à Tridentino ſecunda tabula poſt naufragium, ut egregiè probat Suar. hic diſp. 17. ſect. 3. Quòd autem hic non eſſet verè contritus, probatur facilè ex dicendis, quia perfecta contritio per ſe ipsā formaliter eſt votum, ſeu propoſitum (ſaltem implicitè) faciendi totum illud, quod lex iubet, adeòque confitendi peccata ſacerdoti, ut præcipitur ab Eccleſia.

Ad 1. *Dico*, argumentum concludere contra neceſſitatem ſacramenti in re, determinatè ut talis quoad modum, non autem contra neceſſitatem ſacramenti quoad

ad

ad ſubſtantiam, in ſenſu explicato. Præterquamquòd non valet illatio ex contritione ad ſacramentum, primò quia votum contritionis perfectæ, non neceſſariò includitur in ſacramento, ſicut votum ſacramenti in contritione perfecta. Et ideo peccator attritus, qui ſuſcipit ſacramentum in re, non tenetur poſtea elicere contritionem perfectam. Qui autem habet contritionem perfectam extra ſacramentum, tenetur poſtea ſuſcipere ſacramentum. Ergo maior eſt obligatio ad ſacramentum, quàm ad contritionem. Deinde ex Concilijs Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 15. & Tridentino ſeſſ. 14. c. 2. habetur, ſacramentum pęnitentiæ eſſe perinde neceſſarium lapſis poſt baptiſmum, ſicut ipſe baptiſmus eſt neceſſarius non baptizatis. Sed baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij, vel in re, vel in voto. Ergo ſimiliter eſt neceſſarium hoc ſacramentum, ut optimè intulit Vaſquez hìc q. 84. ar. 5. dub. un. n. 41. & 44. Hanc autem neceſſitatem nullus umquam attribuit contritioni. Ergo non eſt paritas.

Ad 2. Nego maiorem, & dico, hoc ſacramentum non eſſe priuilegium (ut hìc docet Perez) ſed gratiam uniuerſalem, per quam omnibus ponatur medium compenſandi, & reparandi iacturam gratiæ, quam peccando fecerunt. Sicut ergo ſi aliquis prolapſus in puteum, ſi inueniat ali-

quem ſuppetias promittentem, ſub conditione quòd auxilium humiliter petat, non poteſt non petere: & idem dico de grauiter ægrotante, qui tenetur ſi poſſit, manifeſtare medico ſuum morbum, ut per illum iuvetur; ita & peccator non poteſt omittere executionem confeſſionis, ſub cuius conditione Deus illi promiſit veniam peccatorum, & euaſionem pœnæ æternæ. Præterquamquòd vſus ſacramenti eſt ab Eccleſia præceptus. Ergo non poteſt omitti à peccatore, abſque nouo peccato, ut videbimus ar. ſequenti.

Ad 3. Nego maiorem. Et ratio eſt, quia neceſſitas vſus talis ſacramenti, non prouenit ex natura rei ex ipſo ſacramento, ſed ex mero beneplacito diuinæ voluntatis, determinantis hoc medium, ut à ſe liberè ordinatum, ad ſalutem conſequendam. Sicut enim fuit illi liberum instituere hoc ſacramentum, ita fuit illi liberum ordinare eius vſum ad ſalutem. Poſita autem tali ordinatione, eius vſus nobis redditur neceſſarius, modo dicto.

ARTICVLVS II.

An ſacramentum penitentiæ quoad modum confeſſionis, ſit neceſſarium neceſſitate præcepti?

VIdetur non eſſe, Primò quia eſſet magis fauorabile hoc ſacramentum,

tum,

Digitized by Google

tum, ſi poſſemus illo uti, vel non uti ad noſtrum libitum, quàm ſi ad illud ſub læthali teneamur. Ergo cum ſit adæquatè inſtitutum, in fauorem chriſtianorum, non cadit ſub ullum præceptum.

2. Qui non accedit ad hoc ſacramentum, ratione periculi prouenientis ex peccato patrato, multò minùs accedet, ratione periculi ex peccato patrando, per inobſeruantiam talis præcepti. Ergo hoc præceptum eſſet omninò inutile, quia non urgeret fideles ad vſum ſacramenti.

3. Ex confeſſione liberè facienda, reſultarent fidelibus omnes illæ utilitates, quæ reſultarent ex præcepta, & præterea non daretur illis occaſio noui peccati. Ergo incongruum eſt, fieri de illa præceptum poſitivum.

Concluſio, *Sacramentum hoc, quoad modum confeſſionis, eſt neceßarium, neceſſitate præcepti diuini, & eccleſiaſtici.* Ita Comink, Vaſquez, Bonaccina, Eſparſa, & alij.

Probatur prima pars, primò ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. initio, *Ex inſtitutione ſacramenti pænitentiæ iam explicata. uniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis, iure diuino neceſſariam exiſtere.* Deinde ſi non daretur hoc diuinum præceptum, non potuiſſet Eccleſia determinare tempus, ad

illud implendum. 3. Non haberent ſacerdotes à Chriſto D. poteſtatem retinendi peccata, ex vi illorum verborum, *quorum retinueritis, retenta ſunt*. Hæc enim retentio, ſiue procedat ex arbitrio ſacerdotis, liberè negantis abſolutionem, ſiue ex eius impotentia, propter reſeruationem talis peccati, ſemper ſupponit in penitente obligationem iterum accedendi ad ſacerdotem, ſiue eumdem, ſiue alium, cum voluntate confitendi ſua peccata. Ergo ſupponit neceſſitatem confeſſionis de iure diuino 4. Eſt præcepta de iure diuino aſſecutio vitæ æternæ, ut dicitur ad Cor. 9. *ſic currite, ut comprehendatis*. Ergo etiam ſunt præcepta ea omnia, quæ requiruntur ad impletionem talis præcepti. Sed lapſis poſt baptiſmum eſt neceſſaria confeſſio, ut dictum eſt. Ergo etiam ipſa cadit ſub hoc præceptum.

Probatur ſecunda pars, Primò ex Later. ſub Innoc. 3. c.21., & c. *omnis vtriuſque* de pœn. & rem. Cuius veſtigijs hærens Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. inquit, *Ex his colligitur, oportere à penitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri*. Et infra, *Verùm cùm uniuerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confeſſione à Deo*

quæ-

quærere. Et can. 8. *Siquis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles, iuxta magni concilij, Lateranenſis conſtitutionem ſemel in anno, anathema ſit.* Et deinde auctoritate totius Eccleſiæ, quæ hoc præceptum de annua confeſſione, redegit in numerum aliorum ſuorum, & ab omnibus habetur ut tertium eius præceptum. Solùm ergo reuocatur in quæſtionem, an potuerit Eccleſia determinare tempus, ad obſeruantiam iuris diuini? Prò quo.

Dico, potuiſſe Eccleſiam determinare hoc tempus, licèt Chriſtus feciſſet liberum, & arbitrarium uſum huius Sacramenti. Probo primum, quia Chriſtus condendo hoc præceptum, conſtituit in Eccleſia paſtores, & iudices ordinarios omnium peccatorum. Ergo dedit eis poteſtatem, qua poſſent ſubditos cogere ad ſuum tribunal. Sed hoc fieri non poſſet, niſi determinando tempus ad comparendum. Ergo potuit illud determinare. Et ideo præceptum de confeſſione quoad ſubſtantiam, eſt diuinum; præceptum autem de annua confeſſione, determinando ſingulos annos, eſt Eccleſiaſticum, ut patet ex dictis in prima parte, & ex pęnis ab Eccleſia ſtatutis, aduersùs omittentes, intra ſpatium unius anni, uſum illius.

Pro-

Probo ſecundum, cum Conink diſp. 5. dub. 3. & alijs, Eccleſia eſt omnium parens. Ergo poteſt omnibus præcipere quæ vergunt ad eorum animarum vtilitatem, & multò magis ad ſalutis aſſecutionem. Sed uſus pœnitentiæ eſt vtilis ad utrumque, nam per illum poteſt homo iuſtificari cum ſola attritione, quod non poſſet extra Sacramentum. Ergo poteſt illum præcipere, præſertim cùm talis uſus ferat etiam alias magnas utilitates infra explicandas, cum agemus de remiſſione peccatorum. Atque adeo quia licèt Chriſtus reliquiſſet liberum uſum Sacramenti, adhùc tamen eius exercitium fuiſſet in eorum bonum, potuiſſet Eccleſia illum præcipere, determinando tempus, etiam independenter à diuino præcepto. Totum hoc elicitur ex Tridentino, nam ſeſſ. 21. c. 2. expreſsè docet, *præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſiue ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicaret.* Sicut ergo potuit ex parte prohibere uſum Euchariſtię, nempe ſub ſpecie vini, ut colligitur ex ead. ſeſſ. c. 1. & can. 1. & 2. illumque præcipere ſub ſola ſpecie panis, omnibus non Sacerdotibus, quamuis Chriſtus Io. 6. dixerit,

rit,

rit, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ita potuiſſet in euidentē fidelium utilitatem vſum præcipere pœnitentiæ, licèt Chriſtus non ſtatuiſſet eius neceſſitatem.

Ad 1. Nego conſequentiam. Et dico, hoc Sacramentum eſſe inſtitutum etiam in fauorem honoris diuini, eiuſque dignitatis, cuius offenſæ non fieret reparatio, niſi medium aptum præciperetur. Poſſent enim homines obſtinati in malo illud impunè contemnere, quod induceret peccandi familiaritatem, & multiplicaret diuinas offenſas. Fuit ergo expediens, ut homines cenſuris, alijſque pœnis Eccleſiaſticis cogerētur ad eius uſum, & ſic à peccatorum aſſuetudine retraherentur.

Ad 2. Nego antecedens. Primò quia periculum proueniens ex peccato patrato, & patrando, eſt multò maius, quàm ex ſolo patrato, adeòque poteſt magis mouere animum peccatoris. Deinde Eccleſia ut pia mater, debuit filijs oſtendere neceſſitatem obſeruantiæ diuini præcepti, ut frequentiùs peccata confitentes, ab illis abſtineant, ſaltem ex impulſu ſui præcepti, quod cùm ſit magis ſenſibile, eſt magis motivum. Sicut enim ſæpe videmus, quòd ægroti, qui nolunt ſumere pharmacum ex periculo mortis, quod

con-

contemnunt, ſæpe illud ſumunt ex dulci amici adhortatione, vel parentum, ſeu ſuperiorum liberiore præcepto, cùm nobis natura indiderit inclinationē ad obediendum voci pręcipientium; ita aliquando accidit, ut qui negligit damnationis periculum, ex inobſeruantia iuris diuini, non contemnat periculum pęnarum Eccleſiaſticarum, quæ ſenſibilius intimantur.

Ad 3. Nego antecedens; nam hoc præceptum non ſolum urget in conſcientia, quatenus eſt diuinum, ſed etiam in foro fori, quatenus eſt Eccleſiaſticum, cùm poſſint ab Eccleſia puniri tranſgreſſores pęnis afflictiuis poſitiuis. Multi autem pluris faciunt pęnas temporales, quàm æternas, quæ non cadunt immediatè ſub ſenſum. Ergo multò utilius fuit obligare fideles ad annuam confeſſionem, quàm illos relinquere in ſua libertate. Præterquamquòd Eccleſia nullum condidit præceptum de Sacramentali confeſſione, ſed ſolùm determinauit tempus, quo ſatisfiat diuino præcepto.

ARTICVLVS III.

An præceptum diuinum confeſſionis obliget ſtatim poſt peccatum mortale?

VIdetur obligare; ut propugnant Gugliel. Pariſ. de ſac. pęn. c. 19.

Ar-

Angelus V. *confeſſio*. c. 1. n. 3. & alij penès Card. de Lugo diſp. 7. ſect. 11. Primò quia tenemur, abſque ulla mora, proximo ſatisfacere, quam iniuria affecimus. Ergo multò magis Deo.

2. Perſeuerantia volita in malo, eſt peccatum. Sed dilatio pœnitentiæ, eſt perſeuerantia volita in malo. Ergo eſt peccatum.

3. Non eſt maior ratio, quòd poſſet omitti prò uno tempore, & non prò alio. Ergo ſi poſſet ſemel omitti, poſset ſemper omitti, quia in nullo tempore determinatè ſumpto obligaret. Hoc autem eſt abſurdum. Ergo debet ſtatim obligare.

4. Qui amiſit habitum fidei per actum infidelitatis, tenetur ſtatim illum reparare, per actum fidei poſitivum oppoſitum. Ergo etiam qui amiſit gratiam habitualem, per peccatum, quod eſt maius malum, tenetur ſtatim illam reparare per confeſſionem.

5. Qui exponit ſe periculo proximo damnationis æternæ, peccat. Sed qui exiſtens in peccato læthali, differt confeſſionem, ſe exponit periculo proximo damnationis æternæ, eò quia ſi moriatur in tali ſtatu, ineuitabiliter damnatur & prò ſingulis momentis poteſt mori. Ergo inexcuſabiliter peccat.

6. Si aliquis ſciens, & volens differat curationem vulneris periculoſi, non poteſt

teſt excuſari à peccato, cò quia ſe exponit euidenti periculo moriendi. Sed qui eſt ſub læthali, habet vulnus in anima periculoſiſſimum. Ergo ſi differat curationem per ſacramentum, grauiter peccat, quia ſe exponit euidenti periculo mortis æternæ.

Concluſio, *Diuinum præceptum de confeſſione Sacramentali, non obligat ſtatim poſt peccatum*. Eſt Conink diſp. 5. dub. 2. Caietani, in addit. 3. p. q. 6. ar. 5. Eſparſæ q. 87. ar. 2. Pallauicini c. 25. n. 25.

Probatur 1. quia hoc præceptum eſſet inobſeruabile; nam quando pœnitens ſe pararet ad confitendum, iam peccaret, ratione dilationis. 2. Nulla confeſſio eſſet valida, quia cùm nullus confiteatur tàm rigoroſam dilationem, nulla eſſet integra confeſſiò, quod vergeret in perniciem omnium fidelium, apud quos non cenſetur peccaminoſa hæc dilatio. 3. Hoc eſſet remedium ipſo morbo nocentius, cò quia induceret ad infinita peccata, & redderet odioſiſſimum hoc Sacramentum. 4. Illud *ſtatim* vel accipitur rigoroſè, prò primò inſtanti extrinſeco inſtanti peccati, vel moraliter pro tempore breuiſſimo? Si primum, eſſet non ſolùm inobſeruabile præceptum, ſed inductivum ad peccatum, cò quia cùm confeſſio debeat fieri cum dolore, fieri non poſſet, ut aliquis immediatè tranſiret, ab inſtanti peccati, ad inſtans

dolo-

doloroſæ confeſſionis eiuſdem, niſi eſſet ſemper in ultimo inſtanti peccati, præſens, & paratus Sacerdos ad audiendam confeſſionem. Aliter dùm illum adiret, dilatione peccaret. Secundum etiam eſſet inobſeruabile. Cùm enim ſtatui non poſſit, quanta permittatur extenſio temporis ad confeſſionem, & cum qualibet aſſignata, poſſit ſemper minor aſſignari, ideo fieri non poſſet, ut eſſet confeſſio opportuna, & immunis à culpa.

Ad 1. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia proximus offenſus poſitus eſt noſtra culpa in ſtatu deteriori, à quo petit ex iuſtitia ſubleuari. Deus autem non deterioratur noſtris peccatis, ſed nos potiùs peccando deterioramur. Ergo cùm non ſit neceſſaria confeſſio, ad ſubleuandum Deum, ſed peccatorem, poteſt hic expectare tempus præfixum ab Eccleſia, abſque noua culpa.

Ad 2. Dico, perſeuerantiam in peccato actuali eſſe peccatum, quia ſemper ſupponit nouam complacentiam de peccato. Hoc autem non militat in habituali, niſi fortè interueniat noua approbatio, & cōplacentia de malo patrato, unde fiat nouum peccatum actuale. In quo caſu peccatur, non propter dilationem pœnitentiæ, ſed propter nouam complacentiam de malo, quæ de ſe eſt formaliter praua.

Ad 3. Nego maiorem. Et dico, dilatio

tionem pęnitentiæ vſque ad mortem excluſiuè, non afferre malum irremediabile, ſicut affert dilatio eiuſdem, vſque ad mortem incluſiuè, ſiue vſque ad articulum mortis; & ideo hæc eſt peccaminoſa, & non prima. Vnde patet, non eſſe verum quod dicunt Suarez, Lugo, & alij, nempe urgere præceptum pęnitentiæ, poſt aliquod tempus morale. Cùm enim non poſſit determinari, quanta debeat eſſe hæc extenſio temporaria, eò quia ſemper poſſit aliquantò ampliùs dilatari (ut dictum eſt) ideo dicendum eſt, hoc præceptum non urgere, niſi in articulo mortis.

Ad 4. Dico, amiſſionem fidei reparari, non ſolùm per confeſſionem ſacramentalem actus eliciti infidelitatis, ſed etiam per actum fidei illi oppoſitum, diſponentem elicientem ad non formidandum de tali obiecto reuelato; cum propoſito confitendi admiſſam infidelitatem. In ordine ad primum, non datur obligatio ad ſtatim, quia tale peccatum ſe habet ad ſacramentum ut unum ex alijs. In ordine verò ad ſecundum, datur obligatio ad ſtatim, quia talis actus fidei eſt formaliter deſitio infidelitatis actualis, quæ abſque nouo peccato, continuari non poteſt, eò quia ſemper hęc actualis continuatio ſupponat nouam reſiſtentiam, ad obiectum hoc reuelatum, adeòque complacentiam de infidelitate, quod non militat de alijs peccatis.

Ad 5.

Digitized by Google

Ad 5. Nego minorem. Et dico, periculum mortis repentinæ non eſſe proximum, ſed remotum, cùm rarò accidat mors repentina. Quare niſi adſit diſpoſitio particularis, minitans mortem huic in particulari, non cenſetur periculum proximum, reſpectu illius. Non eſt autem peccatum exponere ſe periculo remoto damnationis; alioquin omne peccatum eſſet duplex, ratione connexionis cum peccato reſultante ex periculo remoto, cui ſe peccans exponit damnationis æternæ, quod induceret infinita peccata.

Ad 6. Nego maiorem. Et dico, non dari præceptum ad ſtatim quærenda remedia prò morbis corporis. Immò non defuerunt ſancti, qui diù voluerint differre curationem, ut vel ſubirent dolores in pęnam ſcelerum, vel haberent occaſionem exercendi patientiam. Quòd ſi ex dilatione curationis, immineat inſanabilitas, vel mortis acceleratio, non eſt curandum, dummodo æger ſit ſui iuris. Secùs autem eſſet, ſi eſſet ſub alterius poteſtate, cui ſeruire teneretur, quia in tali caſu, ut poſſet reddere ſeruitium debitum, teneretur incumbere curationi. Et idem proportionaliter dico de correctione fraterna, & alijs huiuſmodi, quæ poſſent obtrudi ab aduerſarijs. Atque adeo paritas morbi corporei in ipſos retorquetur. Verum de hoc fuſiùs in art. ſequenti.

A R-

ARTICVLVS IV.

An poſſit aſſignari aliquod tempus intra annum, in quo determinatè obliget diuinum præceptum confeſſionis?

VIdetur non poſſe, Primò quia tunc ſolùm tenemur iure diuino confiteri, quando Eccleſia præcipit confeſſionem, eò quia Eccleſia ſit interpres Dei. Ergo quia Eccleſia pręcipit ſolùm per annum, non poſſumus intra illum obligari.

2. Vel ius diuinum obligat intra annum, vel non? Si primum, ergo ſuperfluum eſt præceptum Eccleſiæ. Si ſecundum, ergo non poteſt Eccleſia reſtringere hanc obligationem, ad unum annum.

Concluſio, *Præceptum diuinum de confeſsione, tunc obligat determinatè, quando adeſt periculum proximum mortis.* Ita D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 7. ad 1. & in 4. d. 17. q. 3. ar. 1. quæſtiunc. 4. Scotus ibid. q. 3. art. 3. Gabriel ibid. dub. 1. quibus accedunt Konink, Pallauic., Eſparſa, & alij plures.

Probatur 1. Omnis grauis imprudentia, præſertim in rebus ſpectantibus ad ſalutem æternam, eſt peccatum mortale, ut omnes fatentur. Sed omittere confeſſionem, urgente periculo proximo mortis, eſt ſumma imprudentia, in rebus ſpectā-

tibus

tibus ad ſalutem. Ergo eſt peccatum mortale. Sed præceptum diuinum de confeſſione, tunc obligat, quando eius omiſſio eſſet peccaminoſa. Ergo in tali ſtatu obligat ſub mortali.

2. Tunc obligat hoc præceptum, quādo ſi omittatur confeſſio, non poteſt ampliùs fieri. Sed ſi omittatur in tali ſtatu, non poteſt ampliùs fieri. Ergo tunc obligat. Præterea de iure diuino tenemur quærere vitam æternam, ut dictum eſt. At ſi tunc omitteremus confeſſionem, non quæreremus vitam æternam, immò perditionem æternam. Ergo non poſſumus illam omittere, adeòque in tali tempore ad illam obligamur, quatenus obligamur ad totum id, quod eſt ſimpliciter neceſſariū ad ſalutem.

Ad 1. Nego antecedens; hoc enim eſſet confundere ius diuinum cum eccleſiaſtico. Quamuis enim eccleſiaſticum fundetur in diuino, non tamen hoc ſolùm obligat, quando obligat illud; alioquin non poſito eccleſiaſtico, diuinum non obligaret, quod eſt abſurdum. Et ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt facere, quòd ius diuinum obliget, quàndo verè non obligat. Ergo ſi Eccleſia determinauit tempus, ad implendum ius diuinum, ſupponit ius diuinum obligare ſimpliciter, abſque ulla temporis determinatione, extra ſtatum aſſignatum.

Dices, Eccleſia non poteſt facere, quòd ius diuinum obliget, quando verè non obligat. Ergo neque poteſt facere, quòd non obliget, quando verè obligat. Atque adeo vel obligat ſolùm prò articulo mortis, & Eccleſia non poteſt facere, quòd obliget ſingulis annis; vel obligat ſemper, & Eccleſia non poteſt facere, quòd ſolùm obliget ſemel in anno; & per conſequens qui ut adimpleat præceptum Eccleſiæ, cõfitetur ſemel in anno, transgreditur ius diuinum, & obſeruando ius diuinum, peccat contra præceptum eccleſiaſticum, adeoque ineuitabiliter damnatur, quod eſt abſurdum.

Reſpondeo, Eccleſiam non obligare ad unam tantùm confeſſionem prò ſingulis annis, ita ut alias prohibeat, ſed obligare ſaltem ad unam, ut aliquam habeat. Ergo qui ſæpe confitetur magis promouet præceptum Eccleſiaſticum. Vnde redditur impoſſibilis caſus inculcatus ab arguente. Quoad ius diuinum dico, illud extra articulum mortis, obligare ſemper, ſed ſolùm indeterminatè, ut dictum eſt, quæ obligatio conſiſtit in hoc, ut quocumque tempore voluerit peccator Deo reconciliari, teneatur exponere clauibus peccatum ſuum, modo ſupra explicato. Eccleſia ergo ut ſtimulet peccatores ad hanc reconciliationem, illos obligat, ut ſaltem ſingulis annis confiteantur, fundans

Digitized by Google

dans hoc ſuum præceptum in diuino, non faciendo quòd hoc obliget ad ſingulos annos, ſed filios extimulando, ad illud adimplendum, ſaltem ſingulis annis, ita ut quicumque aliquo anno non confitetur, non ſit tranſgreſſor iuris diuini, ſed eccleſiaſtici.

Vnde patet reſponſio ad 2. Siquidem obligante iure diuino intra annum indeterminatè, hoc eſt intra hunc, vel illum, omnes attingendo, & nullum determinando, extra caſum aſſignatum, Eccleſia determinat primum annum poſt peccatũ, ita ut ſi ampliùs pœnitens non peccet, non teneatur ad iterum confitendum, quia iam plenè ſatisfecit iuri diuino. Poſito nouo peccato, quia reuiuiſcit ius diuinum, ideo datur novum præceptum Eccleſiæ, determinans rursùs primum annum, incipiendum immediatè poſt ſecundum peccatũ, & ſic deinceps, ſequente ſemper præcepto eccleſiaſtico ius diuinum. Præterquamquòd indirectè etiam Eccleſia obligat ad annuam confeſſionem, quatenùs obligat ad annuum uſum Euchariſtiæ, ad quem debet præire confeſſio, nè ſiat in peccato.

Dices cum Medina codice de pœn. tr. 2. q. 14. §. 2. ſub. fin. Tunc aliquis tenetur confiteri, quando timet, nè ob dilationem, obliuiſcatur peccatorum. Cũ non enim teneamur ad confeſſionis integritatem, tenemur ad illam quando ultimò

poſſumus, ideſt quòd ſi diutiùs differatur, non poſſumus, quia obliuiſcimur peccatorum. Ergo tenet hæc obligatio, etiam extra caſum dictum.

Nego antecedens. Et ratio eſt, quia cùm ſit impoſſibile determinare illud ultimum tempus, in quo poſſumus facere integram confeſſionem (ſemper enim ſperare licet, quòd etiam aliquantò amplius differri poſſit, & quòd etiamſi obliti fuerimus, poſſimus per diligens examen, in memoriam oblita crimina reuocare) nunquam determinatè urgeret hæc obligatio. Præterquamquòd nemo tenetur confiteri ea crimina, quorum non recordatur; aliòquin propter metum obluionis, teneremur omnes poſt peccatum, ſtatim illud ſcribere, propter metum obliuionis, vel alio modo quaſi perpetuare, nè excidat memoria, quod eſſet ridiculum. Demum nemo tenetur facere examen metaphyſicè exactiſſimum, ſed ſolùm moraliter. Ergo periculum oblinionis non obligat ad confeſſionem; alioquin obligaret etiam ad examen metaphyſicè exactiſſimum, quod eſſet moraliter impoſſibile. Ergo falſa eſt hæc opinio. Aliter Eccleſia debuiſſet præcipere confeſſionem multò frequentiorē, cum homines, præſertim rudes, facile obliuiſcantur eorum, quæ ante annum fecerunt, quod eſſet Eccleſiam damnare de imprudentia, in re grauiſſima.

Vrge-

Vrgebis, ſemper debemus conformari iuri diuino. Ergo cùm illud non obliget, extra caſum aſſignatum, non eſt bonum confiteri.

Nego conſequentiam. Et dico, Chriſtum Dominum noluiſſe nos obligare ad confeſſionem, niſi in proximo periculo mortis, non quia nollet illam extra hunc caſum, ſed ne illam faceret grauoſam. Cæterùm quòd hæc illi placeat in quocumque tempore, patet ex eo, quòd eius frequentiam cæleſtibus fauoribus aſſiduò proſequatur, nam per illam roborat animam, ad vitanda peccata, virtutes promouet, auget gratiam, rebellantes comprimit paſſiones &c. Ergo quia Chriſtus voluit, quòd ad minùs hoc cęleſte pharmacum ſumatur, cum imminet periculum æternæ mortis, magis promouetur eius intentum, & magis eius præcepto conformamur, ſi quoties opus fuerit, crimina fateamur.

Dices 3. cum Eſparſa q.87. ar. 10. Hoc præceptum obligat ſolùm per accidens, quando adeſt periculum proximum mortis, quatenùs videlicet ſi tunc non fiat cōfeſſio, ponitur eius impoſſibilitas prò tempore ſequenti. Ergo per ſe non obligat, niſi in articulo mortis. Probat antecedens, quia *vis nociua perſeuerantiæ peccati læthalis* (ſunt eius verba) *quatenus differens à virtute nociua perſeuerantiæ peccati ve-*

nialis, quoad aſsecutionem ultimi finis, [...]*pletur ultimò per impænitentiam final*[...] *Ergò hac non poſita, non impedit aſsec*[...]*nem ultimi finis, niſi ad tempus, ut i*[...]*dit veniale.* Cùm ergo nulla ſit oblig[...] grauis delendi per pœnitentiam venia[...], neque erit delendi mortalia, ante mortis articulum.

Nego antecedens. Ad cuius probationem dico, quòd illa ſolùm valeret, quando articulus mortis eſſet tempus opportunum confeſſioni. Vel ergo nomine articuli mortis intelligit ultimum inſtans vitæ, & hoc non eſt ſufficiens ad integram confeſſionem, & multò minùs ad recipiendam poſt illam abſolutionem. Vel intelligit totum illud tempus moraliter conſideratum, in quo ægrotus de vita deſperauit, & coincidit cum noſtra concluſione. Quòd ſi ſolùm intelligat illum ſtatum, in quo ægrotus redactus ad virium deficientiam, habeat phyſicam impotentiam, ad exercenda muncra vitæ, reditur ad primum dictum impugnatum. Atque adeo cùm ſit de ratione præcepti obligare prò eo tempore, quo poteſt impleri, pro tali tempore non obligabit. Neque valet paritas de veniali, quia vis nociua venialis ita impedit ad tempus aſſecutionem ultimi finis, ut æternùm impedire non poſſit; vis autem nociua læthalis de ſe eſt impeditiua in æternum, & ſolùm per accidens impe-

impedit ad tempus, quatenus videlicet retunditur, & tollitur per ſubſequentem pœnitentiam. Ergo hoc præceptum per ſe obligat, quando adeſt periculum proximum mortis.

ARTICVLVS V.

An præceptum Eccleſiaſticum de annua confeſſione obliget ad totum annum?

VIdetur non obligare, primò quia ſequeretur, quòd qui culpabiliter omiſit confeſſionem, prò aliquo anno, teneretur ſub mortali, ſtatim illam facere initio anni ſequentis, Hoc autem eſt abſurdum, primò quia ſtante hac obligatione, quoties differret confeſſionem, toties peccaret, quod à nobis fuit reiectum ar. 3. Deinde vel hæc obligatio proueniret ex anno elapſo, vel ex de nouo incepto? Non ex primo, quia illo tranſacto, non remanet ad illum obligatio. Neque ex ſecundo, quia obligatio huius anni extenditur ad totum annum, comprehendendo ſingulos dies indeterminatè. Ergo non daretur hæc obligatio. Ex alia parte obligaretur, quia completo anno, datur ultimus terminus obligationis. Ergo urgeret determinatè, & ſic teneretur, & non teneretur, quod dicit contradictionem.

2. Qui validè confeſſus fuit, & in culpabi-

pabiliter omiſit aliquod peccatum, vel teneretur illud confiteri initio anni ſequentis, vel non? Non poteſt dici primum, quia validè confeſſus, eſſet deterioris conditionis, quàm culpabiliter non confeſſus. Neque ſecundum, propter traditas rationes. Ergo ſequeretur idem abſurdum, quòd teneretur, & non teneretur.

3. Si aliquis bene confeſſus prò anno A. & omiſerit abſque culpa aliquod crimen, & initio anni B. immediatè ſequentis committat novum peccatum, & deinde recordetur etiam peccati omiſſi in ultima confeſſione, vel tenebitur illud ſtatim confiteri, vel non? Si primum, ergo obligatio ad confitenda peccata commiſſa prò anno B. non extenditur ad totum annum, ſed obligat ſtatim poſt peccatum, quod reiecimus ar. 3. Si ſecundum, ergo quia non poteſt confiteri de peccato omiſſo, quin confiteatur etiam novum peccatum, ut confeſſio ſit integra, cùm huius confeſſio poſſit differri ad finem anni B. etiam confeſſio omiſſi poterit differri, adeòque per duos annos poterit nō ſubijci clauibus, quod eſt abſurdum.

Prò reſolutione, ſtante præcepto eccleſiaſtico de annua confeſſione, dubitatur à theologis, quomodo ſit accipiendus hic annus ad obſeruantiam præcepti. Nam aliqui dicunt, illum incipere à die, quo peccatur, ut ſupra viſi ſumus innuere.

Alij

Alij ab ultima confeſſione. Alij à menſe Ianuario. Alij à tempore paſchali, & alij alia.

Concluſio, *Annus eccleſiaſticus, in quo obligat præceptum eccleſiaſticum de confeſſione, incipit ab uno paſchate, & terminatur ad aliud; ita ut confeſſio ſaltem ſemel ſit facienda, tempore medio inter duo paſchata.* Ita Suar. diſp. 36. ſect. 3. n. 8. Conink diſp. 5. dub. 6. & 7. cum pleriſque theologorum.

Probatur, quia Eccleſia determinauit quidem tempus ad communionem, ita ut fiat in paſchate (cuius nomine intelliguntur communiter quindecim dies à dominica palmarum, vſque ad dominicam in albis incluſiuè) non tamen determinauit tempus confeſſionis, ſed ſolùm præſcripſit ultimos terminos, eo modo quo ſacerdos obligans pœnitentem ad ieiunandum ſemel in tali menſe, determinat illi menſem, non tamen diem. Quare qui ſemel confiteatur intra duo paſchata, ſatisfacit Eccleſiæ præcepto. Quòd ſi deinde iterum peccauerit, tunc tenetur iterum in paſchate confiteri, ut poſſit adimplere aliud præceptum de annua communione, non autem ut adimpleat præceptum confeſſionis, quod iam plenè adimpleuit; & ideo hæc ſecunda obligatio prouenit per accidens ex precepto communionis, ut docent Soto, Victoria, Henriquez, Vaſ-

quez, & alij.

Confirmatur ex Tridentino, quod ſeſſ. 14. c. 5. referens ex Lateranenſi, multos confiteri in quadrageſima, ait, *quem morem hæc ſancta ſynodus maximè probat, & amplectitur, tamquam pium, & meritò retinendum.* Ergo illum non inſinuat ut præceptum, ſed ut pium, & laudabilem, adeòque ut obiectum conſilij. Præterea doctores communiter dicunt, quòd ſi aliquis præuideat, ſe non poſſe in paſchate confiteri, tenetur antea confiteri, quod nemo dicit de communione. Ergo ſupponunt, tale tempus eſſe determinatum, prò communione, non autem prò confeſſione.

Neque obſtat, quòd in Lateranenſi citato dicatur, omnia peccata eſſe confitenda. Hoc enim debet intelligi de peccatis commiſſis ante confeſſionem. Alioquin ſiquis peccaret poſt confeſſionem factam in paſchate, teneretur etiam de illo confiteri, & ſic deinceps, quod extenderet obligationem ad totum annum determinatè, quod eſſe falſum patet ex dictis.

Ad 1. Nego ſequelam cum D. Antonino, Syluestro, & alijs, aduerſùs Medinam, Sotum, Nauarrum, Henriquez, Victoriam, & pleroſque theologorum. Et dico, talem teneri ſolùm ad confeſſionem, faciendam aliquo die illius anni, nullum attingendo determinatè. Et hoc non ſolùm

ſùm propter rationes adductas in argumento, quæ bene concludunt prò parte hac negatiua, ſed etiam quia cùm hoc præceptum ſit poſitivum, obligans prò aliquo tempore determinato, illo tranſacto, ceſſat obligatio, ut accidit in præceptis de audiendo ſacro, recitando officio, ieiunando &c. Ergo tranſacto anno, peccauit quidem reus non confitendo, non tamen tenetur ampliùs prò illo anno; adeòque quia ſubeſt ſoli obligationi alterius anni, poteſt differre confeſſionem vſque ad finem illius. Ad ultimam illationem quòd teneretur, dico, in ſequenti anno dari ſolùm terminum extrinſecum obligationis. Ergo ſupponitur tranſactus ultimus terminus intrinſecus, adeòque illam ceſſaſſe, ſicut ceſſat obligatio ieiunandi prò die A. in primo inſtanti diei B. immediatè ſequentis. Ergo potiùs retorquetur argumentum.

Ad 2. Dico, quod ille qui validè confeſſus eſt prò anno A. & ſine culpa omiſit aliquod peccatum, tenetur illud confiteri initio anni ſequentis. Et ratio eſt quia ſinguli tenentur ad confeſſionem integram peccatorum. Ergo in omiſione inculpabili alicuius peccati, remanet obligatio illud confitendi, cùm primum recordatur. Atque adeo ſi pœnitens initio huius anni recordatur, ſe omiſiſſe ex pura obliuione aliquod crimen, in confeſſione fa-

ēta ſub finem anni antecedentis, tenetur illud confiteri, non quidem directè ex obligatione confeſſionis prò anno iam elapſo, ſed indirectè ex obligatione integrè confitendi, quæ obligatio conſurgit ex priore confeſſione. Ad illationem quòd hic eſſet deterioris conditionis, nego ſequelam, Primò quia non teneretur ad confitenda alia peccata, quæ fuit confeſſus, & patrauit in alio anno, ad quæ alius teneretur. Et deinde quia hic eſſet in ſtatu gratiæ, & fuiſſet etiam indirectè abſolutus ab omiſſo, & alius eſſet in ſtatu peccati habitualis, & ideo in ſtatu multò peiori. Quòd autem hic teneretur ad nunc confitendum, ad quod alius non teneretur, hoc eſſet per accidens, ratione boni operis patrati, ad cuius complementum remaneret obligatio. Ergo non proinde eſſet deterioris, ſed melioris conditionis, ſicut ſunt Religioſi præ laicis, licèt ad plura teneantur, quàm laici. Vnde ceſſat abſurdum inculcatum.

Ad 3. Dico, quòd in tali caſu directè pœnitens teneretur ad confeſſionem peccati omiſſi, & indirectè, & per accidens etiam ad confeſſionem peccati de nouo commiſſi, non ex vi præcepti confeſſionis, ſed ex capite eius integritatis, ut patet in materia furti. Nam ſi aliquis validè abſoluatur à furto decem aureorum, & deinde priuſquàm illos reſtituat, furetur

alios

alios decem, directè, & per ſe ex obligatione confeſſionis, tenetur ad reſtitutionem priorum decem, & indirectè, & per accidens ex capite reſtitutionis, quæ debet eſſe integra, tenetur etiam ad reſtitutionem aliorum decem, adeòque ad reſtitutionem viginti. Et ratio à priori eſt, quia ex titulo iuſtitiæ, tenetur ad reſtituendum totum ablatum, ut reponatur æqualitas. Quia ergo abſtulit viginti aureos, non ponit æqualitatem, reddendo decem, ſed reddendo viginti. Ergo licèt fuerit obligatus ad decem à ſacerdote, quos tantùm ut ablatos manifeſtauit, non proinde ſatisfacit iuſtitiæ, niſi reddat & alios, licèt ſatisfaciat confeſſioni. Idem euenit in ſatisfactione diuinæ offenſæ.

DISPVTATIO V.

De Materia remota Pænitentiæ.

QVia omne totum conſtat ex materia, & forma, cùm ſacramenta ſint quædam tota moralia, etiam ipſa debent conſtare ex materia, & forma, iuxta definitionem Florentini. Quærentes ergo materiam, & for-

mam ſacramenti pœnitentiæ, agemus 1. de eius materia remota. Deinde de materia proxima in genere. 3. De contritione. 4. De confeſſione: 5. De ſatisfactione, & demum de eius forma, quæ eſt abſolutio. Incipientes itaque, in præſenti diſputatione quæremus. 1. Quæ ſit eius materia remota. 2. Poſito quòd ſint peccata, quæſtiones inſtituemus de peccato originali, dubio, confeſſo, de circumſtantijs, actionibus externis, & ſimilibus, quæ omnia singula ſingulis articulis enodabimus.

ARTICVLVS I.

An materia remota pœnitentiæ ſint peccata, etiam venialia?

VIdentur non eſſe, Quia cùm ſit proprium materiæ componere, & conſtituere totum, per modum partis intrinſecæ eſſentialis, recipiendo formam totius, ſi materia pœnitentiæ eſſent peccata, duo ſequerentur abſurda, unum quòd forma huius ſacramenti caderet ſuper peccata, tamquam ſuper ſubiectum inhæſionis: & alterum, quòd hoc ſacramentum conſtitueretur intrinſecè, & eſſentialiter ex peccatis, quod eſt blaſphemum. Ergo peccata non ſunt eius materia.

Concluſio, *Materia remota neceſſaria ſunt peccata læthalia, & venialia ſunt ſolum*

lùm materia ſufficiens.

Probatur prima pars, Illa eſt materia remota, circa quam verſatur materia proxima. Sed actus pœnitentis, qui ſunt materia proxima, (ut patebit) verſantur circa peccata, ut deſtruenda. Ergo hæc ſunt materia remota. Deinde hoc ſacramentũ fuit inſtitutum per modum iudicij emendatiui. Ergo illa eſt materia remota illius, circa quam verſatur iudicium, nempe peccata.

Probatur ſecunda, hoc ſacramentum eſt inſtitutum, ad reconciliandum hominem cum Deo, & ideo dicitur ſacramentum reconciliationis. Ergo debet verſari circa ea crimina, quæ tollunt amicitiam Dei, & faciunt hominem eius inimicum, cuiuſmodi ſunt læthalia. Hæc autem dicuntur materia neceſſaria, non quia ſine illis nõ poſſit fieri ſacramentum, ſed quia ſi adſint, neceſſariò ſunt exponenda clauibus, ut patet ex Lateranenſi, & Tridentino, de quo infra.

Probatur tertia, Primò quia aliter confeſſiones iuſtorum non præberent materiam ſufficientem, ex defectu læthalium, adeòque non eſſent validæ. 2. Totum id poteſt ſubijci clauibus, quod aliquo modo eſt offenſivum Dei. Sed venialia offendunt Deum, quamuis leuiter. Ergo poſſunt ſubijci clauibus, adeòque ſunt materia de ſe ſufficiens ad ſacramentalem abſolu-

ſolutionem. Quòd autem non ſint materia neceſſaria, patet ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ubi dicitur, *Venialia; quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè, & utiliter, citraque omnem præſumptionem, in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque alijs remedijs expiari poſſunt*. Et iure quidem, nam vel teneremur confiteri omnia venialia, vel ſolùm aliqua? Non primum, quia eſt impoſſibile, cùm venialia ſint frequentiſſima. Neque ſecundum, quia non poteſt dari aliqua certa regula, qua poſſimus ſecernere ea, quæ ſunt confitenda, ab alijs non neceſſariò confitendis. Ergo nè homini reddatur impoſſibilis fructus huius ſacramenti, dicendum eſt, ea eſſe quidem materiam ſufficientem, non tamen neceſſariam.

Vt autem hoc meliùs intelligatur, notandum eſt; *peccatum eſſe dictum, factum, concupitum, contra legem æternam Dei*, ut definitur ab Auguſtino. Quia tamen non omne peccatum eſt cõtra legem Dei, ideo non omne peccatum eſt mortale, ſed datur etiam veniale, quod bene dicitur cum D. Thoma eſſe præter legem Dei. Sicut enim poſſumus recedere à recto tramite, eundo in oppoſitum, & deuiando ad obliqua; ita poſſumus recedere à lege non occidendi e. g. vel contranitendo per homi-

ci-

cidium, vel deuiando per leuem iniuriã, quæ aduerſatur legi ſolùm ſecũdùm quid, ideſt imperfectè, & diminutè. Quod opponitur legi, ut eſt mortale, priuat gratia habituali, & inducit diuinam inimicitiã. Veniale autem, quod non ſimpliciter opponitur legi, neutrum facit, ſed ſolùm minuit feruorem charitatis, & amicitiæ diuinæ, eo modo quo leues oſtenſiunculæ non tollunt, ſed minuunt humanam amicitiam. Et hinc ſequitur, cur non ſit neceſſariò confitendum, quia videlicèt non inducit neceſſitatem reconciliationis cũ Deo, ſicut inducit mortale. Si tamen ſit voluntarium, ſufficit ad confeſſionem, quia eſt aliqualis oſtenſa Dei, & omnis oſtenſa poteſt expiari per ſacramentum. Quòd ſi non ſit voluntarium, neque eſt peccatum, neque materia ſufficiens, cùm ſit de ratione peccati, quòd ſit voluntariũ. Quare cogitationes turpes, & contra fidem, imaginationes obſcænæ, motus carnales, etiam ad effuſionem ſeminis procedentes (ut ſæpe accidit in ſomno, & ſomnijs) ſi nullo modo acceptentur à voluntate, nullum ſunt peccatum, immò aliquando ſunt materia meriti, ſi opportunè prò viribus repudientur, propter grauoſam tolerantiam, & diſplicentiam, ut ſuo loco dicemus.

Ad argumentum oppoſitum nego utrãque ſequelam. Siquidem peccata dicuntur

materia remota pœnitentiæ, non quia intrinſecè conſtituant ſacramentum, ut partes componentes, eiuſque formam recipiant, ſed quia ſunt materia deſtruenda per ſacramentum, quod eſſentialiter ordinatur ad eorum deſtructionem. Sicut ergo hoſtis dicitur materia remota victoriæ, quam non conſtituit, ita peccata ſacramenti. Illud itaque, quod intrinſecè conſtituit, & recipit formam ſacramenti, eſt materia proxima, quam infra dicemus eſſe actus pœnitentis, nempe dolorem, confeſſionem, & ſatisfactionem, ſaltem in voto.

ARTICVLVS II.

An originale, & actuale commiſſum ante baptiſmum, ſint materia remota pœnitentiæ?

VIdetur primò, peccatum originale eſſe materia pœnitentiæ, quia omne peccatum proprium, & voluntarium poteſt ſubijci clauibus. Sed peccatum originale eſt omnibus voluntarium, & proprium. Ergo poteſt ſubijci clauibus. Maior patet ex dictis. Minor probatur, cùm omnium poſterorum voluntates virtualiter continerentur in Adam, tamquam in capite, omnes conſenſerunt in eius prævaricationem, unde eius culpa, omnibus, &

& ſingulis poſteris imputatur ut propria, excepta Deipara, ut docet Tridentinum ſeſſ. 5. can. 3.

Videtur 2. quòd etiam peccata commiſſa ante baptiſmum, ſint materia ſacramenti, Primò quia dicemus ar. 5. etiã peccatum abſolutum eſſe materiam ſufficientem. Ergo etiam remiſſum per baptiſmum. Deinde quia potuit fieri baptiſmus validus, & informis, ex praua diſpoſitione recipientis, retinentis affectum ad peccata commiſſa. In tali caſu quia non fuit illi collata gratia remiſſiua peccatorum, hæc non fuerunt deleta per baptiſmum. Ergo debent deleri per pœnitentiam.

Concluſio, *Neque originale, neque commiſſum ante baptiſmum, poſſunt eſſe materia huius Sacramenti.* Ita Bonaccina diſp. 5. q. 3. p. 1. Valentia to. 4. diſp. 7. q. 1. p. 2. Sotus, Eſparſa, Reginaldus, Nugnus, & eſt fere communis inter Theologos.

Probatur quoad primam partem, ſacramentum pęnitentiæ procedit per modum iudicij, in quo pęnitens conſtituat ſe reum ſua ſponte, petat veniam, illamque obtineat à Sacerdote per abſolutionem. Non poteſt autem fieri iudicium accuſativum, & emendativum, niſi de ijs, quæ fuerunt liberè patrata propria voluntate. Cùm ergo originale non fuerit liberè patratum propria voluntate, non poteſt de illo formari iudicium, & per conſequens neque

illi

illi applicari virtus clauium.

Probatur quoad ſecundam, Eccleſia non poteſt iudicare, niſi de his, quæ ſpectant ad ſuos ſubditos. Sed homo ante baptiſmum non erat ſubditus Eccleſiæ. Ergo peccata ab ipſo patrata, ſiue quomodocumque ipſi imputata ante baptiſmum, non ſubduntur iuriſdictioni, & iudicio illius. Et ideo definitum eſt in Trid. ſeſſ. 14. c. 1. & 2. pęnitentiæ ſacramentum inſtitutum eſſe, ad reconciliandos fideles, lapſos poſt baptiſmum. Ergo non eſt inſtitutum, aduersùs peccata patrata ante baptiſmum, quæ per ipſum baptiſmum, tamquam per primam tabulam poſt naufragium, remittuntur, & non indigent ſecunda tabula pęnitentiæ.

Ad 1. Diſtinguo minorem, originale eſt voluntarium, & proprium omnium quoad reatum pęnæ, concedo: quoad reatum culpæ, & ſubdiſtinguo, formaliter, nego: cauſaliter, & virtualiter, concedo minorem, & nego conſequentiam, quæ non verificatur, niſi de peccato formaliter proprio. Dico igitur, originale dici omnibus proprium quoad reatum culpæ, quatenus omnibus ineſt modus quidam excluſivus iuſtitiæ originalis, ſeu gratiæ ſanctificantis, ut forma illi contraria, dicens ordinem intrinſecum ad peccatum Adæ, quod origine eſt unum, & propagatione multiplex, quia eius effe-

ctus

ctus propagatur ad omnes, adeòque ineſt omnibus ut proprius, ſicut docet Tridentinum ſeſſ. 5. & explicat Pallauicinus de pen. c. 25. n. 180.

Dices, ergo peccatum originale propagatur ſolùm quoad pœnam, & non quoad culpam formaliter. Impoſſibile autem eſt, quòd aliquis puniatur, propter culpam non ſuam. Ergo ſicut pena eſt omnium propria, ita & culpa originalis; adeòq; ut propria poteſt ſubijci clauibus.

Reſpondeo primò diſtinguendo minorem, eſt impoſſibile quòd aliquis puniatur propter culpam non ſuam, pena poſitiua, concedo: pœna priuatiua, nego minorem, & conſequentiam. Et dico, pœnam annexam peccato originali eſſe ſolùm priuatiuam. Et hæc eſt ratio, cur pueri decedentes abſque baptiſmo, non puniantur in inferis pena ſenſus, ſed in limbo pena damni, quæ eſt priuatio beatitudinis, ut videbimus ſuo loco. Reſpondeo ſecundò negando maiorem, quia modus ille excluſivus iuſtitiæ originalis, dicit ordinem intrinſecum ad eleuationem factam Adamo ad ordinem ſupernaturalem, ratione cuius illi debebatur finis ſupernaturalis, ex ſuppoſitione conſeruationis innocentiæ, ſub qua tantùm conditione fuit eleuatus. Et ideo hic modus exigit carentiam gratiæ debitæ in tali ſtatu. Quatenus ergo eſt inductivus carentiæ iuſtitiæ originalis, ſeu

gra-

gratiæ debitę in tali ſtatu, eſt macula reddens hominem turpem, & dignum auerſione diuina, ut eſt pars naturæ humanæ, non autem ut eſt tale indiuiduum abſolutè. Ergo eſt formaliter culpa habitualis totius humanæ naturę ſecundùm ſpeciem, non autem indiuiduorum, ut ſunt naturę ſingulares, quia ut talibus non fuit voluntarium. Quomodo autem potuerit eſſe voluntarium ſpeciei, & non ſingularium ſub illa contentorum, videbitur in loco.

Ad 2. Nego utramque conſequentiam. Ad probationem primæ dico, peccatum abſolutum per hoc ſacramentum fuiſſe patratum poſt baptiſmum, ab homine ſubiecto legibus Eccleſię, adeòque ſicut potuit primò iudicari, ita poteſt ſecundò, propter rationes afferendas loco citato ab arguente. Hoc non valet de patrato ante baptiſmum, quia cùm fuerit patratum ab infideli, non ſubdebatur iuriſdictioni Eccleſię; & ideo ſicut non potuit primò ab illa iudicari, ita nec poteſt poſt ſecundò, poſtquam fuit à Deo remiſſum per remedium proprium baptiſmi. Ad 2. nego conſequentiam, quia in baptiſmo informi ſuſpenditur gratia, ita ut ad eius collationem nil aliud requiratur, niſi remotio fictionis. Ergo vel taliter baptizatus remouet fictionem, vel non? Si primum, ergo per baptiſmum remittitur illi peccatum, adeòque non indiget alio Sacramen-

to.

to. Si ſecundum, ergo neque poteſt iuvari per hoc ſacramentum, quod non abſoluit retinentes affectum ad peccatum.

ARTICVLVS III.

An peccatum dubium ſit materia ſufficiens pœnitentiæ?

Videtur non eſſe, ut propugnat Bonaccina diſp. 5. q. 3. p. 1. n. 9. à quo non videntur diſſentire Suarez diſp. 18. ſect. 1. n. 12., & Sanchez in ſum. lib. 1. c. 10. n. 70. Primò quia materia pœnitentię debet eſſe certa, ſicut eſt in baptiſmo, & in alijs ſacramentis. Sed peccatum dubium non eſt materia certa, cò quia dubitetur, an ſit peccatum. Ergo non poteſt eſſe maria ſufficiens pœnitentię. 2. Si non ſit materia certa conſecrationis, non poteſt conſici euchariſtia. Ergo neque poteſt conſici ſacramentum pœnitentię, ſi non ſit materia certa confeſſionis. 3. In odioſis verba ſunt reſtringenda. Ergo non debet extendi obligatio confeſſionis ad peccata dubia. 4. Nemo debet ſe facere reum, cum verè non eſt. Sed ſi aliquis exponit clauibus peccatum dubium, facit ſe reum, cum verè non eſt. Ergo non debet illud clauibus exponere.

Priuſquàm reſoluam, notandum eſt, dubium aliud eſſe facti, & aliud iuris. Du-

Dubium facti eſt, quando aliquis dubitat, an fecerit hoc, vel illud. Dubium iuris eſt, quando quis certus de eo, quod fecit, dubitat, an per illud peccauerit, nec ne? Præterea aliud eſt dubium poſitivum, & aliud negativum. Poſitivum eſt, cum apparent probabiles rationes prò utraque contradictionis parte. Negativum, cum nulla apparet ratio probabilis prò alterutra parte.

Concluſio, *Peccatum dubium poſitiuè, ſiue iuris, ſiue facti, non ſolum eſt materia ſufficiens pœnitentiæ, ſed etiam eſt neceſſaria; dubium verò negatiuè neque eſt neceſſaria, neque ſufficiens*. Ita Conink diſp. 7. dub. 8. Pallau. de pœn. c. 32. n. 302. Eſparſa q. 90. de pœn. ad 5. ar. 1. & plerique theologorum, aduersùs adductos.

Probatur prima pars, totum id eſt materia ſufficiens pœnitentiæ, ex quo poteſt reſultare probabilis, & prudens timor gehennæ. Sed peccatum dubium poſitiuè eſt huiuſmodi, nam ſemper ſecum trahit anxietatem, & ſollicitudinem conſcientiæ, an ſit allaturum pœnas æternas. Ergo eſt materia ſufficiens. Et ideo quamuis de illo non poſſit eſſe dolor correſpondens triſtitię, eſt nihilominùs dolor correſpondens timori, qui ſufficit ad valorem confeſſionis. Et ratio eſt, quia ita ſe habet dolor ad malum, ſicut gaudium ad bonum. Sed bonum dubium non poteſt

eſse

eſſe materia ſufficiens gaudij, ſed ſolius ſpei. Ergo neque malum dubium poteſt eſſe materia ſufficiens ad triſtitiam, ſed ad ſolum timorem. Confirmatur, totum id eſt materia ſufficiens, unde reſultat pœnalitas, & animi cruciatus. Sed peccatum taliter dubium eſt huiuſmodi, quod cruciat animam per timorem gehennæ. Ergo ad tollendum hunc cruciatum, poteſt ſubijci clauibus.

Probatur ſecunda pars cum Caiet. opuſc. 5. trac. 18. q. 2. Pœnitens debet confiteri totum id, de quo poteſt dolere, & conteri. Sed poteſt dolere, & conteri de peccato taliter dubio. Ergo tenetur illud confiteri. Præterea non debemus ſcienter nos ponere in manifeſto periculo damnationis æternæ. Ergo tenemur nos eripere ab hoc periculo. Sed hoc periculum non poteſt auferri, niſi vel conuincendo intellectum, quòd verè hoc non fuerit factum, vel non fuerit peccaminoſum, vel actuali illius confeſſione. Cùm ergo non poſſimus conuincere intellectum de negatione peccati, propter rationes oppoſitas reclamantes, debemus uti ſacramento pœnitentiæ, cuius proinde eſt materia neceſſaria. Aliter poſſet aliquis licitè mori, cum dubio prudenti peccati læthalis non condonati, adeòque cum prudenti formidine ſubeundi pęnas æternas, abſque ſufficienti diligentia, acqui-

Digitized by Google

rendi certitudinem moralem oppoſitam; quod repugnat rationi, & omnium auctoritati.

Probatur tertia, dubium purè negatiuum non eſt prudens, quia nullum habet fundamentum; & ideo eſt purus ſcrupulus, quo poteſt quidem anima anxiari, ſed imprudenter, quod non ſufficit ad materiam confeſſionis. Aliter quiſque deberet ſemper eſſe ad pedes confeſſarij, quod neque ſufficeret, ad tollenda omnia huiuſmodi dubia negatiua. Quod ſi aliquis conſcientiæ ſcrupuloſæ, & nimis delicatæ, velit confiteri hæc dubia negatiua, debet illis tribui abſolutio conditionata, *ſi verè peccaſti*, ut docent Elparſa, & Bonaccina in locis citatis. De alijs eſt tribuenda abſolutio abſoluta, quia in quolibet peccato poſitiuè dubio, ſemper inuenitur certum, & infallibile fundamentum, ex quo oriatur pœnalitas illa prudentis timoris, anxietatis, & ſollicitudinis, de quibus ſupra.

Ad 1. Dico, argumentum valere de materia proxima, quæ eſt *ex qua*, non autem de remota, quæ eſt *circa quam*. Ergo nihil probat. Præterea euidenter in ipſum Bonaccinam retorquetur. Siquidem ait in loco citato, peccatum poſitiuè dubium eſſe neceſſariò confitendum. Si ergo Petrus habeat ſolùm peccatum poſitiuè dubium, vel tenetur illud confiteri, vel non?

Si

Si primum, ergo illud eſt materia per ſe ſufficiens; alioquin Petrus obligaretur ad confeſſionem impoſſibilem, nempe factibilem, ſine materia ſufficienti. Si ſecundum, ergo ratione ſui formaliter non inducit obligationem confeſſionis. Neque poteſt recurri ad venialia adnexa. Nam cùm de his non detur obligatio (ut dictum eſt) non poteſt in illis fundari obligatio ad confitenda mortalia dubia. Ergo ideo inducit obligationem confeſſionis, quia de ſe eſt materia ſufficiens, & neceſſaria.

Ad 2. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia in Euchariſtia materia proxima, & *ex qua* ſunt ſpecies panis, & vini, nullo modo pendentes ab actibus ſuſcipientium ipſam Euchariſtiam. At in pœnitentia materia proxima ſunt actus pœnitentis, qui poſſunt eſſe certiſſimi, & infallibiles, licèt verſentur circa peccata dubia. Sicut enim poſſum iuſtè pugnare aduersùs hoſtem dubium, cuius inimicitiam prudenter timere poſſim, ita poſſum iuſtè pugnare per pœnitentiam aduersùs peccatum dubium, de cuius vi nociua prudenter timere poſſum, ut dictum eſt.

Ad 3. Nego conſequentiam, retorquendo argumentum, obligatio confitendi peccata non eſt odioſa, ſed fauorabilis. Ergo verba ad illam obligantia ſunt amplianda.

H Ad

Ad 4. Diſtinguo maiorem, nemo debet ſe facere reum, cum verè non eſt, apud iudicem temporalem, concedo: apud iudicem æternum, nego maiorem. Et diſtincta eodem modo minori, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia iudex temporalis neſcit noſtras actiones, niſi vel per noſtram propriam confeſſionem, vel per aliorum delationem. Ergo poſſet accidere, ut faceret nos reos ex propria confeſſione, quando verè non ſumus. Deus autem cum ſit omniſcius, omnia comprehenſiuè cognoſcit, & cùm ſit optimus, non ſubiacet paſſionibus, quibus poſſit à recto iuſtitiæ tramite deuiare. Ergo nullum eſt periculum, quòd vel ex malitia, vel ex ignorantia faciat nos reos, cum verè non ſumus. Præterquamquòd qui confitetur peccatum dubium, non debet illud ut certum accuſare, ſed ut dubium. Ergo non facit ſe reum abſolutè, ſed conditionatè, ex ſuppoſitione quòd fecerit, & faciendo peccauerit. Hæc autem confeſſio non inducit iudicium certum, ſed ſolam ſuſpicionem reitatis, cùm non poſſit de hypotheſi iudicari. Ergo non faceret confitentem reum abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione purificanda. Reſpectu autem Dei, cui non eſt incognita conditio hypotheſis, neque gignitur ſuſpicio, ſi ſit falſa, neque abominatio, ſi ſit vera, cùm prima tollatur per eius cognitionis infinitatem,

:atem, & ſecunda per contritionem, & humilitatem ipſius confitentis, quibus diſponitur ad abſolutionem Sacramentalē.

Dices, de ratione pœnitentiæ eſt, quòd remittat peccatum. Sed non poteſt remitti quod verè non fuit. Ergo cum dubium poſſit non fuiſſe, ſi verè non fuit, non poteſt abſolui.

Diſtinguo maiorem, de ratione pœnitentiæ eſt, quòd remittat peccatum formaliter, ideſt per ablationem phyſicam illius, faciendo quòd non fuerit, nego: quòd remittat quoad effectus, & exiſtentiam moralem, per quam habitualiter perſeuerat, concedo. Et diſtinguo minorem, quod verè non fuit, non poteſt remitti, primo modo, concedo: ſecundo modo, nego minorem, & conſequentiam. Dico enim, ex peccato dubio poſſe reſultare dictas anxietates, & timores, qui ſunt aliqui ex effectibus peccati, ſecundùm quos poteſt verè tolli, quamuis non poſſit tolli ſecundum alios.

Vrgebis, non poteſt moraliter perſeuerare quoad veros effectus, quòd verè non fuit. Ergo ex peccato dubio, quia potuit non fuiſſe, non poſſunt deriuare huiuſmodi veri effectus.

Nego antecedens. Nam videmus experientia, multos ex falſa apprehenſione alicuius mali, in veram incidere triſtitiā, quæ licèt phyſicè ſit effectus ſolius illius

falſæ apprehenſionis, tamen moraliter eſt effectus illius mali, quod licèt non fuerit, timetur ut factum. Sicut ergo finis actu non exiſtens, ut actu cognitus, eſt vera cauſa electionis mediorum, conducentium ad eius aſſecutionem, ita malum apprehenſum, etiam cum formidine oppoſiti, ut præteritum, poteſt gignere illos effectus, ad quorum expulſionem ſit neceſſarium ſacramentum pœnitentiæ. Poteſt ergo eſſe valida eius abſolutio, quia verè illud tollitur quoad tales effectus, qui cæteroqui moraliter permanerent in pænitente. Demum ſicut ad veros actus miſericordiæ, clementiæ, ſeu manſuetudinis, ſufficit iudicium probabile paupertatis, iniuriæ, & delicti, licèt hæc ſint fictitia, ita poteſt elici verus actus pœnitentiæ, de ſolo peccato dubio.

Dices 3. Obiectum formale pœnitentiæ eſt perfecta peccati expiatio, per veram placationem Dei. Sed Deus non poteſt indignari peccato falſo. Ergo neque poteſt per pœnitentiam verè placari. Atque adeo quamuis confeſſio peccati dubij poſſit eſſe præcepta, non tamen poteſt eſſe actus elicitus ab habitu pœnitentiæ, & per conſequens eius abſolutio ſacramentalis non erit valida.

Retorqueo primò argumentū, in abſolutione peccati aliàs abſoluti, in qua non interuenit vera Dei placatio. Deinde

dico,

dico, in eo genere reſpici à pœnitentiâ placationem Dei, in quo reſpicitur peccatum. Cùm ergo peccatum reſpiciatur ut purè dubium, & probabile, etiam placatio reſpicitur, ut purè probabilis, idest quæ fiat, ex ſuppoſitione quòd fuerit peccatum, ad illud delendum. Quòd ſi nullum verè fuerit peccatum, tunc non erit vera placatio. Quia tamen non conſtat pœnitenti de tali negatione peccati, ideo poteſt tendere ad diuinam placationem, ſub conditione, quòd illud fuerit. Quare ſicut placatio certa requiritur ad tollendum peccatum certum, ita conditionalis ad dubium.

ARTICVLVS IV.

An peccatum dubium confeſſum ut dubium, ſi deinde aduěniat certitudo, debeat ut certum manifeſtari?

VIdetur eſſe manifeſtandum, ut docent Thomas Sanchez lib. 1. in decal. c. 10. n. 69. Turrian. de pœn. q. 9. ar. 2. diſp. 29. dub. 6. Diana in ſum. V. *confeſſionis requiſita* n. 47. & alij plurimi. Vnicum omnium fundamentum eſt, quia ſola ignorantia excuſabat à confeſſione illius peccati ut certi. Ergo ablata ignorantia, remanet obligatio, confitendi illud ut certum.

Concluſio, *Si pecccatum fuit expoſitum, ut dubium quoad factum, adueniente certitudine, debet ut certum exponi. Si verò fuit expoſitum ut certum quoad factum, & ſolum dubium quoad ius, ſiue alias circumſtantias, non eſt iterum clauibus exponendum, ex aduentu certitudinis quoad illa.*

Explico concluſionem, ſubijciat Petrus clauibus dubium conſenſum in obiectum turpe, eius dubietas potuit cadere ſupra ſubſtantiam facti, nempe an conſenſus fuerit, necnè? Et admiſſo conſenſu, potuit cadere ſupra eius circumſtantias, an videlicèt fuerit de hoc, vel illo obiecto, cum ſufficienti aduertentia, plenitudine libertatis &c. vel ſupra conditiones accidentales, an videlicèt fuerit voluptuoſus, cum titillatione ſenſus, commotione ſpirituum, moroſitate &c. Si dubitauit de ſubſtantia facti, quia nõ eſt confeſſus conſenſum peccaminoſum, ſed ſolùm potentiam, & aliquam diſpoſitionem ad illum, non potuit abſolui ab ulla reitate, quæ ſacerdoti iudici non patuit. Ergo ſi deinde conſtet de reitate, tenetur illam iudici manifeſtare, quam numquam manifeſtauit. Si verò tantùm dubitauit de circumſtantijs, & conditionibus, quia factum verè ſubiecit clauibus, non tenetur illud iterum ſubijcere, propter aduentum cognitionis, de eius accidentali diuerſitate. Et idem dico de dubio iuris, quod ſuppo-

nit.

Digitized by Google

nit integram confeſſionem facti, confeſſarij prudentia examinandi quoad alia.

Probatur 1. Qui faſſus eſt delictum à ſe patratum, ſecundum totam rationem malitiæ, quam potuit ex diligenti examine rimari, plenè ſatisfecit utrique iuri, diuino, & eccleſiaſtico; adeòque nullum poſuit obijcem, quò minùs pleniſſimè Deo reconciliaretur, eiuſque gratiam aſſequeretur. Ergo quoad tale crimen, ad nihilum ampliùs tenetur.

2. Non minùs eſt neceſſaria ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. confeſſio numeri, quàm aliarum circumſtantiarum. Sed qui confeſſus eſt numerum ut dubium, e. g. *decies circiter*, ſi deinde comperiat fuiſſe undecies, non tenetur iterum undecimum, ut certum confiteri, ut docent Suar. diſp. 2. ſect. 5. n. 38. Vaſquez q. 91. ar. 1. dub. 6. Konink diſp. 7. dub. 7. n. 62. Vega, Villalobos, Sotus, Ledeſma, Sa, alijque ſatis communiter, aduersùs Lugo diſp. 16. ſect. 2. §. 4. Ergo neque tenetur, quoad alias circumſtantias.

3. Qui eſt dubius de contractione ſuſpenſionis, excommunicationis, irregularitatis, aliarumque ſimilium pœnarum eccleſiaſticarum, ſi ſub tali dubio petat, & obtineat abſolutionem, ſub conditione quòd incurrerit, adueniente deinde notitia incurſionis, non tenetur iterum petere abſolutionem, ut omnes fatentur.

Ergo idem eſt dicendum de peccatis.

Dices, peccatum debet manifeſtari, pròut eſt in conſcientia pœnitentis. Ergo ſi nunc eſt certum, debet ut certum clauibus exponi.

Diſtinguo antecedens, debet manifeſtari, prout eſt in conſcientia pœnitentis, in actu confeſſionis, concedo: poſt confeſſionem, & receptam abſolutionem, nego (niſi ſit variatio quoad ſubſtantiam) & cum illo conſequentiam. Et ratio eſt, quia notitia culpæ debet tribui ſacerdoti, in ordine ad abſolutionem, ut illam poſſit iudicialiter tradere. Ergo illa obtenta, non eſt amplius neceſſaria.

Vrgebis, abſolutio non potuit tradi ſupra peccatũ incognitum. Sed ſi undecimũ furtũ e.g. exponatur ut dubium, illud eſt incognitum ſacerdoti. Ergo ſupra illud non potuit cadere abſolutio; adeòque non remanet abſolutum, ſed abſoluendum.

Diſtinguo maiorem, non potuit abſolutio cadere ſupra peccatum incognitum ſacerdoti, ex culpa pœnitentis, concedo: ſine eius culpa, nego maiorem. Et admiſſo in minori, quòd undecimum furtum, fuerit incognitum ſacerdoti, ſine culpa, pœnitentis, nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia peccatum inculpabiliter omiſſum, remittitur indirectè, per abſolutionem directè cadentem ſupra alia, peccata, ſiue in eadem, ſiue in alia confeſ-

ſione

ſione, ut patebit in loco. Præterquamquòd qui cõfitetur culpam quoad ſubſtantiam, cum ſolo dubio iuris, vel circumſtantiarum, non tenet illam incognitam ſacerdoti, licèt illam non detegat quoad omnem formalitatem malitiæ, quam non nouit. Ergo non abſoluitur de incognitis.

Vnde patet reſponſio ad fundamentum contrarium, quod ſolùm concluderet, ſi ignorantia eſſet de peccato quoad ſubſtantiam, quod proinde non fuiſſet manifeſtatum. Sed quia concluſio procedit de ignorantia iuris, vel circumſtantiarum, ideo nihil probat.

ARTICVLVS V.

An peccatum aliàs abſolutum poſſit eſſe materia ſufficiens pœnitentiæ?

VIdetur non poſſe, ut plures, & inſignes theologi propugnant, hoc unico argumento. Si abſolueretur peccatum aliàs abſolutum, non eſſet vera forma abſolutionis, *ego te abſoluo*, quia verè non abſolueret, cùm nullum tolleret nexum, ſeu vinculum, quo pœnitens teneretur præpeditus. Ergo ex falſitate illius, non conficeretur ſacramentum, quod debet eſſe ſignum verum. Et ratio eſt, quia hoc ſacramentum debet eſſe reconciliativum hominis cum Deo. Ergo ſupponit

culpam allatiuam inimicitiæ. Atque adeo ſi ſupponatur ablata culpa, quia eſt ablata inimicitia, non remanet locus reconciliationi.

Concluſio, *Peccatum aliàs abſolutum potest eſſe materia ſufficiens pænitentiæ.* Ita Nauarrus c. 21. n. 42. Conink diſp. 4. dub. 3. n. 27. Bonaccina diſp. 5. q. 3. p. 1. n. 10. Eſparſa q. 90. ad 4. Caietanus, Sotus, Figliuccius, Vaſquez, Suarez, & eſt quaſi communis.

Probatur, cùm non poſſimus in hac vita habere certitudinem claram, & euidentem, quòd verè fuerit data abſolutio, & quòd pęnitens verè fuerit gratiam conſecutus, ſemper qui confeſſus eſt, licèt fuerit ſenſibiliter abſolutus, remanet incertus, an odio, vel amore dignus ſit. Ergo ſemper peccatum remanet abſoluendum, quia donec habeatur certitudo veræ abſolutionis, eſt moraliter perinde, ac ſi numquam fuiſſet abſolutus. Quòd ſi Deus illi reuelaret, fuiſſe verè iuſtificatum, propter veram abſolutionem, & diuinam acceptationem, tunc reſpectu illius, peccatum abſolutum non poſſet eſſe materia ſufficiens ad nouam abſolutionem, ſed ſolùm materia ruboris, & confuſionis pęnitenti.

Confirmatur praxi totius Eccleſię. Nam fideles timorati aſſiduò faciunt confeſſiones generales, vel annuas, vel triennales, ſola abſoluta crimina confitendo. Ergo pu-

putant, illa remanere adhuc iterum abſoluenda.

Ad oppoſitum fundamentum multi multa dicunt. Sed quia videtur ſemper in ſuo robore permanere, ideo relatis aliquibus ex celebrioribus reſponſionibus, tandem dicam quid ſentio in hac materia.

D. Thomas q. 84. ar. 3. ad 5. ait, illam formulam, *ego te abſoluo*, ſignificare, *ego tibi ſacramentum abſolutionis impendo*. 2. Alij dicunt, illam formulam ſignificare, *ego confero tibi gratiam ſanctificantem, & quantum eſt ex ſe, remiſſiuam peccati*. Nam ſupponunt, ſacramenta primò, & per ſe producere gratiam, & delere peccata quaſi per accidens, & ſolùm conſecutiuè, ut facit calor, qui per ſe calefacit, & ſolùm conſecutiuè deſtruit frigus. 3. Caietanus to. 1. opuſc. trac. 5. q. 4. docet, formam abſolutionis verificari per deletionem reliquiarum peccati, ut ſunt malæ inclinationes ab eo relictæ. 4. Alij ſuppreſſo nomine relati à Conink diſp. 4. dub. 8. n. 49. dicunt, formam abſolutionis in tali caſu verificari, de remiſſione pœnæ temporalis debitæ peccato. 5. Alij dicunt, ad valorem abſolutionis ſufficere, ſi eadem crimina iterum clauibus exponantur; ſiquidem per talem expoſitionem iterum redeunt ad iuriſdictionem Eccleſiæ, quæ proinde poteſt in illa exercere actus iuriſdictionales, cuiuſmodi eſt abſolutio; & his videtur

accedere Bonaccina loco citato.

Sed hæ reſponſiones non ſunt ſufficientes. Non prima, quia petit principium, cùm de hoc ipſo quæratur, an poſſit impendi ſacramentum abſolutionis ſuper peccatum aliàs abſolutum. Non ſecunda, quia cùm gratia ſanctificans non conferatur peccatori, potiùs verificatur oppoſitum, quòd videlicèt primariò remittatur peccatum, & conſecutiuè conferatur gratia. Non tertia, quia licèt poſſet fortaſſe verificari de peccatis mortalibus poſitiuis, non tamen de negatiuis, ut ſunt omiſſiones actuum præceptorum, neque de venialibus, ex quibus non reſultant illæ prauæ inclinationes. Non quarta, quia poteſt contingere, quòd peccatum ſit plenè abſolutum quoad culpam, & totam pœnam, in quo caſu ſecunda abſolutio eſſet omninò falſa, & fruſtranea. Neque quinta, quia petit principium, eò quia hoc ipſum immediatè quæratur, videlicèt an poſſit iterum ſubijci clauibus peccatū aliàs ſubiectum, & abſolutum.

Conink diſp. 4. dub. 8. nu. 52. docet, peccatum ligare poſitiuè, & negatiuè. Poſitiuè obligando ad pœnam: & negatiuè impediendo gratiam, & beneficia à Deo recipienda. Sicut ergo votum dicitur ligare etiam, quando non eſt, & poteſt verè abſolui; ita & peccatum poteſt verè abſolui, etiam quando non eſt, quia verè

ligat

ſigat poſitiuè, vel negatiuè. Cùm ergo illa forma, *te abſoluo* ſit uniuerſalis diſiunctiua, ſignificat quidem abſolutionem ab omni vinculo, tamen verificatur per ſolam abſolutionem illius vinculi, quod verè remanet, ſiue poſitivum, ſiue negativum, eo modo quo hæc propoſitio *aliquis homo currit*, ſignificat omnem hominem, tamen verificatur per ſolum Petrum currentem. Vnde infert, quòd illa forma ſignificat abſolutionem in communi, abſtrahentem ab hoc, vel illo vinculo determinatè ſumpto. Affert exemplum Petri remittentis debitum pecuniæ Paulo, & famæ Ioanni. Nam eius remiſſio cadit in communi ſupra omne debitum ut ſic, preſcindendo à debito pecuniæ, vel famæ, quamuis materialiter, & ratione ſubiecti, habeat præſtare diuerſum effectum. Ità inquit, abſolutionem peccatorum abſolutorum ferri in omne vinculum abſtractiuè, quamuis prò diuerſitate ſubiecti, modò præſtet effectum ſolutionis à culpa, & modo à pœna.

Sed hæc doctrina, quamuis ingenioſa, ſuſtineri non poteſt, quia tàm pœna poſitiua, quàm negatiua ſupponunt exiſtentiam peccati, ex quo deriuant, adeòque vinculum culpæ. Si ergo ſupponamus, hoc fuiſſe ablatum per unam abſolutionem, ceſſat utraque pœna. Sicut ergo in tali caſu non poteſt fieri noua abſolutio

à cul-

à culpa, ita neque poteſt fieri à pœna. Cùm ergo ad veritatem diſiuncti requiratur veritas, ſaltem in vna parte; in tali caſu non poteſt verificari illa forma, *te abſoluo*; quia nihil datur abſoluendum.

Reſpondeo igitur negando antecedẽs. Et dico, quòd etiam ſecunda abſolutio verè abſolueret à peccato iam abſoluto. Et ratio eſt, quia licèt verè ſit facta iuſtificatio, & ſi pateret, tolleret à peccato vim allatiuam ſollicitudinis, & anxietatis, adeòque nil in illo relinqueretur, per quod poſſet iterum ſubijci clauibus; quia tamen hoc non apparet, perinde ſe habet moraliter loquendo, ac ſi verè ſolutum non fuiſſet, quia adhùc retinet vim nocendi per pœnalitates allatas, ſecundum quam non cenſetur abſolutum, quoaduſque per diuinam reuelationem non manifeſtetur eius remiſſio, qua non poſita, ſemper remanet iterum, atque iterum abſoluendũ, ſaltem in ordine ad diminutionem illius anxietatis, quæ eſt aliqua pœna peccati, vel reatus illius. Quare ſecunda abſolutio de peccato quoad culpam, eſt conditionata, niſi ſit verè remiſſum; ſed quoad pęnam, eſt abſoluta, quia ſemper remanet illa pęnalitas, per abſolutionem minuenda, adeòque peccatum adhuc ſubiacet clauibus, à quibus non eximitur, niſi penitus deleatur, ſecundum culpam, & totam pęnam.

A. R.

ARTICVLVS VI.

An peccatum debeat ſubijci clauibus, ſecundum ſolam malitiam internam, reticendo actiones externas?

VIdetur poſſe reticeri actiones externas, quia hæ non ſuperaddunt actui interno nouam malitiam moralem. Ergo per ſe neque ſunt materia neceſſaria, neque ſufficiens. Atque adeo ſi aliquis occiderit Caium, ſatis eſt, quòd dicat, ſe habuiſſe animum firmum, & deliberatum occidendi hominem, in quo ſolo conſiſtit malitia homicidij, cùm exploſio ſclopi, vel enſis vibratio materialiter ſe habeant, in ordine ad homicidium.

Concluſio. *Debent neceſſariò explicari omnes illæ actiones externæ, quibus completur malitia interna. In earum tamen confeſſione, non debent neceſſario explicari omnes illæ, quæ neceſſariò ab illis proueniunt.* Eſt ferè communis.

Probatur prima pars, primò quia actio externa immediatè proueniens ab interna, non neceſſariò ab illa prouenit, ſed poteſt impediri. Ergo dicit novum exercitium libertatis, adeòque nouam malitiam. Ergo conſtituit per ſe novum peccatum, quod cùm non ſit purum complementum actus interni, non inuoluitur

for-

formaliter in illo, adeòque debet per ſe explicari. Alioquin tantùm peccaret qui ſolùm vellet occidere Regem innocentem, quàm de facto occidens: & volens virginem deflorare, quàm de facto deflorans, quæ ſunt abſurda. Ergo ſi plus peccat, debet illud plus clauibus exponere.

2. Non ſolùm prohibetur actus internus, ſed aliquando, & potiori iure actus externus, ut homicidium, adulterium &c. Ergo etiam actus exterius eſt contra legem æternam Dei, adeòque eſt peccatum neceſſariò confitendum, ad confeſſionis integritatem, ſtatutam in Tridentino ſeſſ. 14. can. 7.

3. Plus meretur qui executiuè facit opus externum bonum, quàm qui ſolùm cupit illud facere. Ergo magis peccat qui coniungit actum externum cum interno, quàm habens ſolùm internum.

Probatur ſecunda, huiuſmodi actiones non dicunt novum exercitium libertatis, adeòque nouam malitiam, ſed complent formaliter malitiam alterius actus, ex quo neceſſariò proueniunt. Ergo quia non conſtituunt novum peccatum, intelliguntur expoſitę in confeſſione aliorum actuũ, ex quibus deriuant. E. g. qui habet voluntatem efficacem, & abſolutam proijciendi Caium e feneſtra altiſſima, & verè proijciat, non tenetur dicere, à ſe Caium occiſum per talem proiectionem, ſed ſa-

tis

tis eſt quòd fateatur talem violẽtam pro-
iectionem, ex qua phyſicè neceſſariò ſe-
quitur mors Caij. Quod idem dico de
exploſione bombardæ, alijſque ſimilibus,
in quibus poſito uno, non datur libertas
ad alia. In his enim ſufficit confiteri il-
las actiones externas, ſiue primas, ſiue ſe-
cundas, ſiue intermedias, quibus poſitis,
non remanebat libertas ad ulteriores. Et
hæc eſt ratio, cur à viris doctis admoneã-
tur pœnitentes, ad confitendas illas ulti-
mas actiones externas, quæ neceſſariò ſup-
ponunt etiam alias, ut eſſet e. g. homici-
dium conſumatum, ex quo facilè intelli-
guntur actus præparatorij, & concomitã-
tes, quod idem dico de adulterio conſu-
mato &c.

Ad fundamentum oppoſitum nego an-
tecedens, quia cùm actiones huiuſmodi
externæ non neceſſariò ſequantur ex inter-
nis, ſemper ſupponunt novum exercitium
libertatis, adeòque ſine illis non intelligi-
tur peccatum perfectum, & conſumatum.
Nam ſæpe occidit, ut firmiſſimè delibe-
rans voluntas Caium occidere e.g. tamen
reipſa non occidat, quamuis non deſit
commoditas occidendi, eò quia peccati
deformitas vehementiùs retrahit ab obie-
cto præſenti, quàm ex remoto, ut legimus
contigiſſe multis ſicarijs, qui aggredien-
tes viros principes ſtricto ferro, ut eos oc-
ciderent, eorum territi maieſtate receſſe-

runt, ſicut narratur de Mario, qui torui vultus intuitu, repulit à ſe milites à Sylla immiſſos, ut ſe confoderent. Ergo ſignum euidens eſt, quod illa actio exterior erat ſub eorum libertate, quamuis haberent animum deliberatum illum occidendi. Vnde ſequitur, duplicem eſſe peruerſitatem in occidente, unam videlicèt, quæ correſpondet actui interno, quo decernitur homicidium, & alteram, quæ correſpondet actui externo, quo executioni mandatur, vel ſaltem ſi velimus comparare volentem occidere, cum actu occidente, per modum duarum actionum prauarum, hæc eſt multò maior, quàm ſit illa. Ergo utraque debet exponi clauibus, ut ſit integra confeſſio. Quia tamen ſemper externa prouenit ab interna, quæ præſupponitur, ideo ſolent fideles communiter fateri ſolam externam, per cuius confeſſionem explicatur etiam interna. Verum quidem eſt, plerumque peccatum principaliter cōſiſtere in actu interno, tamquam in forma; hoc autem non tollit, quòminus malitia communicetur etiam actui externo, tamquam materiæ, & ſubiecto immediato, eo modo, quo homo principaliter eſt anima, licèt includat etiam corpus, ut materiam. Sicut ergo non adæquatè exprimitur homo per ſolam animam; ita neque peccatum per ſolum actum internum, qui eſt eius forma, ſeu pars formalis.

A R.

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

An ſint confitendæ circumſtantiæ mutantes ſpeciem, vel numerum peccatorum?

VIdentur non eſſe confitendę circumſtantiæ mutantes numerum, ut docent nonnulli recentiores, Primò quia in Tridentino non exprimuntur, niſi mutantes ſpeciem. Ergo non datur obligatio ad numerum, qui non variat ſpeciem, ſed ſolùm aggrauat peccatum quantitatiuè, & materialiter.

2. Dictum eſt ar. 4. peccatum dubium quoad ſolas circumſtantias, non eſſe iterũ confitendum ut certum, adueniente certitudine talium circumſtantiarum. Sed hoc ſuſtineri non poſſet, ſi circumſtantia numeri eſſet per ſe confitenda. Sicut enim dubietas facti, adueniente certitudine, obligat ad confeſſionem facti ut certò cõmiſſi, ita obligaret numerus. Ergo ideò non obligat, quia numerus non eſt per ſe exponendus; & ſi aſſeratur eſſe, falſa eſt illa doctrina, quæ non bene cohæret cum præſenti.

Concluſio, *Circumſtantiæ mutantes ſpeciem, vel augentes numerum peccatorum, ſunt neceſſariò confitendæ.*

Priuſqàm probem concluſionem, notandum eſt, nomine circumſtantiarum

in-

intelligi illa accidentia, quæ proueniunt ex loco, tempore, perſona &c. quæ omnia hoc verſu comprehenduntur, *quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*. Ex his autem aliquæ circumſtantiæ ſunt merè accidentales, quæ aggrauant culpam ſolùm quantitatiuè, ut eſſet e. g. ſi aliquis frangens ieiunium, indulgeat longę comeſſationi. Cum enim ieiunium ſit aliquid indiuiſibile, ſemel fractum per unam comeſtionem, non frangitur per aliam, ſed aggrauatur quantitatiuè, & materialiter, quod clariùs patet in peccato furti, quod patratum per materiam ſufficientem ablati, per excedentē non augetur, niſi materialiter, & quantitatiuè. Alię ſunt ſubſtantiales, quæ vel mutant ſpeciem, vel augent numerum, ut eſſet unus, aut multiplex acceſſus ad fœminam, ſiuè virginem, ſiue coniugatam, ſiue liberam. Siquidem multiplicatis acceſſibus, multiplicantur peccata ſolo numero differentia, ſi fiant ad eamdem; ſi verò ad diuerſam diuerſi ſtatus, multiplicantur ſecundùm ſpeciem, ut videbimus. Aliæ ſunt minuentes, quæ minuunt culpam. Hic ergo agimus tantùm de primis, de alijs autem agemus in ſequentibus articulis.

Probatur 1. Ex Tridentino, quod ſeſſ. 14. can. 7. definit, tamquam de fide. *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, neceſſarium non*

eſſe

Digitized by Google

eſſe iure diuino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, ac diligenti præmeditatione habeatur &c. & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, anathema ſit. Deinde etiam ratione, quia niſi hæ manifeſtentur, non eſt integra confeſſio, eò quia non manifeſtat omnes ſpecies peccatorum, & omnia, & ſingula indiuidua contenta ſub illis. Ergo ad hoc ut quis confiteatur omnia, & ſingula peccata, ut præſcribitur in tali canone, debet confiteri circumſtantias mutantes ſpeciem, & augentes eorum numerum. Quare in peccatis venereis e. g. non ſufficit dicere, acceſſi ad fœminam ter, aut quater, exprimendo numerum, non autem conditionem, & ſtatum illius, ſed debet exponi, an illa eſſet virgo, nupta, Deo ſacra, conſanguinea &c. Nam ſi fuerit virgo, eſt ſtuprum: ſi corrupta, & libera, eſt ſimplex fornicatio: ſi nupta, eſt adulterium: ſi Deo ſacra, ſacrilegium: ſi conſanguinea, inceſtus &c. Præterea debet exponi numerus, quia cùm toties patretur nouum peccatum, ſi numerus taceatur, non omnia manifeſtantur. Et ideo Tridentinum ibid. c. 5. docet, *quia ſine illis peccata ipſa nec à pænitentibus integrè exponuntur, nec iudicibus innoteſcunt, & fieri nequit, ut de grauitate criminum rectè cenſere poſſint, & penam quam oportet prò illis pæni-*

penitentibus imponere.

Ad 1. Dico cum D. Tho. in 4.d. 6.q.3. ar. 2. quæſtiunc. 4. Scoto, Alexandro, Alenſi, alijſque ſatis communiter, verè à Tridentino non fuiſſe factam in locis aſſignatis explicitã mentionem de numero peccatorum, quia verè eorum numerus non eſt circumſtantia, ſed ſubſtantia, & quidditas culpæ, propter diſtinctam malitiam, ortam ex nouo exercitio libertatis; & ideo ab initio diximus, hanc eſſe circumſtantiam ſubſtantialem, ad diſtinctionem accidentalium. Et ideo numerus non debuit comprehendi ſub circumſtantijs, cùm illi impropriè detur hoc nomen, ſed ſub illis verbis, *omnia, & ſingula peccata*. Et ratio eſt, quia circumſtantiæ ſunt prædicata ſecundaria, cuiuſmodi ſunt intenſio actus, aduertentia, duratio, locus, & alia, quæ illo verſu enumerauimus. Numerus autem eſt prædicatum primarium, & ſubſtantiale actus praui, qui in ſingulis indiuiduis multiplicatur.

Dices, Ea quæ mutant ſpeciem, recenſentur inter circumſtantias. Ergo à fortiori multò magis debuiſſent recenſeri quæ mutant ſolùm actus extenſionem duratiuam, cuiuſmodi eſt numerus. Probatur conſequentia, nam quæ conſtituunt ſpeciem, ſunt magis intrinſeca, & ſubſtantialia, quàm alia.

Nego

Nego conſequentiam, quæ fortaſſe valeret in ſpecie phyſica, & nihil probat de morali. Quia ergo peccatum eſt aliquod totum morale, & non phyſicum, ideo poteſt diuerſificari ſecundum ſpeciem, per aliqua etiam extrinſeca eius malitiæ, & entitati. Nam e. g. furtum gladij factum ex animo deliberato, utendi illo ad occiſionem Petri, eſt diuerſæ ſpeciei à furto eiuſdem gladij, facto, ex animo, & intentione illud vendendi, ad ſubleuandam filiorum egeſtatem; & tamen illa intentio occidendi, vel vendendi eſt quaſi extrinſeca, & ſecundaria furto, quia illud non complet, in eſſe ſimpliciter furtum, ſed ſolùm in eſſe furtum quoad modum, ſeu in eſſe taliter factum, cum tali fine &c. Ita etiam copula cum virgine, eſt diuerſæ ſpeciei à copula cum libera non virgine, & nihilominùs virginitas non complet illum actum, in eſſe copulam carnalem illicitam, ſed ſolùm in eſſe ſtuprum, ideſt copulam frangentem clauſtrum virginale. Contra verò repetitio eiuſdem furti, ſeu ſtupri, bis conſtituit hos actus, in eſſe formaliter prauos, quia eorum ponit duplicem entitatem, cum duplici exercitio libertatis. Ergo eſt illis intrinſeca, & eſſentialis, adeòque non eſt par ratio.

Vrgebis, quæ ſpecie diuerſificant, ſunt prædicata differentialia. Sed hæc ſunt intrinſeca, ut diximus in logica, ubi ſtatuimus,

mus, ea ſolùm differre ſpecie, quæ ſub eodem genere proximo diuerſas habent definitiones eſſentiales. Ergo & illa.

Reſpondeo, hoc eſſe verum de ſpecie logica, ſeu phyſica, non autem de morali. Et ratio eſt, quia cùm ſpecies moralis ſita ſit in prudentum exiſtimatione, ea ſolùm diuerſificantur ſpecie morali, quę non ſunt omninò ſimilia, & ſunt ad inuicem negabilia, per ſola ſua prædicata intrinſeca moraliter ſumpta, cuiuſmodi ſunt furtum, & homicidium. Contra verò quæ licèt ſint inuicem negabilia, tamen non ſunt inter ſe diſſimilia, ſecundùm ſua prędicata intrinſeca moraliter ſumpta, ſunt eiuſdem ſpecie moralis, ut eſt furtū unius aurei factum heri, reſpectu furti unius aurei, quod fiat hodie. Atque adeo quia poſſunt duo peccata fieri diſſimilia, per aliquod prædicatum ſecundarium, ideo poſſunt fieri diuerſæ ſpeciei moralis, quāuis non ſint diuerſæ ſpeciei logicæ, de qua ſola locuti ſumus in loco citato. Hoc non valet de diuerſitate numerica, quæ cum fundetur in diſtinctione phyſica entitatū, non poteſt haberi per prædicata extrinſeca, quia per hæc non multiplicantur entitates diſtinctæ.

A R

ARTICVLVS VIII.

An ſint confitendæ neceſſariò circumſtantiæ aggrauantes?

Videntur non eſſe, ut propugnant Paludanus, Medina, Syluester, Nauarra, Vaſquez, Toletus, Becanus, De Lugo, & alij plures, ſecuti D. Thomam in 4. d. 16. q. 3. ar. 2. quæſtiunc. 5. D. Bonauenturam ibid. d. 17. q. vlt. & Durandum ibid. d. 16. q. 4. Fundamenta ſunt, Primò quia in Tridentino ſeſſ. 14. dùm ſtatuitur materia remota neceſſaria confeſſionis, non aſſignantur, niſi peccata mortalia, & circumſtantiæ mutantes ſpeciem, quibus & nos addidimus augentes eorum numerum. Ergo quæ neque augent numerum, neque mutant ſpeciem, cuiuſmodi ſunt merè aggrauantes, non ſunt confitendæ.

2. Nullus tenetur ſcire quænam ſint circumſtantiæ aggrauantes, pròut diſtinctæ à non aggrauantibus. Cùm ergo nullus obligetur ad impoſſibile, neque obligatur ad confitendas huiuſmodi circumſtantias. Probatur antecedens, quia non poteſt decerni certa regula, qua poſſit cognoſci, quanta intenſio, vel extenſio actus requiratur, ad hoc ut circumſtantia fiat aggrauans, intra eamdem ſpeciem. Ergo

ſi aliquis teneretur ad hoc, obligaretur ad impoſſibile.

3. Circumſtantiæ merè accidentales, non ſunt materia neceſſaria. Sed aggrauantes ſunt merè accidentales, ut dictum eſt ar. 7. Ergo non ſunt materia neceſſaria.

Concluſio, *Circumſtantiæ notabiliter aggrauantes peccatum intra eamdem ſpeciem, ſunt materia neceſſaria confeſſionis.* Ita Conink diſp. 7. dub. 3. Caietanus V. *confeſſio* condit. 15. Suar. diſp. 22. ſect. 3. n. 5. Gonet diſp. 10. ar. 3. §. 1. Victoria, Sotus, Amicus, Martinon, Alenſis, & alij.

Probatur 1. ex Cathechiſmo Rom. p. 2. c. 5. n. 48, ubi dicitur, *Neque verò ſola peccata grauia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & prauitatem valde augent, vel minuunt. Quædam enim circumſtantiæ adeo graues ſunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantùm conſtet. Quare hæc omnia confiteri ſemper oportet.* Ergo ſunt materia neceſſaria, ut docent plerique Thomiſtarum.

2. Huiuſmodi circumſtantiæ vel addunt formaliter plures malitias diſtinctas, vel faciunt unam pluribus æquiualentem. Ergo non aggrauant merum materiale peccati, ut ſunt circumſtantiæ accidentales, ſed aggrauant etiam ipſum for-

formale, quod vel extendunt ad maiorem malitiam, vel ad maiorem deformitatem. Nam e. g. furtum ſex millium aureorum, abſque ulla cõparatione eſt maius, quàm furtum unius aurei, cuius malitiam toties continet: & inceſtus cum matre dicit ſpecialem deformitatem, quam non dicit cum ſorore, licèt ſint eiuſdem ſpeciei. Ergo quia huiuſmodi circumſtantiæ ſuperaddunt ſpecialem malitiam, & deformitatem, ſunt neceſſariò confitendæ.

4. Confeſſio debet eſſe talis, ut manifeſtet ſtatum pœnitentis, ut poſſit ſacerdos eſſe iuſtus iudex, & ferre ſententiam de cauſa plenè cognita. Non manifeſtatis autem his circumſtantijs, non manifeſtatur ſtatus pœnitentis, cùm aliter ſe habeat qui furatus eſt mille, ac ille qui duo tantùm furatus eſt. Ergo debent explicari.

5. Si tales circumſtantiæ non eſſent materia neceſſaria, non poſſent ratione illarum reſeruari peccata. Sed reſeruantur, ut patet in inceſtu quoad primum gradũ, qui à pleriſque Epiſcopis reſeruatur, non reſeruato quoad ſecundum, vel ſaltem quoad tertium. Ergo ſunt materia neceſſaria. Maior probatur, quia reſeruatio non poteſt fieri circa materiam liberam, ad quam non eſt obligatio, ut ſunt peccata venialia, & circumſtantiæ merè accidentales. Ergo debet eſſe de materia neceſſaria.

6. Omnes actiones externæ ſunt circumſtantiæ aggrauantes, quia non addunt actui interno nouam ſpecie malitiam. Sed hæ ſunt neceſſariò explicandæ, ut dictum eſt ar. 6. Ergo & illæ. Præterea crudeliſſimè ſæuiens in hoſtem, citra homicidium, non ſatisfacit dicendo, ſe grauiter mutilaſſe, ſed debet exponere, ſe aures, manus, pedes, & nares abſcidiſſe, effodiſſe oculos &c. unde apparet immanitas quædam, nullatenus expreſſa in graui mutilatione, ut ſic. Ergo debet ſpecialiter manifeſtare has circumſtantias.

Ad 1. Dico, Tridentinum noluiſſe quidquam decernere ſuper hac re controuerſa inter Doctores; ſatis tamen ſuam mentem notificaſſe, cum dixit, taliter faciendam confeſſionem, ut ex illa manifeſtetur ſtatus pœnitentis. Quare congruenter dicere poſſumus, eas non quidem explicitè, ſed fuiſſe implicitè comprehenſas à Concilio, ſub tali obligatione.

Ad 2. Nego antecedens. Sicut enim penitens tenetur ſcire circumſtantias mutãtes ſpeciem, vel numerum, ſic etiam tenetur ſcire aggrauantes, quæ facillimè ab omnibus, etiam rudibus dignoſcuntur. Quando ergo cognoſcit, ſe notabiliter exceſſiſſe conſuetum peccandi modum communem, & ordinarium, tenetur illum explicare. E. g. ſi plures horas inhæſerit eidem turpi delectationi, ſi hoſtem non

ſolùm occiderit, ſed occiſum in fruſta diſcerpſerit, ſi vim auri maximam, inuito domino ſurripuerit &c.

Ad 3. Nego minorem. Et dico, circumſtantias merè accidentales eſſe illas, quæ nullam dicunt ex ſe, ſiue formaliter, ſiue æquiualenter nouam malitiam, cuiuſmodi eſſet e.g. in fractione ieiunij, quòd fiat mane, vel veſpere. Circumſtantiæ verò aggrauantes dicunt ex ſe nouam malitiā, ſaltem æquiualenter, ut dictum eſt; Nam furtum centum aureorum, continet centies furtum unius aurei. Ergo non ſunt merè accidentales.

Dices, quæ addunt nouam malitiam, non aggrauant ſolum materiale peccati, ſed etiam ipſum formale. Ergo reducuntur ad eas, quæ mutant ſpeciem, vel numerum. Probatur conſequentia, ſi aliquis accedat ad puellam virginem, circumſtantia aggrauans materiale ſtupri erit e.g. quòd multum diffundatur in oſcula, amplexus &c. Aggrauantes verò formale erunt, quòd puella ſit Deo ſacra, quòd accedens ſit ligatus voto caſtitatis, fiat in loco ſacro, in vaſe præpoſtero, in contemptum, vel iniuriam patris, ſeu viri, cui fuerit illa puella deſtinata &c. Quia ergo primæ circumſtantiæ neque mutant ſpeciem, neque numerum, ſicut faciunt ſecundæ, ideo illæ ſunt merè accidentales, & nullam ſuperaddunt nouam malitiam,

ſecundæ verò ſunt eſſentiales, ex additione nouæ malitiæ. Nam defloratio virginis facta à laico eſt purum ſtuprum, facta verò à ſacerdote, vel in loco ſacro, eſt etiam ſacrilegium.

Nego conſequentiam, cùm ſupra ſtatutum fuerit, etiam intra eamdem ſpeciem, poſſe addi nouam malitiam, non ſolùm illam numero multiplicando, ſed etiam eius augendo deformitatem. Siquidem ſtuprum ſororis, licèt ſit eiuſdem ſpeciei cum ſtupro neptis, adhùc tamen in ipſa ratione ſtupri inceſtuoſi, multò maiorem dicit deformitatẽ, quàm ſecundum: & furtum centum aureorum, licèt ſit eiuſdem ſpeciei cum furto unius aurei, tamen eſt multò maius, non ſolum quantitatiuè, ſed etiam formaliter, propter virtualem continentiam, ſiue æquiualentiam centum furtorum unius aurei.

Vrgebis, furtum centum aureorum multiplicat numerum furti unius aurei, quod extendit ad centenarium. Ergo ideo addit nouam malitiam, quia auget numerum.

Reſp., furtũ centũ aureorum fieri poſſe per centum actus diſtinctos, quorum ſingulis ſinguli aurei eripiantur, & per unum illis centum æquiualentem. Si fiat primo modo, utique fit per numeri multiplicationem; ſi verò ſecundo modo, fit per æquiualentiam, abſque ulla multiplicatione

tione formali. Quia ergo quando comparauimus hæc furta, locuti ſumus de ablatione ſimul facta per unum actum centum aureorum, quæ non multiplicat ablationem unius, niſi virtualiter, ideo replica non habet locum. Præterquamquòd licèt concedatur, hanc, vel ſimilem circumſtantiam, quæ aggrauat materialiter peccatũ, illud etiam numero multiplicare, nullum eſſet abſurdum, cùm poſſint hæc duo in unum coincidere. In hoc ergo articulo, quia conſideratur ſolùm ut aggrauans, præciſa numerica multiplicatione, ideo non promouetur intentum arguentis, eò quia optimè cohæreat utraque doctrina.

ARTICVLVS IX.

An ſint confitendæ etiam circumſtantiæ minuentes?

VIdentur non eſſe, ut propugnant Conink diſp. 7. dub. 3. n. 16. Palud. in 4. d. 16. q. 3. ar. 3. Nauar. c. 6. n. 5. cum pluribus alijs, quamuis Nauarrus, re meliùs conſiderata, in eod. loco manifeſtet diſplicentiam talis opinionis, illaqua relicta, ſequatur oppoſitam. Eorum fundamenta ſunt, Primò quia cùm pœnitentia ſit ſacramentum reconciliationis cum Deo, in quo pœnitens ſiſtit ſe reum

coram Deo, à quo veniam humiliter petit, non debet ſe excuſare, ſed accuſare. Excuſaret autem, ſi has circumſtantias confiteretur, cuiuſmodi eſſet, ſi diceret, ſe patraſſe quidem adulterium, ſed importunè ab adultera prouocatum. Ergo non debet illas confiteri.

2. Huiuſmodi circumſtantiæ non mutant notabiliter iudicium morale confeſſarij de ſtatu pœnitentis. Ergo earum explicatio non eſt neceſſaria, ad illum manifeſtandum. Præterea non ſunt explicandæ ad confeſſionis integritatem, quia non tollunt malitiam ſpecificam, ſeu numerum peccatorum. Ergo ex nullo capite prouenit neceſſitas illas confitendi. Probàtur aſſumptum, nam ſi aliquis e. g. peccauerit vehementi tentatione victus, timore impulſus, ignorantia, vel inaduertentia, ita tamen, ut hæc non ſufficiant ad excuſandum à culpa, ex talibus circumſtantijs minuitur quidem ratio culpæ, non tamen transfertur ad aliam ſpeciem, ſeu minorem numerum. Ergo peccans non ponitur in ſtatu notabiliter meliore, de quo debeat à confeſſario formari melius iudicium; adeòque non debet ex ullo fine talem ſtatum manifeſtare.

Concluſio, *Non ſolùm ſunt neceſſariò confitendæ circumſtantiæ minuentes, cum faciunt peccatum de mortali veniale, vel eius mutant ſpeciem, ſeu minuunt numerum,*

rum, ſed etiam quando ſolùm quantitatiuè & materialiter, notabiliter tamen culpam minuunt. Ita Sotus in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. concl. 5. quem nuper ſequitur Gonettus hic diſp. 10. ar. 3. §. 2. cum pleriſque Thomiſtarum.

Probatur prima pars, cum communi Theologorum ſuffragio, quia non explicatis his circumſtantijs, pœnitens confiteretur peccatum quod non patrauit, & ſileret quod verè patrauit. Sed hæc eſſet confeſſio falſa, & inſufficiens, ut patet. Ergo tenetur confiteri has circumſtantias. Probatur maior, nam ſi aliquis accedat ad virginē deſponſatam putans, illam eſſe liberam, & corruptam, certè non committit ſtuprum, ſed ſimplicem fornicationem. Si ergo taceat iudicium, quod habuit de illa fœmina, cum qua concubuit, & fateatur, ſe acceſſiſſe ad virginem alteri deſponſatam, ſecundùm cognitionem, quam habuit de illa poſt confeſſionem, fatetur ſtuprum cum adulterio, quæ non patrauit, & ſilet ſimplicem fornicationem, quam verè patrauit. Ergo tenetur aperire iudicium illud, quod influxit, & impulit ad talem cōcubitum, per quod culpa minuitur, & reſtringitur ad ſimplicem fornicationem, præſertim cùm potuit eſſe ita diſpoſitus, ut ſi sciuiſſet, illam fœminam eſſe virginem, & alteri deſponſatam, ad illam numquam acceſſiſſet, ex

odio ſtupri, & multò magis adulterij.

Probatur ſecunda, primò quia confeſſio debet eſſe talis, ut ex illa poſſit coniici ſtatus pœnitentis. Hic autem non poſſet conijci, non explicatis talibus circumſtantijs. Ergo debent explicari. Probatur minor, nam confeſſarius audiendo Caium eſſe furatum decem millia aureorum, cognoſcit eius ſtatum deteriorem, quàm ſi eſſet furatus tantùm unum aureum, præſertim urgente aliquali neceſſitate. Ergo format de illo diuerſum iudicium, quod formare non poſſet, ſi Caius tantùm confiteretur, ſe furatum fuiſſe materiam ſufficientem ad furtum. Ergo ſi furatus eſt unum ſolum aureum, tenetur explicare, ut pateat quantitas ablati.

2. Eadem eſt ratio de circumſtantijs aggrauantibus, atque de minuentibus; & ideo Cathechiſmus Romanus p. 2. c. 5. n. 48. docet, *explicare oportet etiam illa, quæ unumquòdque peccatum circumſtant, & prauitatem valde augent, vel minuunt*, eò quia tàm illæ, quàm hæ valde conferant ad manifeſtandum ſtatum pœnitentis. Ergo cùm illæ ſint neceſſariò confitendæ, ut probauimus ar. 8., etiam hæ.

Ad 1. Nego minorem. Primò quia excuſatio propriè eſt inueſtigatio cauſarum friuolarum, ad euadendum, vel minuendum culpæ ruborem. Huiuſmodi autem circumſtantiæ non ſunt exponen-

dæ

dæ, ad euadendum, vel minuendum ruborem, quod fortaſſis abſque culpa fieri non poſſet, ſed ad manifeſtandam ſincerè veritatem. Ergo non eſſent excuſatiuæ, ſed potiùs manifeſtatiuæ. Deinde hoc ſacramentum ita eſt accuſativum, ut ſit etiã emendativum, & deletivum ſcelerum, quę clauibus ſubijciuntur. Ergo ad hoc ut ex ipſa accuſatione poſſit ſacerdos per modum iudicij præbere abſolutionem, & taxare pœnam congruentem, debet cognoſcere veram delicti menſuram, ut iuxta illam imponat debitam ſatisfactionem, delictum non excedentem. Hoc autem requirit confeſſionem plenam delictorum, cum omnibus aggrauantibus, & minuentibus, quæ proinde prætériri non poſſunt.

Ad 2. Nego antecedens. Nam ſi pœnitens fateatur inceſtum cum nepte, utique non apparet confeſſario tàm turpis, quàm appareret, ſi præberet ſuſpicionem inceſtus cum ſorore, vel matre. Ergo non ſufficit dicere *commiſi inceſtum*, ſed tenetur aperire etiam gradum conſanguinitatis, vel affinitatis. Idem dico de furto, niſi explicetur quantitas ablati. Ergo debent etiam exponi hæc omnia, & ſingula, quibus poſſit determinari iudicium ſacerdotis ad tantam pœnitentis reitatem, & non maiorem, vel minorem. Vnde patet reſponſio ad ea, quæ ſubduntur in argumento.

DISPVTATIO
SEXTA
De Materia proxima Pœnitentiæ.

ACcedentes ad materiam proximam huius ſacramenti, illā prius inueſtigabimus quaſi genericè, abſtractis partibus, & conſtitutiuis in particulari, & deinde agemus de illis ſeorſim. Quærentes ergo illam quaſi genericè, & abſtractiuè in hac diſputatione, agemus primò cum hereticis, eorum ſingulos errores confutando, & deinde cum catholicis, eorum opiniones examinando.

ARTICVLVS PRIMVS.
An materia proxima pœnitentiæ ſit aliquid extra actus pœnitentis? Confutantur errores hæreticorum.

VIdetur eſſe, Primò quia Lutherus, cui adhærent Melanchton, Kemnitius,

Digitized by Google

tius, & plures alij eiuſdem farinæ, ait, pœnitentiam conſtare tantùm ex lege, & Euangelio, tamquam partibus eſſentialibus, quas deinde explicat per contritionem, ex minis legis, & fidem ex promiſſis Euangelij, & alibi per mortificationem, & viuificationem, ſeu terrorem, & fiduciam.

2. Nicolaus Selneſterus cum ſuis, conuenit cum Luthero in duabus partibus aſſignatis, ſed illis ſuperaddit ut tertiam partem eſſentialem, opus bonum, ſeu nouam obedientiam, excluſis dolore, confeſſione, ſatisfactione.

3 Caluinus, Theodorus Beza cum ſuis aſſeclis, admittentes cum Luthero priores partes pœnitentiæ, illas explicant diuerſimodè. Nam nomine mortificationis non intelligunt terrores conſcientiæ, ſed mortem vitiorum, & ſpoliationem totius veteris hominis: & nomine viuificationis non intelligunt fiduciam, ſed propenſionem, ſiue bonum habitum, acquiſitum ad bene operandum, ita ut propenſio ſit pars eſſentialis, & opera bona, ad quæ illa terminatur, ſint fructus pœnitentiæ.

4. Idem Melanchton ait inſuper, etiam ritum externum eſſe partem eſſentialem pœnitentiæ. Sicut enim (inquit) verbum incurrit in aures, ut feriat corda, ita ritus ipſe incurrit in oculos, ut moueat corda.

5. Alij dicunt, pœnitentiam conſtitui

ex-

ex abſolutione, & baptiſmo, vel ſaltem eius recordatione, excludẽdo omnes actus pœnitentis. Et alij alia ſuis locis ſingillatim impugnanda.

Concluſio, *Extra actus pœnitentis, non poteſt inueniri materia proxima huius Sacramenti.*

Probatur primò ex definitione eſſentiali illius, quam omnes ut optimam admittunt, nempe, *Sacramentum reconciliationis cum Deo poſt lapſum, in actibus pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis, per modum iudicij conſiſtens.* Sed in hac nihil inuoluitur ex parte materiæ proximæ, præter actus pęnitentis. Ergo quidquid aliud aſſignetur, impertinenter ad illam ſe habet, & adſummum, vel eſt actus præparatorius, vel ceremonia, vel fructus, ſeu effectus illius, ut videbimus infra.

2. In Tridentino ſeſſ. 14. c. 3. & can. 4. definitur cum Florentino in decreto unionis, materiam eius proximam eſſe tantùm tres actus pęnitentis, nempe contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, ut patebit inferiùs, cum agemus cum catholicis. Ergo qui aliter opinatur, errat, & ſentit cum hæreticis.

Vnde patet reſponſio ad oppoſita. Vt autem magis pateat firmitas catholicæ veritatis, ad ſingula reſpondebimus. Ad 1. Ergo anathematis fulmine reſpondet Tridentinum ſeſſ. 14. can. 4. his verbis, *Si*

quis

Digitized by Google

quis dixerit duas tantùm eſſe pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Euãgelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, anathema ſit.

Dices, 2. ad Cor. 7. dicitur, *quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Ergo etiam terror conſcientiæ eſt pars ſacramenti.

Nego conſequentiam, cùm ex tali loco aliud non habeatur, niſi pœnitentiam eſſe fructum, ſeu effectum illius triſtitiæ, quæ reſultat ex conſideratione peccati, quatenus eſt offenſa Dei, & allativum pœnarum inferni, ut optimè Tridentinum exponit ſeſſ. ſexta, cap. 6. his verbis, *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dùm peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur.* Et ipſe D. Paulus in eod. c. 7. ait, *gaudeo, non quia contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam,* hoc eſt quòd veſtra triſtitia ordinetur ad pœnitentiam, tamquam ad eius fructum.

Ad 2. Dico, vel nomine boni operis intelligi contritionem, & ſatisfactionem, vel quodcumque aliud bonum opus? Si primum, ergo hoc opus bonum non eſt tertia pars, ſed ſunt formaliter duæ ex illis, quæ admittuntur à catholicis cum Triden-

dentino, quibus ſi addatur confeſſio, erit tota materia proxima ſacramenti, cùm & ipſa ſit opus bonum. Si ſecundum, hoc eſſe falſum patet ex eo, quòd multa bona opera fiunt à iuſtificato, quæ nullam dicunt relationem ad peccata præterita, quorum proinde non ſunt pœnitentia, cuiuſmodi ſunt actus charitatis in Deum, miſericordiæ in proximos, iuſtitiæ, & temperantiæ. Ergo non poſſunt eſſe eius partes.

Ad 3. Dico primò, pœnitentiam diſponere ad iuſtificationem, à qua proinde diſtinguitur. Cùm ergo mors vitiorum, & ſpoliatio totius veteris hominis, ſint formaliter effectus iuſtificationis, non poſſunt eſſe partes pœnitentiæ. Quòd autem pœnitentia ſit diſpoſitio præuia ad iuſtificationem, patet ex infinitis locis ſacrorum codicum, ut Ezech. 18, *Si pœnitentiam egerit impius, iniquitatem eius non recordabor*. Et Lucæ 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*. Et Act. 3. *Pœnitemini, & conuertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Deinde pœnitentia eſt inſtituta, ad peccatorum deletionem. Ergo ſupponit in penitente habitus vitioſos per ipſam tollendos, adeòque ipſa non poteſt formaliter conſtitui ex habitibus acquiſitis virtuoſis, intrinſecè incompoſſibilibus cum vitioſis, cuiuſmodi ſunt ſpoliatio veteris homi-

nis

nis, & propenſio ad bene operandum; aliter vel idem ſimul eſſet intrinſecè propenſus ad oppoſita, ſi ſermo ſit de habitibus virtuoſis acquiſitis, vel confunderetur pęnitentia cum iuſtificatione, ſi ſermo ſit de habitibus infuſis, quæ ſunt abſurda.

Ad 4. Dico, vel nomine ritus externi intelligi manuum impoſitionem, vel ſignum crucis, vel motum labrorum, vel baculum, veſtes, locum, vel quodcumque aliud extrinſecum ſignum aſſignabile? Nihil autem horum poteſt eſſe de eſſentia ſacramenti pęnitentiæ. Ergo non conſtituitur ex ritibus. Probatur minor, quia eiuſmodi ritus non ſunt ſimpliciter neceſſarij, ad valorem huius ſacramentis ut apertè colligitur ex eius inſtitutione, definitione, ratione iudicij, & ex praxi totius Eccleſiæ. Primum patet ex diſp. 3. in qua probauimus, hoc ſacramentum fuiſſe à Chriſto inſtitutum illis verbis, *quorum remiſeritis peccata &c.* in quibus nulla fit mentio talium rituum. Secundum patet ex prima probatione concluſionis. Probo tertium, iudicium conſtat ex quattuor partibus, nempe accuſatione, defenſione, ſententia, & pęnæ taxatione. Sed in his, quatenus conſtituunt hoc ſacramentum, quod fit per modum iudicij, non inuolvuntur externi ritus. Siquidem accuſatio fit ab ipſo pęnitente per confeſſionem ſuorum ſcelerum. Defenſio fit ab

eodem per deteſtationem ſcelerum, & veniæ humilem petitionem. Sententia fit à ſacerdote per abſolutionem: & ab eodem taxatur pęna per impoſitionem ſatisfactionis, quæ acceptatur à pęnitente, & per talem acceptationem ſe ſubmittit ſententiæ in ſe prolatæ. Sed hæc omnia poſſunt fieri abſque ullo ex aſſignatis. Ergo illa non ſunt ſimpliciter neceſſaria. Probo quartum, cum fideles accedunt ad confeſſarios, non petunt manuum impoſitionem, ſignum crucis, vel alium ritum externum, ſed abſolutionem ſuorum criminum, qua obtenta, putant, ſibi eſſe remiſſa omnia, & ſingula illa peccata, quæ contriti ſacerdoti manifeſtarunt. Ergo quamuis ab aliquibus hi ritus adhibeantur, non tamen cenſentur neceſſarij, ſed putantur adhibiti, ad ornatum, & decorem ſacramenti, ut ea qua par eſt dignitate exerceatur; ac proinde ex nullo capite apparent neceſſarij, & multò minùs conſtitutiui.

Dices, in baſilicis præcipuis, ſolent pęnitentiarij adhibere oblongos baculos, quibus tangant capita pœnitentium. Præterea concilium 4. Cartaginenſe can. 78. iubet, quòd ſi aliquando extremo vitæ periculo conſtitutis, ſubminiſtretur Euchariſtia, etiam per modum viatici, ceſſante periculo, non debent huiuſmodi homines cenſere ſe abſolutos, niſi manuum impoſitione à ſacerdotibus abſoluantur.

Ergo

Ergo hi ritus ſunt neceſſarij.

Nego conſequentiam. Et ad 1. Dico, uſum illorum baculorum non adhiberi à pęnitentiarijs, ad uſum Sacramenti, prò pęnitentibus accedentibus ad confeſſionem faciendam, ſed prò prætereuntibus, ut aſſueſcant humilitati, dùm detecto capite cernui ſe exponunt vapulaturos. Deinde fuit hic mos inſtitutus, ut facilè ſecernantur ab alijs pęnitentiarij, qui habent facultatem ad reſeruata. Et demum ut aliquando etiam indulgentias largiantur per talem tactum, tamquam delegati, & miniſtri Romanorum Pontificum, ut ſuauiùs peccatores ad eorum tribunal alliciantur. Ergo hic ritus non poteſt eſſe pars Sacramenti. Et idem dico de quocumque alio ritu, qui poſſit alicubi laudabiliter obſeruari. Ad 2. Dico, concilium accipere manuum impoſitionem, quæ tunc temporis erat in uſu, pro ipſo actuali exercitio pęnitentiæ publicæ, ita ut ſit ſenſus, quòd ſi forte pęnitentes (quibus ab eodem concilio can. 80. iubebatur, ut ſingulis diebus à ſacerdotum manibus ſuper capita tangerentur) ex mortis periculo admitterentur ad Euchariſtiam, deberent illo tranſacto, redire ad manuum impoſitionem, hoc eſt ad priſtinam pęnitentiam, ſine qua non cenſerent ſe abſolutos ab excommunicatione, vel pęna temporali ſibi taxata, non autem à peccatis, cum quo-

rum

rum reatu non potuiſſent admitti ad ſumptionem Euchariſtiæ. Quia ergo ibi eſt ſermo de publicè pęnitentibus, propter enormia ſcelera, taliter damnatis ad pęnas publicas, nihil probatur prò pęnitentia ſacramentali.

Ad 5. Patet reſponſio ex dictis diſp. 2. ar. 3. ubi probauimus diſtinctionem adæquatam baptiſmi à ſacramento pęnitentiæ, & multò magis ab eius recordatione, quam diximus eſſe prorſus impertinentem, ad conſtitutionem huius ſacramenti.

ARTICVLVS II.

An contritio, confeſſio, & ſatisfactio ſint materia proxima huius ſacramenti?

VIdentur non eſſe, ut propugnant Scotus in 4. d. 14. q. 4. & d. 16. q. 1. Guglielmus, Okam, Maior, Iacobus, Almayn, alijque plures ex paulò antiquioribus, qui docent, nullum actum pęnitentiæ conſtituere eſſentiam huius ſacramenti, quam adæquatè formaliter conſtituunt per ſolam ſacerdotis abſolutionem. Vnde inferunt, dolorem, & confeſſionem eſſe ſolùm neceſſarios ut præuias circumſtantias, & conditiones *ſine quibus non*, non autem ut partes materiales; ſatisfactionem verò ut aliquid conſequens per modum effectus, ſeu fructus ſacramenti.

Eo-

Eorum fundamenta ſunt, Primò quia hoc ſacramentum debet eſſe adæquatè diuinum. Ergo non poteſt includere aliquod humanum, cuiuſmodi ſunt actus pęnitentis. 2. Ex illo ſolo conſtituitur, unde habetur eius ſignificatio. Sed hæc habetur ex ſola forma. Ergo ex illa ſola conſtituitur. 3. Materia proxima ſacramenti præſtari non poteſt, niſi ab eius miniſtro, à quo poteſt præberi etiam forma. Sed pęnitens non poteſt eſſe eius miniſter, quia non poteſt ſe abſoluere. Ergo neque poteſt præbere eius materiam proximam. 4. Per Florentinum, & Tridentinum actus pęnitentis dicuntur eſſe quaſi materia. Ergo non ſunt vera materia, ſed ſolùm ſimilitudinariè.

Durandus in 4. d. 16. q. 1. in uno ſolo diſcrepat ab his. Putat enim, abſolutionem eſſe formam, contritionem diſpoſitionem, & ſatisfactionem fructum ſacramenti; confeſſionem autem non excludit à conſtitutione ſacramenti, cuius docet eſſe materiam intrinſecam eſſentialem. Eius fundamenta ſunt, Primò quia quælibet veri ſacramenti pars debet eſſe ſenſibilis, cuiuſmodi non ſunt contritio, & ſatisfactio. 2. Quia ad valorem ſacramenti, ſufficit ſatisfactio in voto. Ergo in re, non eſt de eſſentia illius.

Concluſio, *Materia proxima pœnitentiæ ſunt tres actus pœnitentis, nempe contritio con-*

Digitized by Google

confeſſio, & ſatisfactio. Eſt communis inter catholicos, poſt Tridentinum.

Probatur 1. Ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 3. *Sunt autem quaſi materia huius ſacramẽti, ipſius pœnitentiæ actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem ſacramenti, ac perfectam peccatorum remiſſionem, ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Et can. 4. *Siquis negauerit, ad integram, ac perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam ſacramenti pœnitentiæ, videlicèt contritionem, confeſſionẽ, & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* Hoc idem priùs ſtatutum fuerat in Florentino, in decreto unionis. Ergo oppoſitum aſſerere, eſt erroneum.

2. Sacramentum pęnitentiæ traditur per modum iudicij emendatiui, & reconciliatiui, ut dictum eſt in 1. ar. Ergo ſicut in actu iudiciali completo debent interuenire accuſatio rei, eius defenſio, & ſententia iudicis taxantis pęnam; ita in hoc ſacramento, confeſſio habet rationem accuſationis, qua pęnitens ſponte comparens, ſe ſiſtit ut reum coram Deo: & eius dolor, ſeu contritio habet rationem defenſionis, eò quia debeat eſſe talis, ut poſſit aſſequi diuinam placationem, & recõciliationem. Abſolutio eſt ſententia iu-

dicis

dicis vicem gerentis Dei, & ſatisfactio eſt pęna taxata, iuxta proportionem delicti. Quia ergo inter hos actus cõfeſſio, dolor, & ſatisfactio ſunt partes imperfectiores, ſuper quibus cadit abſolutio, tamquam illarum perfectiua, & completiua in eſſe ſacramenti, ideo habent rationem perfectibilis, quod eſt proprium materiæ præſuppoſitæ, & abſolutio habet rationem perfectiui, quod eſt proprium formæ.

Ad 1. Scoti, diſtinguo antecedens, eſt adæquatè diuinum, quatenus eſt collativum gratiæ, & ablativum peccatorum, tranſeat: ſecundùm totum ſuum eſſe ſimpliciter, nego antecedens, & conſequentiam. Dixi *tranſeat*, quia (ut videbimus infra) neque ut collativum gratiæ, eſt adæquatè diuinum. Sicut ergo in alijs Sacramentis Deus eleuat aquam, oleum, criſma &c. ex vi verborum, quæ habent rationem formæ, ad hoc ut producãt inſtrumentaliter gratiam, ſimul cum ipſa forma, cum qua faciunt unum ſignum ſenſibile practicum, ſignificativum gratiæ, quàm cauſant; ita in hoc ſacramento, Deus ex vi verborum abſolutionis, eleuat actus pęnitentis, ut ſimul cum abſolutione, cauſent inſtrumentaliter gratiam, ut apertè docet D. Thomas 3. p. q. 86. ar. 6. in corp. & cenſet valde probabile Bellarminus lib. 1. c. 16. in fine. Et iuxta hanc opinionem, quam propugnabimus infra,

ne-

Digitized by Google

negamus ut falſum illud antecedens.

Ad 2. Nego maiorem. Aliud enim eſt effectus ſacramenti, & aliud eius eſſentia. Eſto igitur prò nunc, quòd ſola forma ſignificet eius effectum, non tamen ſignificat totam eius eſſentiam, ut patet in alijs ſacramentis. Siquidem forma baptiſmi eſt adæquatè ſignificatiua effectus huius ſacramenti, non tamen ſignificat eius adæquatam eſſentiam, niſi quatenus includit etiam aquam, ut materiam ſibi correlatiuam, & concauſam ſui effectus. Et idem dico de criſmate, & oleo ſancto.

Ad 3. Nego maiorem; miniſter enim, ut talis, ſolam debet præſtare formam, ex cuius coniunctione cum materia, ſequitur effectus ſacramenti. Neque obſtat, quòd præbens materiam, præbeat partem, & conſtitutivum eſſentiale, adeoque videatur habere rationem cauſæ efficientis, ut patet in generatione hominis, in qua generans ideo dicitur pater, quia præbet filio materiam intrinſecam. Hoc enim ſolùm verificatur de materia proxima, & non de remota. Quis enim dicat, Petrum e. gr. eſſe cauſam effectricem domus, vel arcæ, quia præbet ſaxa, & ligna informia? Actus ergo pœnitentis, ſi ſumantur materialiter, & ut ab illo precisè prouenientes, ſunt ſolùm materia remota pœnitentiæ, nec fiunt materia proxima, niſi ut aſſumūtur à ſacerdote virtute clauium, ad conſtituen-

ſtituendum ſacramentum, ſicut ſaxa fiunt materia proxima domus, ut poliuntur, & aptantur ad eius conſtructionem. Vnde ſequitur, duplicem eſſe materiam remotã in hoc ſacramento, nempe ſcelera, & hæc ſunt materia remotiſſima, quæ numquam poteſt eleuari ad eſſe materiam proximã, quia eſt eſſentialiter *circa quam*: & actus pœnitentis materialiter ſumpti, & hæc eſt materia propinquior, & eleuabilis ad rationem ſacramenti, & ut eleuata, eſt eius materia proxima, & *ex qua*, ut optimè proſequitur Conink diſp. 4. dub. 4. n. 35.

Ad 4. Nego conſequentiam, quia ſi nõ eſſent vera materia, non poſſent à Tridentino vocari pars ſacramenti. Dicuntur autem quaſi materia, Primò quia non cõſtituunt ſacramentum, ut partes permanentes, & per ſe ſenſibiles, ut ſunt aqua, oleum, & criſma, reſpectu baptiſmi, confirmationis, & extremæ unctionis, ſed ſunt actiones tranſeuntes, ut docet Bellarminus hìc c. 16. ad 5. Deinde quia, ut loquitur cathechiſmus de pœn. n. 14. *Neque verò hi actus quaſi materia à S. Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, ſed quia eius generis materia non ſint, quæ extrinſecùs adhibeatur, ut aqua in baptiſmo, & criſma in confirmatione.* Demum Bonaccina diſp. 5. qu. 3. p. 2. & Henriquez in ſum. lib. 4. c. 10. n. 3. cum multis alijs, obſeruant, illam particulam

quaſi non eſſe diminutiuam proprietatis, ſed potiùs confirmatiuam, ſicut cum dicitur de Chriſto D. Ioa. 1. *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à patre*, ideſt tamquam veri unigeniti. Ergo hinc potiùs probatur oppoſitum.

Ad 1. Durandi, dico, contritionem non eſſe partem ſacramenti, ut eſt in corde, ſed ut manifeſtata ſignis externis, nempe humili locutione, lachrymis, ſitu demiſſo, pectoris tunſione &c. quibus fit ſenſibilis. Satisfactio verò fit ſẽſibilis per impoſitionẽ, acceptationẽ, promiſſionem ad implenionis &c. Ergo etiam ipſa eſt ſenſibilis, licèt ſit in voto. An autem ſit pars eſſentialis, vel integralis, videbitur in art. ſequenti.

Vnde patet reſponſio ad 2. eiuſdem. Quòd ſi aliquis miretur, authores tàm inſignes inter catholicos, incidiſſe in tales errores, meminiſſe velim, illos fuiſſe ante Florentinum, & Tridentinum, cùm nondùm eſſet aliquid hac ſuper re determinatè ſtatutum. Quare cùm variè fuerint opinati de materia tunc temporis purè diſputabili, excuſationem merentur, nec ullo modo ſunt inter hæreticos recenſendi, ob defectum pertinaciæ, quia (ut prò ipſis ſpondet Bellarm. lib. 1. c. 15.) *ſi hoc tempore ſupereſſent, ſine dubio Eccleſiæ definitioni, ac ſententiæ acquieſcerent*. Quia tamen materialiter errarunt, ideo hac ſuper

Digitized by Google

per ſe nullam faciunt auctoritatem.

ARTICVLVS III.

An hi actus ſint partes eſſentiales conſtitutiuæ?

VIdentur non eſſe, ut propugnat Bellarm. to. 2. contr. 4. gen. lib. 1. c. 17. cum noſtro Argentinate in 4. d. 16. q. 1. ar. 1., & nonnullis alijs, aſſerentibus, actus pęnitentis eſſe quidem partes intrinſecas conſtitutiuas, non tamen eſſentiales, ſed integrales, cum hoc uno diſcrimine, quòd contritionem, & confeſſionem dicant eſſe integrales primarias, & principales, ſine quibus nullo modo poteſt dari eſſentia ſacramenti, ut ſunt in homine cor, cerebrum & caput; ſatisfactionem verò dicant eſſe ſolùm integralem ſecundariam, ut ſunt in homine manus, & pedes, ſine quibus poſſet quidem dari ſacramentum, ſed mancum, & imperfectum, ſicut eſſet homo, ſine manibus, & pedibus. Eorum fundamenta poſſunt eſſe.

1. Quia in Tridentino ſeſſ. 14. c. 3. ubi ſtatuitur, hos actus eſſe materiam, dicitur, illos requiri ad ſolam integritatem ſacramenti. Ergo ſunt partes integrales.

2. Satisfactio eſt ſolùm ordinata ad remiſſionem pœnæ. Ergo non poteſt eſse pars conſtitutiua eſsentialis ſacramenti,

quod ordinatur ad cauſandam gratiam, deletiuam peccati. Et ideo communiter dicitur eſse fructus illius.

3. Docet Magiſter in 4. d. 18. dimitti ſæpe culpam, ante actualem illius confeſſionem. Ergo confeſſio non eſt pars intrinſeca eſsentialis ſacramenti; aliter daretur ſacramentum operativum, ante aliquam eius partem eſsentialem.

4. Contritio, & ſatisfactio non ſunt ſimul cum abſolutione, immò neque cum confeſſione, quam illa præcedit, & hæc ſubſequitur. Ergo non ſunt partes actuales, & multò minùs eſſentiales ſacramenti.

Concluſio, *Contritio, confeſſio, & ſatisfactio in voto ſunt partes materiales eſſentiales; ſatisfactio verò in re, eſt ſolùm integralis.*

Probatur prima pars, confeſſio, non purè hiſtorica, ſed humilis, & contrita, eſt illa, quæ ſimul cum abſolutione ſaluat adęquatè eſſentiam huius reconciliationis iudicialis ſumptæ tàm actiuè, quàm paſſiuè, & remiſſionis peccatorum cum infuſione gratiæ ſanctificantis. Ergo ſimul cum forma conſtituit hoc ſacramentum per modum partis eſſentialis. Sed confeſſio humilis, & contrita inuoluit dolorem, & ſatisfactionem in voto, ut infra probabitur. Ergo cum præmittatur ut aliquod indifferens, cui ſuperaddatur, vel non ſuperaddatur abſolutio, per quam actuetur,

&

& perficiatur in eſſe ſacramentum, habet rationem materiæ proximæ, & abſolutio habet rationem formæ.

Probatur ſecunda, illa eſt pars eſſentialis, qua ſola ablata, non remanet totum. Sed ſatisfactio in re non eſt huiuſmodi, eò quia etiam illa non poſita, vel ſublata, remanet ſacramentum, cum tota ſua virtute operatrice, qua ponitur gratia remiſſiua peccati, quæ eſt eius effectus primarius. Ergo non eſt pars eſſentialis, ſed integralis, ſolum intrinſecè perficiens, & ultimatè complens ſignificatum huius ſacramenti, eo modo quo manus perficit hominem, non tamen conſtituit eſſentialiter.

Ad 1. Nego conſequentiam, Primò quia cùm forma non poſſit cadere, niſi ſupra materiam, ut ſuam compartem eiuſdem totius, aſſignata abſolutione ut forma, & aſſignatis his actibus ut materia à Tridentino, ſequitur quòd ſicut forma eſt pars eſſentialis, ita ſint hi actus, nè velimus contradicere Florentino, docenti, ſacramenta conſtare ex materia, & forma, aſſignando ſolam formam, ut huius ſacramenti conſtitutivum adæquatum, quod eſſet ſentire cum Scoto, quem ſupra reprobauimus, quoad hoc. Deinde dico, aliquando integritatem ſumi prò quidditate, ita ut illud dicatur integrum, cui nulla deſit ex partibus conſtitutiuis. Et hoc modo Concilium cum dixit, hos actus ſpecta-

re ad integritatem ſacramenti, voluit dicere, ſpectare ad eius quidditatem, & eſſentiam, ut mox probabimus.

Vnde patet, ſuſtineri non poſſe doctrinam auctorum, quos ſupra recenſuimus, aſſerentium, hos actus eſſe partes tantùm integrantes. Primò quia ſacramentum pęnitentiæ nullam haberet materiam eſſentialem, eò quia nulla alia poſſit aſſignari pars materialis eſſentialis. Deinde ſi actus pęnitentis non ſpectent ad eſſentiam ſacramenti, poſſet hoc haberi ſine illis, ſicut homo ſine manibus. Hoc autem repugnat, non ſolùm Tridentino, ſed ipſis terminis, eò quia daretur confeſſio, ſine confeſſione. Demum falsò ſupponitur, cor, cerebrum, & caput eſſe partes integrales primarias, cùm in 1. de an. probauerimus oppoſitum. Nam cùm homo dicat eſſentialiter corpus, & hæc ſint de intrinſeca, & eſſentiali conſtitutione corporis, utique ſunt eius partes eſſentiales. Si ergo actus pęnitentis ſe habeant ad ſacramentum, ſicut hæ partes ad corpus hominis, ſunt eius partes eſſentiales.

Ad 2. Nego conſequentiam. Primò quia ſacramenta non cauſant gratiam, ſecundùm omnes, & ſingulas partes ſeorſim ſumptas, ſed ſecundùm omnes ſimul, quatenus videlicèt dicunt ultimam, & completam eorum perfectionem. Deinde nego antecedens, nam (ut docet D. Tho. 3.

p. q.

p. q. 90. ar. 2. ad 2.) ſatisfactio in voto, ſeu ut eſt in propoſito, confert gratiam, ſicut ipſa contritio, in qua formaliter inuoluitur. Neque enim cenſetur ſufficienter contritus, qui non habet animum acceptandi pęnitentiam, ſibi taxandam à ſacerdote. Ex quo ſequitur, votum, ſeu propoſitum ſatisfaciendi, conſtituere eſſentialiter contritionem, in eſſe ſufficientem ad valorem ſacramenti, ſicut ipſa contritio conſtituit eſſentialiter ſufficientiam confeſſionis. Quòd ſi conſideretur ſatisfactio, ut eſt in re, non confert primò gratiam, illam tamen auget, & intendit.

Ad 3. Nego conſequentiam. Et dico, ante confeſſionem non poſſe remitti peccatum per ſacramentum pœnitentiæ, ſed per virtutem; & ideo confeſſio non eſt pars virtutis, ſed ſacramenti. Præterquam quòd neque per virtutem pęnitentiæ remittitur peccatum, ſine confeſſione, ſaltem in voto, quę formaliter (ut diximus) inuoluitur in virtute pęnitentię, ſicut confeſſio in re in ſacramento. Quando ergo dicitur ſatisfactio fructus pęnitentiæ, debet intelligi de ſatisfactione in re, non autem ut in voto, & in ordine ad pęnitentiam virtutem, cuius proprius actus eſt, imperare confeſſionem, & ſatisfactionem. Et quia ipſa virtus eſt pars ſacramenti, ideo ſatisfactio dicitur etiam fructus ſacramenti.

Digitized by Google

Ad 4. Nego antecedens, quia licèt non ſint in eodem inſtanti phyſico, tamen ſunt in eodem inſtanti morali, quod ſufficit ad conſtitutionem ſacramenti, quod non eſt totum phyſicum, ſed morale. Deinde, dico, quòd licèt materialiter videantur eſſe ſucceſſiuæ, tamen ſunt ſimul, ſaltem virtualiter, in eodem inſtanti phyſico. Cùm enim confeſſio non ſit ſufficiens, niſi ſit contrita, debet eſſe ſimul cum contritione, quam diximus in illa inuolui. Sed contritio ſicut dicit propoſitum non peccandi inpoſterum, ita inuoluit formaliter propoſitum faciendi quod in ſe eſt, ut tollatur diuina offenſa. Atque adeo cùm requiratur ſatisfactio, exhibenda iuxta, taxam confeſſarij, qui gerit perſonam iudicis, debet formaliter inuoluere votum talis ſatisfactionis; & per conſequens ſatisfactio in voto (quam ſolam diximus eſſe partem eſſentialem) eſt ſimul cum dolore, & confeſſione. Præterea cum traditur abſolutio, debet pęnitens per quamdam ratihabitionem, ſiue formalem, ſiue virtualem, & interpretatiuam, remanere in actuali ſtatu confeſſionis, ſemper paratus iterum confiteri, & reprobare peccata, quæ faſſus eſt, & prò illis ſatisfacere. Ergo quando traditur formaliter abſolutio, prò eodem inſtanti phyſico ſunt etiam omnes actus pęnitentis, ſaltem virtualiter, & interpretatiuè.

Vnde

Vnde obiter infer, hoc ſacramentum non eſſe totum potentiale, ſeu poteſtatiuum, ut aſſeruit noſter Thomas Argentinas in 4. d. 16. q. 1. ar. 1., ſed eſſe totum actuale, eò quia non poſſit gignere ſuum effectum, niſi actu exiſtant omnes eius partes eſſentiales, quæ proinde non poſſunt eſſe ſubiectiuę, ſeu poteſtatiuæ. Quamuis enim aſſeratur, eſſe intrinſecè, & eſſentialiter ſucceſſiuum, adhùc tamen ſaluatur eius actualitas, continuitate, ſeu ſimultate ſucceſſiua partium, ut videmus in tempore; nam hora eſt totum actuale, licèt habeat partium ſucceſſionem, ita ut una ſit prior alia.

Infer præterea, præter actus pęnitentis, nihil eſse aliud in hoc ſacramento, quod illud conſtituat per modum partis materialis; adeòque ſuſtineri non poſse, quod videtur aſserere Card. de Lugo, nempe illud conſtare etiam ex peccatis. Et ratio eſt, quia peccata ſunt ſolum materia *circa quam* (ut toties diximus) adeòque obijciuntur ſacramento ut deſtruenda. Eſt autem impoſſibile, quòd conſtituatur ex illo, cuius eſt deſtructiuum, alioquin eſset aliquod repugnans, quia ſe ipſum deſtrueret, & proinde includeret contradictoria, nempe exiſtentiam, & priuationem peccatorum. Præterea abſolutio non poteſt facere unum morale cum peccatis, quæ non ſunt capacia, ut illi per modum materiæ

ſubijciantur, ut ab illa actuentur, & perficiantur, quod eſt proprium partis materialis. Ergo ſoli actus pœnitentis ſunt eius materia *ex qua*.

DISPVTATIO VII.

De Contritione.

POſtquàm egimus de actibus penitentis in uniuerſum, quatenus omnes ſimul conſtituũt ſacramentum, per modum materiæ proximæ adæquatæ, agendum ſupereſt de ſingulis in particulari, ut perfecta de omnibus notitia habeatur. Incipientes ergo in hac diſp. de contritione, primò eius quidditatem, & diſtinctionem ab attritione indagabimus. Deinde an, & quando attritio per ſacramentum fiat contritio? 3. An ſufficiat attritio? 4. An hæc inuoluat dilectionem Dei? 5. An ſit in potentia ſenſitiua? Et demum alias eius proprietates inueſtigabimus.

A R.

ARTICVLVS I.

An contritio differat intrinſecè, & eſſentialiter ab attritione?

VIdetur non differre eſſentialiter, Primò quia attritio vocatur à Triden. ſeſs. 14. c. 4. contritio imperfecta. Ergo non differt ab illa, niſi ſecundùm magis, & minus, quod inducit ſolam diuerſitatẽ accidentalem, ſeu purè quantitatiuam, ut patet inductione facta per omnes rerum species, quarum indiuidua conueniunt omnia in ratione ſpecifica, licèt ſecundùm rationes indiuiduales, magis, vel minùs de illa participent, in quo differunt accidentaliter.

2. Conueniunt in prædicatis eſſentialibus, eò quia utraque ſit eſſentialiter animi dolor, & deteſtatio peccati, cum propoſito non peccandi de cætero, ut patet expreſsè ex eodem capite Tridentini. Ergo non differunt eſſentialiter.

3. Attritus virtute clauium fit contritus, ut communis fert opinio theologorum. Ergo attritio fit formaliter contritio; cùm ſit impoſſibile, variari concretũ, non variata forma denominante. Nihil autem poteſt fieri aliud, à quo differt eſſentialiter. Ergo attritio non differt eſſentialiter à contritione.

Concluſio. *Contritio eſt diuerſæ ſpeciei ab attritione, & ideo differt ab illa eſſentialiter*. Ita Card. De Lugo diſp. 5. ſub fin. Gonet diſp. 7. ar. 2. Eſparſa q. 89. ar. 6.

Probatur, illi actus ſunt diuerſæ ſpeciei, & differunt eſſentialiter, qui habent diuerſa obiecta formalia, quibus ſpecifficantur. Sed attritio, & contritio habent diuerſa obiecta formalia. Ergo ſunt diuerſæ ſpeciei, adeòque differunt eſſentialiter. Maior patet. Minor probatur, contritio prouenit ex amore Dei, & ideo deteſtatur peccatum, ut eſt offenſa Dei, quē unicè amat, conſiderans in illo rationem diuinæ offenſionis, unde mouetur ad illud odio habendum, quatenus eſt priuativum diuinæ amicitiæ, & allativum diuinæ indignationis. Attritio verò deteſtatur peccatum, ut eſt malum ipſi attrito, ex motiuo turpitudinis ipſius peccati, vel metus pœnarum ex illo reſultantium, ſiue pœnæ ſint æternæ, ſiue temporales, ita ut conſideret in peccato puram rationem turpitudinis, vel pœnalitatis, nulla habita ratione diuinæ offenſionis, quà talis eſt. Siquidem non odit peccatum ex amore Dei, cui diſplicet, ſed quia amat ſe, cui timet ex illo malum. Sed hæc ſunt obiecta formalia omninò diuerſa. Ergo &c.

Dices, ergo poſſet attritus odiſſe peccatum, ut eſt ſibi noxium, illudque amare, ut eſt Dei offenſa.

Nego

Nego conſequentiam, quia hoc ipſum quod eſt, eſſe offenſam Dei, eſt noxium peccatori, quatenus ex tali offenſione mouetur Deus, ad illud puniendum. Quamuis ergo poſſit attritus prẹſcindere ab hoc, non tamen poteſt per actum poſitivum illud amare, quia amaret ſui malum.

Vrgebis, ergo ſaltem poſſet amare peccatum, ut eſt offenſa Dei, ex ſuppoſitione impoſſibili, quòd offenſa Dei non eſſet ſibi mala.

Nego conſequentiam, primò quia attritio ſufficiens ad ſacramentum pęnitentiæ debet eſſe *donum Dei, & impulſus Spiritus ſancti, non adhuc quidem inhabitantis, ſed animam mouentis*, ut loquitur Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Dolor autem aſſociabilis cum amore diuinæ offenſæ, non poteſt eſſe donum Spiritus ſancti. Deinde debet *diſponere ad impetrandam gratiam Dei in Sacramento pęnitentiæ*, ut idem docet ib. Eſt autem impoſſibile, quòd aliquis diſponatur ad gratiam, per id, quod eſt formaliter eius expulſivum, ſicut eſſet hic amor diuinæ offenſæ, qui eſſet in ſe formaliter peccaminoſus. Ergo ut eſt pars ſacramenti, non poteſt eſſe compatibilis cum amore diuinæ offenſæ. Atque adeo ille dolor amativus diuinæ offenſæ, ad ſummum eſſet actus pęnitentiæ naturalis, ſicut fuit pœnitentia Iudæ, de quo dicitur Matth. 27. *pęnitentia ductus, retulit triginta*

ginta argenteos principibus ſacerdotum, dicens, peccaui tradens ſanguinem iuſtum: & pęnitentia Eſau, de quo dicitur ad Heb. 12. *Eſau non inuenit pęnitentiæ locum*, *quamquam cum lachrymis inquiſiſſet eam*, quæ verba per gloſsã ſic exponuntur, *ideſt non inuenit locum veniæ, & benedictionis per pænitentiam*, ut refert D. Tho. 3. p. q. 86. ar. 1. & Anthiochi, de quo dicitur 2. Machab. 9. *orabat ſceleſtus Deum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus*. Vnde ſequitur, huiuſmodi attritionem non fore veram pęnitentiam, ſufficientem ad ſacramentum.

Ad 1. patet reſponſio ex dictis. Neque obſtat, quòd attritio dicatur contritio imperfecta. Siquidem hoc non prouenit ex eo, quòd differant ſolùm quantitatiuè, & per ſola prædicata accidentalia, ſed per hoc quòd conuenientes in prædicatis genericis doloris, deteſtationis, propoſiti non peccandi &c. non tamen huius perfectio ſecundùm ſpeciem, attingit perfectionem alterius, propter ſpecificativum imperfectius, ſicut leo dicitur imperfectum animal præ homine, quia rugibilitas eſt imperfectior rationalitate.

Dices, leo non poteſt dici homo imperfectus, quia differt ab illo eſſentialiter. Ergo neque attritio poſſet dici contritio imperfecta, ſi differat ab illa eſſentialiter.

Negocauſalem. Et dico, non ideo leonem

nem vocari non poſſe hominem imperfectum, quia differt ab illo eſſentialiter, ſed quia numquam poteſt ita perfici, ut fiat homo. Attritio verò poteſt ita perfici, ut fiat contritio, modo infra explicando. Ergo minus diſtat attritio à contritione, quàm leo ab homine. Præterquamquòd hæc denominatio, eſt ſolum in ordine ad idem Sacramentum pęnitentiæ, quod poteſt ab alterutra conſtitui, non tamen æquè perfectè, ex parte materiæ. Ergo ex unitate eiuſdem Sacramenti, ad quod ordinantur, poſſunt adinuicem comparari, ſub eadem denominatione contritionis, ſicut linea argentea poteſt comparari cũ linea aurea, ſub denominatione baſis eiuſdem trianguli, licèt inter ſe differant eſſentialiter.

Ad 2. Diſtinguo antecedens, conueniunt in prædicatis eſſentialibus genericis, concedo: in ſpecificis, nego antecedens, & conſequentiam. Et hæc eſt ratio, cur contritio ſemper, & neceſſariò extendatur ad omne peccatum, eò quia in omni peccato inueniat rationem diuinæ offenſionis, quam unicè deteſtatur. Attritio verò, quia fertur in peccatum, ut allatiuum pęnæ, & ut imbutum ſpeciali deformitate, poteſt terminari ad unum, & nõ ad aliud, quatenus poteſt conſiderare in uno ſpecialitatem vis nociuæ, vel turpitudinis, quam in alijs non reſpiciat. Atque adeo unus

unus tantùm actus contritionis diſponit ſufficienter ad iuſtificationem, quatenus excludit affectum cuiuſcumque peccati, quod deteſtatur ſub una, & eadem ratione communi diuinæ offenſæ. Actus autem attritionis debent multiplicari, ad multiplicationem peccatorum ſpecie diſtinctorum.

Dices, per ſingulos actus attritionis peccator conuertitur ad Deum, ut ultimũ finem. Ergo deteſtatur omne peccatum. Præterea in omni peccato inuenit vim ablatiuam pœnalitatis. Ergo non poteſt ferri in unum tantùm.

Nego antecedens. Ad cuius primam probationem dico, hoc eſſe proprium contritionis, quæ cùm deteſtetur peccatum, ut offenſam Dei, ab illa remouendo, promouet amicitiam Dei, eiuſq; coniunctionem. Attritio verò quia immediatè intendit fugam pœnarum, & turpitudinis peccati, retrahit ſolùm ab eo, in quo inuenit hanc vim nociuam, & promouet ad oppoſitam honeſtatem, relinquendo capacitatem affectus ad alia peccata, quæ proinde remanent deteſtanda per alios actus attritionis. Et ratio eſt, quia cùm attritio procedat ex amore ſeruili; poteſt eſſe informis, cùm neque ex natura ſua, neque ex diuina fidelitate, ferat ſecum gratiam iuſtificantem. Contritio verò, quia ſemper eſt actus imperatus à charita-

tis

te, & elicitus ab habitu pęnitentiæ, ideo procedit ex timore filiali, & amore amicitiæ, ratione quorum, ex ſua natura eſt conuerſivus ad Deum, ut ad ultimum finem, & ſemper infallibiliter diſponit ad iuſtificationem, ut videbimus infra. Ad aliam probationem dico, quòd licèt vis nociua inueniatur in omnibus peccatis, quia tamen non eſt æqualis in omnibus, ideo poteſt una magis mouere, quàm alia, adeòque excitare peccatorem ad eius deteſtationem, ad quam non excitent aliæ, vel quia propter minorem turpitudinem, non appareant adeo graues, vel quia abſorptus animus à timore maioris, hic & nunc non aduertantur.

Ad 3. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia cùm ſit impoſſibile, quòd actus trahatur extra ſuum obiectum formale, & cùm attritio ſiſtat in ſolo motiuo turpitudinis, & pęnalitatis, ut patet ex dictis, non deteſtatur peccatum ſupra malum pęnæ. Contritio verò deteſtatur peccatum ſupra omne malum, etiam pęnale, adeo ut quamuis non eſſet allativum pęnæ, adhuc illud deteſtaretur, ob ſolam auerſionem diuinæ offenſionis, quam ſemper in peccato conſideraret. Ergo actus attritionis non poteſt formaliter conuerti in actum contritionis. Quomodo autem intelligatur, quòd attritus fiat contritus, videbimus in ar. ſequenti.

ARTICVLVS II.

An, & quomodo attritus per ſacramentum pœnitentiæ fiat contritus?

VIdetur quòd ipſe actus attritionis fiat formaliter contritio, ut docent Caietanus, & Scotus. Primò quia dolor ſe habet ad gratiam, ſicut materia ad formam, eò quia gratia informet dolorem. Sed materia informis poteſt formari. Ergo etiam dolor attritionis, qui de ſe eſt informis, poteſt formari per infuſionem gratiæ, remouentis priuationem ſui, inductam à peccato, adeòque poteſt fieri actus contritionis, qui ut talis, eſt actus formatus. 2. Fides informis poteſt fieri formata, quod idem dico de baptiſmo, & ordine, ut fiunt validè, ſed informes, in ratione ſacramenti. Ergo etiam attritio poteſt fieri contritio. 3. Idem habitus attritionis, qui erat informis, remanet, dùm infunditur gratia. Ergo formatur in veram contritionem. 4. Dolor attritionis poteſt fieri maior, & maior, adeo ut eò perueniat, ut deteſtetur peccatum ſuper omne malum, etiam pœnæ. Sed hic dolor eſſet formaliter contritio. Ergo poteſt fieri formaliter contritio.

Concl. *Poteſt quidem attritus virtualiter, & effectiuè fieri contritus, per virtutē* ſa-

ſacramenti pœnitentiæ, non tamen ipſa attritio in abſtracto poteſt fieri formaliter contritio. Ita D. Tho. in ſupplem. q. 1. ar. 3. Card. De Lugo diſp. 5. ſub fin. Eſparſa, q. 89. ar. 6. Gonet diſp. 7. ar. 2. in fine, & plurimi alij.

Probatur prima pars, attritio quæ ſuapte natura non iuſtificat, accedente efficacia ſacramenti, diſponit pœnitentem ad habitum charitatis, cuius proprium eſt ita emollire duritiem cordis reſiſtentis diuinæ voluntati, ac ſi re ipſa præfuiſſet vera contritio, cum vero actu charitatis. Infuſo autem habitu charitatis, pęnitens effuſus in Dei amorem, non amplius odit peccatum, ut allativum pœnæ, ſed ut diuinam offenſam. Ergo elicit actum veræ contritionis. Atque adeo quia facit tranſitum, ex attritione ad contritionem, ideo dicitur, ex attrito fieri contritus.

Probatur ſecunda, nullus actus, immò nullum ens poteſt trãſire ex una ad aliam, ſpeciem, aliter poſſent mutare eſſentiam, & quidditatem, quod eſt impoſſibile. Et ratio eſt, quia ſi quidditas eſſet variabilis, non conueniret ſubiecto eſſentialiter, ſed accidentaliter; & ſic homo poſſet non eſſe homo, quod eſt abſurdum. Sed attritio, & contritio, cum ſint diuerſæ ſpeciei (ut probatum eſt ar. 1.) differunt eſſentialiter. Ergo non poteſt una fieri formaliter alia.

Ad

Ad 1. Diſtinguo maiorem, dolor informis ſe habet ut materia ad gratiam, nego: dolor formatus, concedo maiorem. Et admiſſa minori, nego conſequentiam. Explico diſtinctionem, dolor formatus, propter actualem receptionem gratiæ, habet rationem materiæ reſpectu illius, cui de facto ſubijcitur. At dolor informis, quia neque ſubijcitur, neque eſt ſubijcibilis gratiæ, ideo non habet ad illam rationem materiæ, eo modo, quo materia ſublunaris (in ſententia probabili quòd ſit diuerſæ rationis à cæleſti) non habet rationem materiæ reſpectu formæ cæli, quã non poteſt habere. Quamuis enim dolor in genere, ut eſt contrahibilis ad talem ſpeciem, nempe contritionis, ſit materia ſubijcibilis gratiæ, non tamen ut eſt contrahibilis, & multò minùs ut eſt actu contractus ad ſpeciem attritionis, ſicut animal ut ſic non eſt diſcurſiuum, niſi ut eſt contrahibile ad rationalitatem. Præterquamquòd materia non pendet à forma, tamquam à cauſa, ſicut actus ſupernaturalis pendet ab habitu; & ideo poteſt illa à forma ſibi adueniente formari, non autem actus ab habitu, qui nũquam poteſt actui aduenire, quem ſemper præcedit, ſi loquamur de ſupernaturalibus. Ergo quia formari à gratia, eſt fieri à gratia habituali, ſeu dependenter ab illa, cùm attritio in ſuo ortu non habuerit hanc dependentiã,

non

non poteſt illam acquirere.

Ad 2. Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia vel argumentum procedit de actu fidei, vel de habitu? Si de actu, cùm hic ſit formaliter tranſiens, non poteſt formari per gratiam ſubſequentem, adeòque pariformiter ſe habet ad gratiam, ſicut actus attritionis. Si de habitu, cùm hic ſpectet ad intellectum, poteſt præcedere charitatem, à qua deinde formetur. Habitus autem attritionis, quia ſpectat ad voluntatem, vel eſt acquiſitus, & naturalis, & non poteſt idem numero fieri ſupernaturalis, propter eaſdem rationes; vel eſt ſupernaturalis, & infuſus, & non aduenit, niſi cum charitate. Ergo vel non poteſt eſſe informis, vel ſi eſt informis, non poteſt formari, ut docet D. Thomas loco cit. ad 1.

Vnde patet reſponſio ad 3.

Ad 4. Nego maiorem, cùm gradus intenſiui doloris, non poſſint multiplicari, niſi intra eamdem ſpecificam actus perfectionem, quam immutare non poſſunt, niſi extrinſecè, & virtualiter, modo ſupra explicato, hoc eſt quòd dolor attritionis ita creſcat, ut diſponat ſubiectum ad habitum charitatis, qui eſt principium effectivum perfectæ contritionis, per cuius aduentum, non attritio, ſed attritus tranſeat ad actum contritionis, ut dictum eſt.

A R-

ARTICVLVS III.

An ſufficiat attritio ad valorem ſacramenti?

Videtur non ſufficere, ut propugnāt, non ſolùm ex hæreticis Lutherus, & Kemnitius, ſed etiam ex catholicis Valentia, Henriquez, Sotus, Pallauicinus, Victoria, Corduba, Vega, & plures alij, cum hoc diſcrimine, quòd primi dicebant, attritionem eſſe actum prauum, Deo diſplicentem, eò quòd faciat homines hipocritas, & magis peccatores; ſecundi autem aſſerentes, attritionem eſſe actum bonum, honeſtum, & Deo placentem, negant ſolùm eius ſufficientiam ad valorem ſacramenti pœnitentiæ, ad quē aiunt eſſe neceſſariam perfectam contritionem, quibus videtur accedere Toletus in ſum. lib. 3. c. 4. & nouiſſimè omnium Ianſenius, qui non ſolùm ſe fecit huius opinionis aſſeclam, ſed coriphæum.

Fundamenta hæreticorum ſunt, Primò quia attritus dolet peccato, ob ſolum timorem pœnæ, & horrorem legis. 2. quia dolet ſolùm quod per legem peccare non liceat. Ergo non dolet quòd Deum offenderit, quem offenderet adhùc, niſi pęnas timeret.

Fundamenta catholicorum ſunt, Primò,

mò, dolor ſufficiens ad ſacramentum, debet eſſe talis, ut diſponat ad iuſtificationem obtinendam per ſacramentum. Sed attritio non eſt huiuſmodi, Primò quia non eſt actus ſupernaturalis. Et deinde, quia eſt componibilis cum affectu peccati, in quo non deteſtatur rationem diuinæ offenſæ, ſed ſolam cauſalitatem pęnalitatis, quam non reſpicit in omnibus æqualem, immò poteſt concipere ut ab aliquo ſeparabilem. Ergo non eſt ſufficiens ad ſacramentum.

2. Vel attritio ſiſtit in eo, quod eſt dolor de peccatis, ut cauſatiuis pęnæ inferni, ſeu in amore ſui, ex quo prouenit ille timor; vel talem timorem ordinat ad Deũ, ex cuius amore dolet peccato, eiuſque timet pœnalitatem? Si primum, huiuſmodi timor intrinſecè vitiatur ex hoc, quòd conſtituat dolentem, tamquam ultimum ſui finem, in cuius amore ultimatè ſiſtit; atque adeo hic actus non poteſt diſponere ad gratiam iuſtificationis. Si ſecundum, ergo hic dolor procedit ex motiuo charitatis, adeòque eſt formaliter contritio.

Concluſio, *Attritio, hoc eſt dolor de peccatis, prouenient ex metu gehennæ, & amiſſionis gloriæ, non ſolùm eſt actus in ſe bonus, & laudabilis, ſed etiam eſt ex ſe ſufficiens ad valorem ſacramenti pęnitentiæ*. Ita Eſparſa hic q. 89. ar. 7. & ſeqq. Gonet diſp. 7. ar. 3. De Lugo, Decaſtillo, & eſt ſatis

com-

communis inter recentiores.

Probatur ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 4. docente, *illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat S. Synodus, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhùc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat.* Et ne videretur loqui de attritione extra ſacramentum, ſtatim ſubdit, *& quamuis ſine ſacramento pœnitentiæ, per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiã in Sacramento penitentiæ impetrandam diſponit.* Et can. 5. eiuſdem ſeſſionis concludit, *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum grauitatẽ &c. non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demum illum eſſe dolorem coactum, & non liberum, anathema ſit.*

Quibus bene perpenſis, Suarez diſp. 20. ſect. 4. n. 16. inquit, ſufficere ad valorem huius

huius ſacramenti, non ſolùm attritionem realem, ſed etiam exiſtimatam, quod videlicèt pœnitens putet, ſe eſſe ſufficienter attritum. Excipit tamen confeſſionem factam in articulo mortis, quam putat validari per ſolam attritionem realem. Sed hanc limitationem non admittunt Eſparſa q. 89. ar. 7. De Lugo, & Decaſtillo, putantes, eamdem exiſtimationem attritionis ſufficere in articulo mortis, quæ ſufficit extra illum. Et ratio eorum eſt, quia ſufficientia attritionis, etiam habitæ ut talis, eſt moraliter certa ad fructum, & valorem huius ſacramenti. Ergo ſufficit etiã in articulo mortis, in quo ſufficit moralis certitudo obtinendæ remiſſionis peccatorum, & aſſequendæ vitæ æternæ.

Sed hæc doctrina mihi non probatur, quia ſacramentum pœnitentiæ debet includere ut partem materialem verum dolorem pœnitentis, ut probauimus ex Tridentino. Iudicium autem de dolore, non eſt verus dolor, non ſolùm quia ſpectat ad vires apprehenſiuas, quarum non eſt dolere, ſed etiam quia poteſt hoc iudicium eſſe falſum, cùm poſſit aliquis ſibi nimium indulgens, putare, ſe eſſe attritum (ſaltem quoad ſufficientiam) cum verè non eſt. Ergo iudicium de attritione non eſt ſufficiens, ſed requiritur attritio ſecundum realitatem.

Vnde patet reſponſio ad 1. hæreticorũ.

L Ad

Ad 2. patet reſponſio ex dictis in 1. ar., & ex mox dicendis in reſponſione ad argumenta catholicorum.

Ad 1. Ergo nego minorem. Ad cuius primam probationem dico, definitum eſſe in Concilio Arauxicano can. 6. *Hæretico falli ſpiritu eum, qui dicit, per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, vitæ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere nos poße, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti*. Sed attritio, quam ſtatuimus eſſe ſufficientem ſacramento, eſt actus bonus pertinens ad ſalutem. Ergo non poteſt fieri ſine illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, quę ſunt gratiæ propriè dictæ, ac proinde eſt intrinſecè ſupernaturalis. Et hæc doctrina clarè colligitur ex Tridentino, quod cùm ſtatuerit ſeſſ. 6. c. 5. *Ipſius iuſtificationis exordium in adultis, à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe*, concludit c. 6. inter actus, quibus pęnitens ſe diſponit ad iuſtificationem, enumerandum eſſe *actum timoris diuinæ iuſtitiæ, quo utiliter concuſſus, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertit*. Ergo huiuſmodi timor, ſeu attritio ex tali timore, non eſt ex ſolis naturæ viribus, ſed (ut dictum eſt) eſt intrinſecè ſupernaturalis. Ad 2. Nego ſuppoſitum, cuius falſitas patet ex Tridentino, quod ſeſſ. 14. c. 4. docet, *illam verò contritionem imperfectam*,

Etiam, quæ attritio dicitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat donum Dei eſſe &c. Ergo ſupponit, attritionem ſufficientem ſacramento, non eſſe compatibilem cum affectu peccati.

Dices, attritio eſt odium peccati, ex ſolo motiuo particulari turpitudinis illius. Ergo non auertit animum vniuerſaliter ab omni genere peccatorum, ſed ſolùm particulariter ab hoc ut hoc, adeòque compatitur affectum ad alia.

Nego conſequentiam. Quamuis enim attritio, ut formaliter talis, oderit peccatum ex motiuo particulari talis turpitudinis, adeòque ſit compatibilis cum effectu alterius peccati, hoc tamen non valet de attritione, ut eſt pars ſacramenti, quæ cùm ſit donum Spiritus Sancti, debet omninò excludere voluntatem peccandi, ut diximus in 1. ar. aliter non eſſet ſufficiens ſacramento. Hanc autem voluntatem poteſt excludere, vel per plures actus, quorum ſinguli reſpiciant ſingula peccata, vel per unum pluribus æquiualentem, qui auerſetur peccatum ſecundùm aliquam rationem uniuerſalem, videlicet quatenus eſt inductivum pęnæ æternæ, & priuationis beatitudinis, quod conuenit omnibus peccatis.

Ad 2. Dico, veram attritionem ſiſtere ultimò in amore ſui, non tamen contrariè, & poſitiuè, per poſitiuam excluſionem relationis ad Deum, quod faceret actum

eſſentialiter pravum, ſed purè præciſiuè, ſeu negatiuè, hoc eſt quòd attritus præſcindat ab hoc quòd referat ſe ipſum, & ſui amorem in Deum, quod illum eximit ab omni prauitate. Ergo neque eſt actus formaliter pravus, quia non conſtituit attritum poſitiuè prò ultimo ſui fine, contempto Deo; neque eſt formaliter contritio, quia non refert poſitiuè attritum, & ſui amorem ad Deum, ut ultimum finem, quod eſt proprium perfectæ contritionis.

ARTICVLVS IV.

An attritio ut ſufficiens ad ſacramentum, inuoluat neceſſariò dilectionem Dei?

VIdetur inuoluere, ut cum pluribus alijs apertè tuetur Card. Pallau. de pœn. lib. 7. c. 12. n. 140. Primò quia dicitur ex 1. Io. 3. *Qui non diligit, manet in morte*: & 1. ad Cor. 13. *Sine charitate nihil ſum*. Ergo attritus non diligens Deum, non eſt ſufficienter diſpoſitus ad ſacramentum.

2. Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. docet, ſeriem iuſtificationis ita fieri in adultis baptizandis, *dùm Deum tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersùs peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet*. Ergo

Digitized by Google

go pœnitentia facienda ante baptiſmum; adeòque etiam ſacramento neceſſaria, includit dilectionem Dei.

3. Aug. ſer. 7. de temp. & alibi ſæpe ait, pœnitentiam non fieri, niſi per amorem Dei. Cui ſubſcribit D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. quæſtiunc. 1. dicens, confeſſionem non valere, ſine charitate. Ergo requiritur dilectio Dei.

4. Ita ſe habent actus charitatis ad habitum charitatis, ſicut actus fidei, & ſpei ad ſuos habitus. Sed hi non poſſunt infundi, ſine illis actibus. Ergo neque habitus charitatis ſine ſuo actu, tamquam præuia diſpoſitione, infunditur adulto. Sicut enim non mereretur amicitiam principis terreni ille, qui poſtquàm eum offenderit, peteret ſolùm veniam ob metum pęnæ, non autem quia curaret de eius gratia; ita neque peccator meretur gratiā Dei, abſque omni actu dilectionis ipſius Dei.

5. Per peccatū homo auertitur à Deo, tamquam ab ultimo fine. Ergo in conuerſione debet ad eum conuerti, tamquā ad ultimum finem, quod non fit, niſi per actum charitatis.

6. Dolor ſufficiens ſacramento, debet odiſſe peccatum ſuper omnia alia mala. Sed dolor de peccatis, propter ſolum timorem pęnæ non eſt huiuſmodi, eò quia plus oderit malum pęnæ, quàm peccatum

ſecundùm ſe. Ergo nõ eſt ſufficiens ſacramento, & ideo debet includere dilectionem Dei, ratione cuius plus oderit peccatum, quàm pœnam.

Concluſio, *Attritio, ut formaliter ſufficiens ſacramento pœnitentiæ, non neceſſariò inuoluit dilectionem Dei*. Ita Vaſq. in 3. p. c. 4. q. 92. ar. 1. dub. 3. Hurtad. de ſacram. diſp 6. Gonet. diſp. 7. ar. 3. Villalobos, Diana, Eſparſa, & alij plures.

Probatur ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 4. ubi ex profeſſo agitur de attritione, ut ſufficienti huic ſacramẽto. Quamuis enim ibi accuratè recenſeat omnia, & ſingula eius prædicata, nuſquam tamen inter illa recenſet dilectionem Dei, immò ſtatuit, eam eſſe adæquatè diſtinctam ab actu charitatis, & dilectionis Dei ſuper omnia, & eſſe ſolùm dolorem, adæquatè conceptum ex motiuo formali intrinſeco metus gehennæ, & amiſſionis æternæ beatitudinis, quod e diametro opponitur motiuo charitatis, ut obſeruat Eſparſa, q. 89. ar. 1. & ſeqq. Ad cuius euidentiam, initio citati capitis definitur contritio, quatenus abſtracta à ratione perfectæ, ſeu imperfectæ, *Animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*. Deinde exponitur eius neceſſitas, *fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus neceſſarius*. Mox explicãtur eius proprie-

tates,

rates, *Declarat ſancta ſynodus, hanc contritionem, non ſolùm ceßationem à peccato, & vitæ nouæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.* Proſequens deinde eius ſpecies, priùs agit de contritione perfecta, *Docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitatem perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priùſquàm hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Mox agit de attritione, *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pænarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat donum Dei eſſe, & Spiritus S. impulſum, quo pænitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis ſine ſacramento pænitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento pænitentiæ impetrandam diſponit.* Quæ omnia tandem epilogando definit ut de fide can. 5. eiuſd. ſeſſionis, quem ſupra retulimus ar. 3. Ex quibus euidenter apparet, nuſquam à S. Synodo, ad ſufficientiam attritionis requiri aliquam explicitam dilectionem Dei, quæ ſi eſſet illi neceſſaria, non fuiſſet omiſſa, dùm tàm accuratè, & diſtinctè

eius cætera requiſita enumerantur.

Ad 1. Dico, in tali loco Apoſtolum loqui de dilectione proximi, non autem de dilectione Dei, ut neceſſaria ad dolorem de peccatis, ut patet ex verborum contextu. Ad auctoritatem D. Pauli dico, ab illo fieri ſermonem de ſtatu hominis extra ſacramentum pœnitentiæ. Quod idem dico de ſexcentis alijs huiuſmodi teſtimonijs, quæ paſſim ab aduerſarijs congeruntur.

Ad 2. Nego conſequentiam. Siquidem incæptio amoris non eſt formaliter amor, ſicut incæptio domus non eſt formaliter domus. Cùm ergo Tridentinum requirat ſolùm in baptizandis, quòd incipiant diligere Deum, non requirit dilectionem ex motiuo charitatis, ſed potiùs attritionem ex metu pœnarum, quam idem concilium ibid. ait, eſſe impulſum Spiritus Sancti nondùm inhabitantis, ſed mouentis ad viam iuſtitiæ. Quòd ſi hinc inferas, ſaltem attritionem participare de charitate, cuius participatio eſt neceſſaria cuicumque actui virtuoſo, & conducenti ad viam iuſtitiæ, ut videtur docere D. Tho. in 3. d. 26. ar. 2. ad 3. Reſpondeo, huiuſmodi participationem non eſſe immediatam, ſed mediatam. Neque enim attritio, ut formaliter talis, fertur immediatè in Deum, tamquam ultimum finem, eum amando propter ſummam eius bonitatem,

quod

quod eſt proprium charitatis, ſiſtendo in hoc, ſed ſolùm mediatè, quatenus videlicet illum conſiderat ut ſcelerum punitorem, & expulſorem peccatorum e regno æternæ beatitudinis. Illud ergo, quod immediatè reſpicit ut finem, eſt euaſio gehennæ, & aſſecutio beatitudinis, quæ quia haberi non poſſunt, niſi per Deum, ideo reſpicit etiam Deum, ut medium talis finis. Atque adeo non diligit euaſionem gehennæ, & conſecutionem beatitudinis propter Deum, in cuius bonitatem feratur, ſed potiùs amat Deum ad hunc ſolùm finem, ut euadat gehennam, quam finaliter timet, & aſſequatur beatitudinem, quam finaliter amat. Præterquamquòd concilium loquitur de pœnitentia requiſita ad baptiſmum, extra ſacramentum. Nos autem loquimur de illa, ut eſt pars ſacramenti. Ergo ex una non valet illatio ad aliam.

Ad 3. Dico, Auguſtinum loqui de amore Dei, ut abſtrahente à perfecto, & imperfecto: inchoato, & conſumato: reductiuo, & formali, qui eſſentialiter includitur in omni actu honeſto, & virtuoſo. Cùm ergo attritio ſit verè amor inchoatus, & reductivus, quatenus diſponit ad amorem formalem, ut dictum eſt, eius teſtimonium non eſt contra nos. Ad aliud diui Thomæ dico, confeſſionem ſacramentalem poſſe conſiderari dupliciter,

nempe ut actum meritorium gloriæ æternæ, & ut actum deletivum peccati. Primò modo includit amorem formaliter, & ſecundo, ſolum virtualiter, & reductiuè, ſeu inchoatè, ut dictum eſt. Præterquam quòd hi ſancti Doctores loquuntur de pœnitentia ex opere operantis, non autem ex opere operato. Siquidem ut præciſa à virtute clauium, nihil poteſt niſi charitate formetur; alia verò quia operatur virtute clauium, non eſt neceſſe quòd ut pars ſacramenti ſit charitate formata.

Ad 4. Nego maiorem. Diſparitas eſt, quia actus fidei, & ſpei prærequiruntur ut diſpoſitiones, non ſolum ad ipſos habitus fidei, & ſpei, ſed etiam ad actus omniũ aliarum virtutum, qui participant de eorum perfectione. Atque adeo ſicut nullus actus virtuoſus poteſt fieri, qui non præſupponat actus fidei, & ſpei, ita neque poſſunt acquiri hi habitus per actus aliarum virtutum. Actus autem charitatis non ſunt huiuſmodi, nam ſine illis, adhuc poſſunt exerceri actus aliarum virtutum, quibus diſponamur ad recipiendum habitum charitatis, qui à Deo gratioſè infunditur omnibus illis, qui cum propoſito efficaci, numquam recedendi à diuino beneplacito, exercent alias virtutes ſupernaturales. Quamuis ergo non infundantur habitus fidei, & ſpei, ſine proprijs actibus, infunditur tamen habitus charitatis, abſ-

que

que ullo actu præuio charitatis, nempe per actum iuſtitiæ, fortitudinis &c. Ad inſtantiam de venia petita à principe terreno, ob ſolum timorem pœnæ, Reſpondeo, non currere paritatem, Primò quia ipſe princeps non habet rationem ultimi finis, reſpectu petentis, adeòque eius pœna non eſt priuatio ſuæ gratiæ, ſed bonorum confiſcatio, exilium, ſuſpenſio &c. Deinde quia princeps poteſt neſcire multas iniurias ſibi inflictas, ideo voluntas vitandi eius pœnas, non eſt eadem atque voluntas vitandi omnes eius iniurias. Nam poteſt accidere, quòd princeps vel neſciat iniuriam, vel ſit impotens ad illam puniendam. Deus autem & ſcit omnes iniurias, & poteſt omnes punire, & punit etiam priuatione ſuæ gratiæ, quia eſt ultimus omnium finis. Ergo voluntas vitandi omnes eius pœnas, eſt eadem atque voluntas vitandi omnes eius iniurias, adeòque meretur ab eo veniam. Ergo nulla eſt paritas.

Ad 5. Nego ſubſumptum antecedens. Neque enim eſt neceſſe, quod conuerſio ad Deum, qui eſt ultimus finis, fiat ratione ſui formaliter, ut facit actus charitatis, ſed ſufficit quòd fiat ratione pœnalitatis conſequentis ab eius auerſione. Sicut ergo nullus eſt actus charitatis, qui habeat tantam perfectionem, quantum malitiæ habet peccatum; ita non poteſt requiri ad deletionem peccati conuerſio ad Deū,

ut ultimum finem, quæ ſit æqualis eſtimationis, atque fuit auerſio ab eodem. Ergo ſufficit qualibet conuerſio, adeòque etiam per attritionem.

Ad 6. Nego minorem. Cùm enim malum pœnæ habeat neceſſariam connexionem cum malo culpæ, non poteſt peccator plus unum odiſſe, quàm aliud, cùm ſit impoſſibile velle unum ſine alio. Atque adeo cùm non poſſit vitari unum ſine alio, auerſio affectiua unius, eſt etiam alterius. Quantus autem debeat eſſe dolor de peccato, an videlicet debeat eſſe ſuper omne aliud malum, etiam pœnæ, videbitur infra.

ARTICVLVS V.

An dolor contritionis, ſit in potentia ſenſitiua, & ut in illa, ſit maximus?

VIdetur 1. eſſe in potentia ſenſitiua, quia aliqua ſunt peccata, quæ fiunt ad captandam voluptatem potentiæ ſenſitiuæ. Sed hæc non poſſunt remitti, niſi afficiantur dolore eædem potentiæ, quæ de obiecto vetito perceperunt voluptatem, ut videlicèt quæ fuerunt inſtrumenta peccati, fiant inſtrumenta ſatisfactionis illi debitæ. Ergo dolor contritionis debet illas afficere.

2. Videtur quòd hic dolor, ut eſt in

poten-

potentia ſenſitiua, debeat eſſe maximus. Primò quia dolor ſenſibilis ſequitur ex inſenſibili. Ergo poteſt creſcere iuxta menſuram illius. Sed ille poteſt creſcere, abſque periculo exceſſus, & ideo debet eſſe maximus. Ergo & hic. Deinde dolor attritionis non poteſt eſſe ſufficiens ſacramento, niſi ſit maximus. Ergo & multò magis dolor contritionis, qui prouenit ex motiuo perfectiori.

Prò reſolutione, notandum eſt, dolorem contritionis dupliciter poſſe accipi, nempe ut eſt in voluntate, quatenus hæc per diſplicentiam, ſeu triſtitiam deteſtatur peccatum, & pròut eſt in parte ſenſitiua, & conſiſtit in afflictione ipſius ſenſualitatis, & hoc vel ex naturali ſequela virium inferiorum ex ſuperioribus, vel ex redundantia virium ſuperiorum ad inferiores. Hoc poſito, quærimus hic primò, an dolor contritionis ſit in ipſa ſenſualitate? Et deinde, poſito quòd ſit, an debeat eſſe dolor omnium maximus? In alio articulo erit ſermo de eiuſdem dolore, ut eſt in voluntate, quem vocabimus liberū, & rationalem, ut illum ab alio diſtinguamus, qui dicitur naturalis.

Concluſio, *Quamuis poſſit haberi perfectiſſima contritio, abſque ullo dolore ſenſibili; ſi tamen erumpat etiam in potentiam ſenſitiuam, huius dolor non debet eſſe maximus, ſed moderatus.*

Probo

Probo primam partem, quam ſequitur noſter Argentinas in 4. d. 17. qu. 1. ar. 3. Primò quia contritio debet eſſe omninò libera, & voluntaria, aliter non eſſet meritoria, nec diſponeret ad iuſtificationẽ. Sed dolor ſenſibilis non ſemper eſt nobis liber, quia plerumque non eſt in noſtra poteſtate illum excitare, vel excitatum comprimere. Ergo non poteſt eſſe ad illam neceſſarius. Deinde ſicut ſola voluntate poſſumus Deum offendere, ita ſola voluntate poſſumus ponere quod eſt neceſſarium ex parte noſtra, ut Deo reconciliemur. Sed contritio ſufficit ex parte noſtra, quando non adeſt copia confeſſarij, ut Deo reconciliemur. Ergo ſola voluntate poſſumus illam elicere in gradu perfecto, & ſufficienti, abſque ullo concurſu potentiæ ſenſitiuæ.

Probo ſecundam, quam tenet Durandus in 4. d. 17. qu. 4. Omnis actus imperatus à virtute, debet habere menſuram, nè excedat rectitudinem rationis. Sed hic dolor, puta fletus, ſuſpiria, &c. eſt imperatus à virtute pœnitentiæ. Ergo non debet excedere menſuram rationis. Sed menſura rationis in actibus corporalibus, ſumitur per comparationem ad conſeruationem ſubiecti. Ergo ſi dolor ſit corruptivus ſubiecti, cuiuſmodi eſt maximus, non eſt rationalis, ſed irrationalis, adeòque repugnans Apoſtolo docenti ad Roman.

man. 12: *rationabile ſit obſequium veſtrum.*

Ad 1. Nego minorem. Ratio eſt, quia dolor contritionis non contrariatur peccato in genere entis, ſed in genere moris. Cum ergo voluptas peccaminoſa in genere moris, quatenus praua, cadat ſub obiectum diſplicentiæ rationalis, prouenientis ex actu contritionis, per illam, tamquã per ſuum contrarium curatur, quamuis in genere entis curari non poſſit, niſi dolore ſenſibili, cui contrariatur, quod non ſpectat ad contritionem. Voluptas ergo ſenſibilis, ut talis in genere entis, non auget malitiam actus praui, niſi quatenus cadit ſub imperium voluntatis, adeòque in genere moris, & ideo debet curari per contrarium in tali genere.

Ad 2. Nego conſequentiam primi argumenti. Et ratio eſt, quia dolor inſenſibilis voluntatis, non eſt adeo nociuus ſubiecto, ſicut eſt dolor ſenſibilis; & ideo poteſt hic ſi nimium creſcat, eſſe irrationabilis, & non ille, quia videlicèt hic habet prò menſura rectitudinem rationis, reſpicientem conſeruationem indiuidui, & illa rectitudinem rationis reſpicientem conſeruationem animæ in ſuo ſtatu perfecto, in quam nulla cadit corruptibilitas. Ergo ex unius intenſione, non valet illatio ad alium. Ad aliud argumentum. Nego antecedens, quod retorqueo in arguentem, dolor attritionis non debet eſſe

maxi-

maximus. Ergo hinc nihil probatur prò contritione ſenſibili. Quòd autem attritionis dolor non debeat eſse maximus, probatur primò quia ſi eſſet maximus, proueniret ex maximo, & perfectiſſimo motiuo, videlicèt ex amore Dei ſuper omnia, cuius offenſam deteſtaretur. Sed huiuſmodi dolor eſſet actus perfectiſſimæ charitatis, adeòque non eſſet attritio, quæ dicitur actus imperfectus à Tridentino, ſed contritio perfectiſſima. Deinde quia ſufficit ad valorem ſacramenti, quòd dolor peccati habeatur ex conſideratione eius turpitudinis, ſeu pœnæ æternæ ex illo reſultantis. Turpitudo autem peccati non inducit motivum adeo doloriferum, ſicut inducunt plura alia mala, etiam temporalia, cuiuſmodi ſunt amiſſio vitæ, iactura bonorum, honoris &c. Ergo non poteſt inducere dolorem maximum.

Ex dictis infero, dolorem rationalem, licèt creſcat ad menſuram diuinæ offenſę, non tamen poſſe eſſe nimium, ſiue excedentem. Cùm enim habeat prò menſura amorem ſibi oppoſitum, quo anima conſeruetur in ſtatu diuinę amicitiæ, ſicut hic non poteſt eſse excedens, ita nec ille. Quòd autem creſcat ad menſuram maioris offenſæ Dei, probatur, quia ubi eſt maior cauſa, ſeu maius motivum, ibi eſt maior dolor. Sed maius peccatum, ratione maioris offenſæ Dei, præbet maiorem cauſam,

ſam,

ſam, & motivum dolendi. Ergo excitat maiorem dolorem, ut docet D. Tho. in ſuppl. 3. p. q. 3. ar. 3. Et hoc valet etiam de dolore contritionis, ut eſt in parte ſenſitiua, non quidem naturali, ſed electiuo à voluntate pœnitentis. Sed hoc non poteſt aſseri de dolore attritionis, qui non fertur in peccatum, ut eſt offenſa Dei, ſed ut eſt deforme, & allativum pęnarum. Ergo poteſt quidem creſcere, non tamen ad menſuram diuinæ offenſæ, ſed ad menſuram apparentis turpitudinis, & pœnarum cauſalitatis, quæ aliquando poſſunt apparere maiores in minore offenſa, & minores in maiore.

Dices, dolor contritionis, etiam ut eſt in parte ſenſitiua, prouenit à charitate. Sed hæc non poteſt eſſe nimia. Ergo nec ille.

Reſpondeo, hunc dolorem non prouenire immediatè à charitate, ſed ex paſſione potentiæ inferioris, commotæ per amorem Dei ſuper omnia, & ideo non poſse induere naturam charitatis, quæ eſt ſolùm cauſa remota illius. Præterea hic dolor eſt in ſubiecto corruptibili, & charitas in incorruptibili. Ergo eſt magna diſparitas.

Dices 2. Dolor contritionis poteſt eſſe tantus, ut necet. Ergo poteſt eſſe nimius, cùm nullus dolor poſſit eſse major, quàm ſit deſtructivus dolentis.

Nego antecedens; cùm enim dolor contritionis, ut eſt in voluntate, non ſit ſen-

ſibi-

ſibilis, necare non poteſt. Quòd ſi aliquis ex tali dolore contritionis, commoueatur etiam per quamdam redundantiam, dolore ſenſibili, quo nimium creſcente, moriatur, tunc nimietas non eſt in dolore contritionis, ſed in dolore ſenſibili, ex illo per accidens redundante. Et hic dolor eſſet quidem laudabilis in cauſa remota, quæ eſset contritio, non autem ex ſe. Quoad mortem ex illo prouenientem, vel eſſet intenta, vel non? Si primum, non eſſet laudabilis hic dolor, ut eius cauſa, ſed eſſet vituperabilis, & peccaminoſus. Si ſecundum, eſſet effectus per accidens, adeòque non tolleret eius laudabilitatem in cauſa.

Dices 3. Vel hic dolor corruptivus, ratione exceſsus, eſſet inordinatus, vel non? Si primum, ſemper eſſet peccaminoſus, quia eſſet contra dictamen rationis. Si ſecundum, ſemper eſset laudabilis, quia eſset iuxta rectam rationem. Ergo eius honeſtas, vel inhoneſtas non deſumitur ex intentione, vel non intentione mortis ſecuturæ.

Reſpondeo, duplicem poſſe conſiderari in tali dolore deordinationem, nempe phyſicam, & moralem. Primã ſemper habet ex ſubiecto materiali, quod phyſicè corrumpit. Secundam verò non habet, niſi per prauitatem voluntatis, illum dirigentis ad ſubiecti deſtructionem, in quã

nul-

nullum habet ius. Dicitur ergo ſemper phyſicè nimius, moraliter autem ſolùm per dependentiam à deordinatione voluntatis, illum ad interitum ordinantis. Et ideo ſolùm eſt laudabilis in cauſa, quatenus ex una parte, naturali quadam ſequela ex parte ſuperiori redundat ad inferiorem, & ex alia poſito quòd aduertatur, & acceptetur, non ordinatur ad interitum ſubiecti, ſed peccati.

ARTICVLVS VI.

An dolor contritionis, ut eſt in potentia volitiua, debeat eſſe omnium maximus?

VIdetur quòd non, Primò quia nullus, vel ferè nullus haberet veram contritionem. Quis enim eſt, qui magis doleat peccato, quàm omnibus alijs malis? Conſequens eſt valde perniciosum. Ergo falſum eſt antecedens.

2. Omnis pœnitens gaudet, ſe dolere, ex amore reconciliationis cum Deo. Ergo eius dolor, utpote admiſtus gaudio, non eſt omnium maximus, cùm poſſit dari dolor, qui ſit purus dolor, excludens omne gaudium.

3. Dolor de malo irreparabili eſt maior, quàm de reparabili. Sed malum culpæ eſt reparabile per ſacramentum pœnitentiæ; mors autem patris, vel filij, iactu-

ra

ra honoris &c. ſunt malum irreparabile. Ergo dolor de peccato non poteſt eſſe maior, quàm de malis aſſignatis.

4. Si eſſet maior dolore mortis, eſſet deordinatus, utpote maior corruptiuo indiuidui. Sed dolor contritionis non poteſt eſſe deordinatus. Ergo neque maximus.

5. Maior eſt dolor de pœna inferni, quàm de peccato. Ergo hic non eſt maximus.

6. Eſt impoſſibile, quòd duo dolores ſint omnium maximi, quando unus eſt maior alio, aliter minor eſſet minor, & maior reſpectu eiuſdem, quod repugnat. Sed una contritio eſt perfectior alia, & una poteſt magis dolere de uno peccato, quàm de alio, ut dictum eſt. Ergo non poteſt omnis dolor cuiuſcumque contritionis, & de quocumque peccato eſſe maximus.

Concluſio, *Dolor contritionis, ut eſt in potentia volitiua, debet eſſe maximus omnium.* Ita D. Tho. in ſuppl. 3. p. q. 3. ar. 1. Durand. in 4. d. 17. q. 4. Argentinas ibid. q. 1. ar. 3. quos ſequuntur plurimi alij.

Probatur 1. Quò plùs tenemur aliquid amare, eò debet eſſe maior dolor de eius amiſſione. Cùm ergo teneamur amare Deum ſuper omnia, tenemur maximè dolere peccato, per quòd à Deo ſeparamur.

Con-

Conſequentia patet. Antecedens probatur, omnis dolor fundatur in amore, illud enim quod habitum non amatur, amiſſum non diſplicet; & ideo videmus experientia, quòd patris, & filiorum iactura, quos plurimum diligebamus, vehementem excitet dolorem, quem non excitat amiſſio minùs dilectorum.

2. Dolor contritionis debet eſſe talis, ut comparatus cum quolibet alio dolore, debeat illi præponderare. Et ſic verè contritus debet eſſe ita diſpoſitus, ut ſi fiat comparatio cũ dolore reſultante ex morte patris, vel filij, amiſſione bonorum &c. magis doleat de peccatis, quàm de his, & quibuſcumque aliis malis aſſignabilibus. Ergo debet eſſe omnium maximus, aliter non excederet omnem alium dolorem. Non tamen eſt neceſse, immò neque expedit facere huiuſmodi comparationes formaliter, & explicitè, propter periculum, nè ex maiori apprehenſione mali ſenſibilis, infirmetur, & tepeſcat ardor contritionis, ſed ſufficit, quòd illas comparationes faciat virtualiter, & in genere.

3. Quò maius eſt bonum, eò eſt maior dolor de eius amiſſione. Sed nullum eſt bonum, quod comparatum cum Deo, per infinitum exceſſum ab illo non ſuperetur. Ergo eius iactura facta per peccatum, debet excitare ad dolorem ſuperantem dolorem, de amiſſione cuiuſcumque alterius boni,

boni, adeòque debet eſſe omnium ſimpliciter maximus.

Ad 1. Nego maiorem, quæ fortaſſe haberet locum, ſi contritionis dolor deberet eſſe ſenſibiliter maximus, ſed quia ſufficit quòd ſit maximus inſenſibiliter, & ſecundùm ſolam diſplicentiam, & triſtitiam voluntatis, ideo eſt ſimpliciter falſa. Quia ergo ſufficit ad veram contritionem, quòd voluntas ſit ita diſpoſita circa Deum, ut vellet potiùs ſubire quodcumque malum, quàm illum offendere, & ſi fieri poſſet, vellet potiùs ſubijſſe quodcumque malum, quàm peccaſſe; quamuis non deſcendat in comparationes particulares, ut ſupra notauimus, ideo non eſt ita difficilis hic actus contritionis, ut frequenter non fiat à viris timoratis, habita ſemper conſideratione diuinæ bonitatis, & fæditatis peccati, quod conſtituit hominem Deo ingratum, à quo recepit tot beneficia, illique inimicum, à quo fuit tàm inſigniter dilectus, ut prò eius ſalute, voluerit fieri in ſimilitudinem ſerui, & mortem pati.

Ad 2. Nego conſequentiam. Quamuis enim hic dolor ſit miſtus gaudio, non quidem de peccato, quod illum vitiaret, ſed de diuerſo obiecto, nempe circa diſplicentiam de peccato, quam ideo reflexè amat, quia directè odit peccatum, ideo hinc potius augetur, quàm minuatur, ut docet D. Tho. in ſupplem. q. 3. ar. 1. ad

3. ex

3. ex Philoſopho 10. ethic. quòd omnis operatio augetur per propriam delectationem. Non nego tamen, quin tale gaudium poſſit retundere acrimoniam doloris ſenſitiui, qui prouenit ex rationali; quia tamen hic eſt purus effectus, & non cauſa formalis contritionis, ideo per eius decrementum, non decreſcit contritio, in eſſe maximum dolorem.

Ad 3. Nego minorem. Quamuis enim plerumque accidat, ut peccans habeat tempus reparandi ſuum peccatum per ſacramentum, nullus tamen poteſt ſibi certò promittere, quòd illud ſit habiturus, cùm non pauci moriantur in ipſo actu peccandi, vel ſaltem non habeant copiam confeſſarij. Immò licèt habeant, & confiteantur peccatum, nullus poteſt eſſe certus de remiſſione peccati, vel ex parte ſui, ob defectum diſpoſitionis, vel ex parte miniſtri, ob defectum intentionis, vel demum ex parte Dei, qui non tenetur acceptare huiuſmodi pœnitentiam; & ideo dicitur Eccleſiaſtis 9. *neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit*. Vnde ſequitur, non poſſe vocari peccatum reparabile à peccatore, quia non habet in ſua omnimoda poteſtate illud reparare. Ex alia parte damnum, quod infert, utpote æternum, eſt omnium maximum. Ergo ex nullo capite debet quodcumque aliud malum temporale eſſe magis doloriferum, quàm peccatum.

Ad

Ad 4. Nego maiorem, Primò quia dolor contritionis afficit ſubiectum incorruptibile, cuiuſmodi eſt voluntas. Deinde quia dolor mortis, utpote ſenſibilis, eſt in diuerſo genere à dolore peccati, & ideo non eſt cum illo comparabilis, niſi ſecundùm rationem formalem diſplicentiæ, per quam dolens ſit ita diſpoſitus, ut malit morti ſuccumbere, quàm peccato. Vnde infertur, dolorem peccati eſſe maiorem dolore mortis, ſicut magis dolemus iactura vitæ, quàm diuitiarum, quia ſumus parati amittere diuitias, ut vitam tueamur.

Ad 5. Nego antecedens, eò quia procedat ex falſo ſuppoſito, quòd infernus ſit comparabilis cum peccato. Et ratio eſt, primò quia non poteſt fieri hæc optio, ut aliquis eligat vel pœnas inferni, vel peccatum. Cùm enim vitatio peccati, de ſua ratione formali intrinſeca ſit vitatio inferni, qui non infligitur, niſi propter peccatum, ſi eligeretur infernus, ut vitaretur peccatum, vitaretur infernus, & non vitaretur, quod eſt repugnantia in terminis. 2. electio inferni in quocumque caſu eſt intrinſecè mala, eò quia ſit actus ſummæ imprudentiæ, eligere maximam, & æternam miſeriam, & ideo eſt contra ſyndereſim, quæ dictat, illam eſſe fugiendam. Ergo ſi fiat, ut vitetur peccatum, fieret peccatum, ut illud vitetur, quod etiam repugnat in terminis. 3. Peccatum non eſt

cui-

euitabile, niſi vel ex amore beatitudinis; vel ex timore pęnæ, vel ex amore Dei. Non poteſt autem euitari ex primo motiuo per electionem inferni, quia hic eſt incompoſſibilis cum beatitudine. Neque ex ſecundo, ut patet. Neque ex tertio, quia amans Deum, quærit uniri cum illo, tamquàm cum ſuo ultimo fine; infernus autẽ ab illo ſeparat. Ergo ex nullo capite poteſt eligi infernus, ut vitetur peccatum. Demum quia infernus eſt mors æterna; peccatum autem eſt morbus ad illam diſponens. Ergo non poteſt eligi mors ad curandum morbum, quod eſſet ægrotum occidere, nè moriatur. Ergo hæc optio eſt omninò impoſſibilis, & à fortiori dicta comparatio.

Dices, offenſa Dei eſt odibilior inferno, cùm peius ſit peccare, quàm puniri. Ergo eſt præeligendus infernus peccato.

Nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret, quando hæc duo eſſent comparabilia. Quamuis ergo poſſint amari pęnæ inferni, ex ſuppoſitione peccati, & ipſum peccatum nunquam poſſit amari, non tamen poſſunt eligi, nè peccetur. Sicut enim mors temporalis non poteſt in comparationem venire cum ullo morbo, quia ſemper illa eſt omnium peſſima, ita neque infernus, qui eſt mors animæ, cum eius morbis, qui ſunt peccata, ut dictum eſt.

Vrgebis beatitudo formalis eſt minùs

amabilis, quàm Deus. Ergo debet eligi eius iactura, nè amittatur Deus.

Nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret in oppoſitis. Deus autem, & beatitudo formalis non ſunt oppoſiti. Sicut ergo non poſſumus diſſentire auctoritati Eccleſiæ, ut aſſentiamur auctoritati Dei, quamuis hæc ſit maior illa; ita neque poſſumus eligere iacturã beatitudinis formalis, ut acquiramus obiectiuam, quia una fundatur in alia.

Dices 3. Poteſt conſiderari infernus, ſecundùm puram rationem pœnalitatis. Sed ut talis cadit in numerum eligendorum. Ergo poteſt eligi præ peccato.

Nego minorem cum Durando in 4. d. 17. q. 5. Et ratio eſt, quia malum pœnæ non poteſt eligi, ad vitandum malum culpæ, niſi quando vel ſine illo hoc vitari non poteſt, vel per illud promouetur bonum virtutis, cum impedimento vitij oppoſiti. Neutrum poteſt dici de pœnalitate inferni, non ſolùm quia non eſt materia ullius virtutis, ſed etiam quia eſt potiùs promotiua peccatorum, propter moralem neceſſitatem, quam inducit ad ſemper peccandum. Ergo non poteſt eligi.

Dices demum, poſſet aliquis eſſe paratus ad puram paſſionem pœnalitatis inferni, abſque ulla electione, ut fugeret peccatum, ſi fieret optio. Sed in tali caſu non peccaret, quia non eligeret ſummam

mi-

Digitized by Google

niſeriam. Ergo &c.

Nego maiorem, propter falſum ſuppoſitum, quòd poſſint comparari. Semper enim ſupponitur, quòd poſſit fieri hæc optio, quod toties negaui. A quo enim fieret? A Deo? Ergo adigeret ad peccandum, per comminationem inferni, nè peccetur; adeòque qui conformaret ſe diuinę voluntati, eligendo infernum, peccaret, nè peccaret, & eligeret infernum, ut illum peccando non haberet, quæ ſunt ſibi repugnantia. Ab Angelo? Inprimis nullus angelus habet facultatem comminandi infernum, quod ſibi Deus reſeruauit. Et deinde, quamuis poſſet, in tali hypotheſi non liceret peccare, ſed neque liceret eligere infernum, quia hoc ipſum eſſet formaliter peccatum, adeòque hæc optio eſſet inter duo peccata, & ad alterutrum neceſſitaret, & numquam vitaretur infernus, qui ſemper ſequitur ex peccato. Quòd ſi poſſit fieri hypotheſis, quòd non ſit peccaminoſa electio pęnalitatis inferni, tunc poſſet fieri ad euadendum peccatum. Videatur Durandus loco cit. fusè, & egregiè ſoluens hanc difficultatē.

Ad 6. Nego maiorem. Et dico, dolorem contritionis dici maximum, non per comparationem cum doloribus aliarum contritionum, ſed ſolùm cum doloribus de alijs malis purè pęnalibus, ſeu doloriferis, non autem de malis culpæ. Sicut

ergo minimus angelorum eſt perfectiſſimus, reſpectu omnium hominum, & minimus homo reſpectu omnium brutorum; ita minima contritio affert dolorem maximum de peccatis, reſpectu quorumcunque aliorum dolorum, de alijs quibuſcumque obiectis, quæ non ſunt mala culpæ, quia comparatus cum omnibus, & ſingulis, habet ſemper illis præponderare.

ARTICVLVS VII.

An dolor contritionis debeat extendi ad omnia, & ſingula peccata?

Videtur non debere, primò quia motus contritionis in iuſtificatione fit in inſtanti. Ergo non poteſt recogitare de ſingulis, ut de omnibus doleat.

2. Contritio non dolet de peccatis, niſi quatenus dicunt diuinam offenſam, & auerſionem à Deo. Sed in hac omnia peccata conueniunt. Ergo non eſt neceſſe quòd de ſingulis doleat, ſed ſufficit unus omnium dolor.

3. Si doleret de omnibus, quia cùm hæc ſint inæqualia, non doleret eodem modo, ſed de uno magis, quàm de alio. Sed hoc eſt impoſſibile, quia cum motus contritionis ad peccata ſit unus, & ſubitaneus, non poteſt eſſe ſimul intenſior, & remiſſior; & ideo D. Hyeronimus laudat

D. Pau-

D. Paulum, quòd minima peccata plangebat, ſicut maxima. Ergo non extenditur ad omnia.

Concluſio, *Dolor contritionis debet extendi ad omnia, & ſingula peccata, ſaltem virtualiter, & implicitè.*

Probatur 1. ex D. Tho. qui q. 28. de ver. ar. 5. ad 3. docet, *Non eſt neceſſarium, quòd aliquis in ipſo momento iuſtificationis, de hoc, vel illo peccato determinatè cogitet, ſed ſolùm quòd doleat, ſe propria culpa à Deo eſſe auerſum.* Et ibid. ad 4. *Omnia peccata conueniunt in auerſione à Deo, ratione cuius gratiam impediunt; unde ad iuſtificationem non requiritur, quod in ipſo iuſtificationis momento, aliquis de peccatis ſingulis cogitet, ſed ſufficit, quòd cogitet de hoc, quòd per culpam ſuam eſt auerſus à Deo. Recogitatio autem ſingulorum peccatorum, debet vel præcedere, vel ſaltem ſequi iuſtificationem.*

2. Ratione à priori hinc deducta, cùm voluntas moueatur ad dolendum de peccatis, ex diuina offenſa ex illis reſultante, & hæc reperiatur in omnibus, in omnibus inuenit motivum dolendi. Si ergo non doleret de omnibus, non doleret ratione diuinæ offenſæ, quod pugnat cum ratione intrinſeca, & obiecto formali contritionis. Non tamen eſt neceſſe, quòd formaliter, & explicitè extendatur ad omnia, & ſingula peccata, ſed ſolùm ad illa, quæ

recordatur, & ad alia ſufficit quòd extendatur ſub illa ratione uniuerſali diuinæ offenſæ ut ſic, quam talis actus intrinſecè deteſtatur. Hoc autem explicatur per hoc quòd voluntas contrita ſit ita diſpoſita, ut quorumcunque peccatorum in particulari ſubierit recordatio, de ſingulis illis haberet particularem diſplicentiam, & in illis actu deteſtaretur diuinam offenſionem, ut meliùs patebit obiectionum ſolutione.

Ad 1. Patet reſponſio ex dictis. Siquidem contritus in eo inſtanti, in quo conteritur, deteſtatur ſimul omnia peccata, deteſtatione quidem formaliter una, ſed virtualiter multiplici, quatenus per illam eſt ita diſpoſitus circa ſua peccata, ut ſit paratus de quocumque ex illis dolere in particulari, quoties illius acciderit recordatio.

Ad 2. Diſtinguo minorem, conueniunt eodem modo, nego: diuerſo, concedo minorem; & nego conſequentiam: Quamuis enim omnia peccata auertant à Deo, & conueniant in ratione diuinæ offenſæ, non tamen æqualiter conueniunt, quia unum magis auertit à Deo, quàm aliud, ratione maioris diſplicentiæ, ad quam Deum prouocat. Hoc autem procedit ex eo, quia (ut obſeruat D. Tho. in ſupplem. q. 3. ar. 3. ad 3.) *Inquantum unum habet maiorem diſſonantiam ex ſua inordinatione*

ne

ne ad ordinationem diuinæ bonitatis, quàm aliud; & ideo propter maiorem vim nociuam, unum eſt magis odio dignum, quàm aliud.

Dices, omnia peccata ſunt æqualia in ratione offenſæ, quia hæc petit menſurari per dignitatem offenſi, quæ cùm ſit infinita, facit in omnibus offenſam infinitam. Cum ergo unum infinitum non ſit maius alio, ut dictum eſt in 3. phyſ. neque una offenſa eſt maior alia; & ideo non poſſumus de uno peccato magis dolere, quàm de alio.

Reſp. quòd quamuis concedatur ut verum, quòd omnia peccata ſint æqualia in ratione offenſæ (de quo ſuo loco diſputabimus) non tamen eſt verum, quòd omnia inducant in Deo æqualem diſplicentiam, quæ ſequitur cum proportione ad quantitatem, & qualitatem malitiæ ipſorum peccatorum. Cùm ergo hæc ſit major in uno, quàm in alio, & contritus doleat de peccatis, ut Deo diſplicentibus, debet de uno magis dolere, quàm de alio, quod aſſequi non valeret, ſi de omnibus, & ſingulis non doleret.

Ad 3. Nego minorem. Quamuis enim idem motus non poſſit eſſe formaliter intenſior, & remiſſior reſpectu eiuſdem, tamen hoc poteſt idem virtualiter, & reſpectu diuerſorum. Siquidem aqua tepida dicitur intenſa reſpectu frigidæ, & remiſ-

ſa reſpectu calidæ: & idem amor reipublicæ dicitur intenſior reſpectu ciuis dignioris, quàm reſpectu minùs digni, non quia habeat formaliter plures gradus ad unum, quàm ad alium, eò quia ſecundùm omnes gradus feratur ſimul ad omnes ciues, ſed quia eſt talis virtualiter, ut æquiualeat pluribus amoribus, quorum unus ſit maior, quàm alius, iuxta proportionem meritorum, ſecundùm quam ciues ſe habent ad dignificandam rempublicam, tamquam partes ad totum, ratione quorum reſpublica ſit digna tali amore. Idem proportionaliter dico de actu contritionis, qui quamuis reſpiciat uno, eodemque formaliter motu deteſtationis, veluti uniuerſitatem peccatorum; tamen quia deteſtatur in illa rationem diuinæ offenſæ, conſequentis ex ratione malitiæ, magis virtualiter afficitur circa illa, in quibus eſt maior malitia, quæ virtualis inæqualitas deteſtationis explicatur per hoc, quòd ſi ſingula illa obiecta ſeorſim proponerentur, ſingula ſingulis actibus deteſtanda, intenſiùs ferretur in unum, quàm in aliud. Vnde ſequitur, quòd ſubitanea illa motio contritionis, impedit quidem diſtinctionem formalem talis intenſionis, maioris, & minoris, non tamen impedit virtualem.

Ad auctoritatem diui Hyeronimi dico primò, quòd D. Paulus plangebat minora peccata, ſicut maiora, hoc eſt utraque

plan-

plangebat, ita ut ly *ſicuti* habeat rationem particulæ copulatiuæ, non verò comparatiuæ. Deinde ly *ſicuti* poteſt denotare, non quidem comparationem peccatorum ipſius diui Pauli inter ſe, ſed eorum omnium cum peccatis alienis, ita ut faciat ſenſum, quod D. Paulus ita deteſtabatur peccata leuia propria, ſicut alij propria grauiora. 3. Poteſt exponi de planctu ſenſibili, non autem de inſenſibili. Mirum enim non eſt, quòd vir uſque adeo charitate informatus, tantam auerſionem haberet de peccatis, ut ad cuiuslibet, licèt minimi ex illis, recordationem, in talem fletum erumperet, in qualem erumpere ſolebat ad recordationem grauiorum, ſeruata tamen ſemper virtuali proportione circa illa, doloris inſenſibilis, & rationalis.

Dices, quantitas effectus arguit quantitatem cauſæ. Sed lachrymæ ſunt effectus doloris. Ergo ex quantitate illarum, arguitur quantitas doloris; atque adeo ſi D. Paulus plangebat æqualiter omnia peccata, de omnibus dolebat æqualiter.

Reſp. ex quantite effectus argui quidem quantitatem cauſæ proximæ, non autem remotæ. Quia ergo lachrymæ proximè proueniunt ex dolore ſenſibili, ideo non arguunt quantitatem contritionis.

ARTICVLVS VIII.

An formalis ratio contritionis conſiſtat in peccatorum dolore, vel deteſtatione?

VIdetur 1. conſiſtere in dolore, ut contendit Gonettus diſp. 7. ar. 1. Primò quia contritio eſſentialiter conſiſtit in illo actu voluntatis, quo deſtruitur diuina offenſa, & Deo ſatisfit. Sed hic non eſt odium, ſeu deteſtatio peccati, ſed ſolus dolor. Ergo in illo ſolo conſiſtit, includendo tamen deteſtationem præuiam, & propoſitum non peccandi, ut eius paſſionem conſequentem. Probat minorem, actus ſatisfactorius, debet aliquid Deo tribuere, in compenſationem honoris ablati, puniendo in ſe offenſam. Hic autem actus non poteſt eſſe deteſtatio, quæ non eſt dolorifera deteſtanti, ſed dolor, qui parit triſtitiam, ut pœnam prò delicto patrato. Ergo debet eſſe actus doloris.

2. Contritio dicitur à conterendo, quaſi debeat conterere cor induratum peccatis. Sed hoc facit ſolus dolor. Ergo in illo ſolo formaliter conſiſtit. Et ideo non poteſt eſſe in beatis, quamuis perfectè oderint, & deteſtentur peccatum.

Videtur 2. conſiſtere in deteſtatione, ut propugnat Suarius in q. 85. diſp. 4. ſect. 2 n. 4. Primò quia contritio eſt perfectiſ-

ſimus

ſimus actus virtutis pœnitentiæ. Sed hic eſt formaliter deteſtatio peccati. Ergo &c. 2. Hic actus nō poteſt eſſe ſola volūtas ſatisfaciendi diuinæ oſtenſæ, quia hæc ſola nō ſufficit ad iuſtificationem, & per ſe exercitè non ſatisfacit. Contritio verò utrumque præſtat. Neque poteſt eſſe odium peccati, ut diſtinctum à deteſtatione, quia odium per ſe neque parit triſtitiam, neque vindictam. Nec poteſt eſſe dolor, quia hic conſequitur ut effectus, ex contritione neque eſt in libera poteſtate voluntatis, ſicut eſt contritio. Ergo ſola ſupereſt peccati deteſtatio.

Concluſio, *Contritio perfecta eſſentialiter dicit dolorem, ac deteſtationem peccati commiſſi, & propoſitum non peccandi, ſiue ſint tres actus diſtincti, ex æquo illam conſtiſtituentes, ſiue ſit unus virtualiter triplex, illis æquiualens.* Eſt Egidij Conink trac. de pœn. diſp. 1. dub. 2.

Probatur 1. Ex Tridentino, quod ſeſſ. 14. c. 4. ita definit contritionem, Eſt *animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*. Sed quæ ingrediuntur definitionem eſſentialem, ſunt prædicata intrinſeca, & eſſentialia definiti, ut probauimus in organo philoſophico, & patet inductione facta per omnes huiuſmodi definitiones. Ergo omnes hi actus ſunt prædicata intrinſeca, & eſſentialia contritionis perfectæ, adeò-

que illam ex æquo conſtituunt.

2. Non eſt perfectè contritus, qui non dolet, ſe Deum offendiſſe, ac ita deteſtatur talem offenſionem, ut ſit paratus prò illa ſatisfacere quantum poteſt. Ergo ad contritionem perfectam requiruntur dolor, ſeu deteſtatio peccati, & votum ſatisfaciendi. Eſt autem impoſſibile, quòd aliquis ſit ita diſpoſitus circa factum, de quo conteritur, & non illud deteſtetur ut faciendum; neque enim poteſt eſſe ut factum, materia deteſtationis, quod ut faciendum non appareat deteſtabile. Ergo neceſſariò in his actibus inuoluitur propoſitum non peccandi. Atque adeo contritio perfecta conſtituitur ex his tribus, quorum quolibet ablato, non remaneret quidditas, & ratio formalis contritionis.

Dices cum Gonetto, actus virtutis primarius debet eſſe unus, & non plures. Sed contritio eſt actus primarius virtutis pœnitentiæ. Ergo non poteſt eſſe aggregatũ ex pluribus. Probat maiorem, quia debet immediatè ab illa elici, adeòque debet eſſe illi ſimilis ſecundùm ſpeciem. Ergo cùm virtus ſit una qualitas ſpecialis, eius primarius actus debet eſſe unus.

Diſtinguo maiorem, debet eſſe unus formaliter, tranſeat, debet eſſe unus virtualiter, nego maiorem. Et ad eius probationem dico, omnes actus conſtantes contritionem eſſe unum actum virtualiter

multiplicem, quamuis actus quibus æquiualet, ratione diſtinguantur. Sicut enim una formaliter anima in homine eſt virtualiter triplex, quatenus æquiualet vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ; ita deteſtatio, ſeu odium, dolor, & propoſitum non peccandi conueniunt in unam, eamdemque entitatem actus contritionis, qui ſolus æquiualet omnibus illis. Dixi *tranſeat*, quia non eſt ita certum, habitum virtutis pœnitentiæ eſſe unam tantum ſimplicem qualitatem, ut negari non poſſit. Sicut enim ſtatuimus in Logica lib. 1. diſp. 1. ar. 7. ſcientias eſſe qualitates ex pluribus compoſitas, ſub eadem abſtractione, ita poſſemus dicere, habitum pœnitentiæ eſſe qualitatem ſupernaturalem, ex pluribus conflatam, ſub eodem obiecto formali, quo admiſſo, retorqueretur argumentum in Conettum. Siquidem ut contritio illi conformaretur, in ratione ſpecificæ ſimilitudinis, deberet ex pluribus conflari. Præterea nullus actus ſupernaturalis eſt eiuſdem ſpeciei atomæ cum habitu ſupernaturali, à quo elicitur. Primò quia habitus eſt qualitas permanẽs, & actus fluẽs. 2. Habitus pendet à ſolo Deo, actus autem pendet etiam à potentia naturali per illum confortata. Cùm ergo ſpecificatio habitus habeatur per ordinem ad actum, & principium, & ſpecificatio actus per ordinem ad obiectum, & principium, non

poſ-

poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei atomæ, unde corruit fundamentum Gonetti.

Ad 1. primæ ſententiæ Nego minorem. Ad cuius probationem dico, dolorem ut ſeparatum à deteſtatione, & propoſito, non eſſe deſtructivum peccati, & ſatisfactorium prò offenſa, quæ tolli non poteſt, niſi dolor proueniat ab odio, & deteſtatione illius, & retrahat in poſterum ab illa. Ergo ſi contritio conſiſtit in deſtructione, & ſatisfactione diuinæ offenſæ, debet includere alios actus.

Ad 2. Nego minorem, quia cor induratum culpis, non frangitur, niſi illas oderit, odio retrahente ab earum commiſſione. Ergo debet eſſe dolor deteſtativus, & emendativus à culpis, adeòque includere deteſtationem, & emendationem. Et hæc eſt ratio, cur odium, & deteſtatio peccati in beatis non ſit contritio, quia cùm peccare non poſſint, non eſt in illis actus emendativus.

Ad 1. ſecundæ ſententiæ nego minorē, ſi deteſtatio ſumatur ſeorſim ab alijs, propter traditas rationes. Ad 2. Nego conſequentiam. Eadem enim ratio, quæ probat, voluntatem ſolam ſatisfaciendi, & ſolum odium, vel ſolum dolorem non eſſe contritionem, probat etiam, neque eſſe ſolam deteſtationem, quidquid ſit, an deteſtatio, & odium de eodem ſint duo actus formaliter diſtincti, vel unus virtua-

tualiter duplex, de quo hic non diſputo, quia ſiue diſtinguantur, ſiue non, perinde ſe habent in ordine ad conſtituendum actum contritionis. Ergo omnes hi actus debent eſſe æqualiter conſtitutiui, licèt ad inuicem ſubordinentur.

ARTICVLVS IX.

An ad perfectam contritionem requiratur formalis amor Dei ſuper omnia?

VIdetur requiri, ut contendit Suarius diſp. 4. ſect. 2. n. 8. cum Bonacc. Riccardo, Scoto, Durando, Soto, & alijs ab ipſo relatis; Primò quia hoc videtur deduci ex ſacris paginis; ut 1. Io. 3. *Qui non diligit, manet in morte*; & 1. ad Cor. 13. *Sine charitate nihil ſum*. Et Lucæ 7. dicitur de Magdalena, *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Et Trid. ſeſſ. 6. c. 6. ad perfectam diſpoſitionem requirit amorem. Quibus addi poteſt Aug. qui lib. de vera, & falſa pœn. c. 9. & 17. ait, *Sine amore nemo umquam gratiam inuenit, nec veniam aſſecutus eſt &c.*

2. Remiſſio peccati non fit, niſi reſtituendo peccatorem in diuinam amicitiã. Ergo cùm contritio perfecta ſit ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem peccati, debet includere omnia ea, quæ ſunt ad illam neceſſaria, adeòque amorem Dei. Cùm enim

non

non detur amicitia ſine mutuo amore, ad hoc ut peccator ametur à Deo, debet prius illum amare, ut per talem amorem tollatur inimicitia inducta per peccatum.

3. Deteſtatio peccati non eſt formaliter contritio, niſi ſit propter Deum ſummè dilectum. Ergo neceſſariò includit amorem formalem Dei; aliter non eſſet receſſus à peccato, & acceſſus ad Deum.

Concluſio, *Quamuis ad perfectam contritionem neceſſariò requiratur amor Dei ſuper omnia, non tamen eſt neceſſe, quod hic amor ſit formaliter diſtinctus, ſed ſufficit, quòd in illa virtualiter contineatur.* Deducitur ex D. Tho. in 4. d. 14. q. 1. ar. 2. quæſtiunc. 2., illamque tenent expreſsè Gabriel, Paludanus, Vega, Sotus, & ipſe Suarius putat probabilem ibid. n. 9.

Probatur 1. Nemo poteſt iuſtificari extra ſacramentum, ſine actu perfectæ contritionis. Sed ſi peccator haberet perfectam deteſtationem peccatorum, etiam ſine formali dilectione Dei, iuſtificaretur. Ergo illa eſſet vera contritio; adeòque cùm ſit ſeparabilis ab amore formali Dei, non illum includit eſſentialiter. Maior patet ex communi theologorum ſententia. Minor probatur multiplici teſtimonio ſacrorum codicum, ut Pſal. 31. *Confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatē peccati mei*: Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei*

in-

In quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua: & infra, *ſi egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque iudicium, & iuſtitiam &c. omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei.* Et 2. Reg. 12. poſt adulterium, & homicidium, reprehenſus Dauid à Nathan Propheta, erupit in hæc verba, *peccaui Domino*, quę oſtendunt eius pœnitentiam, & ſtatim audiuit, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Ergo per ſolam deteſtationem peccati, diſponitur proximè impius ad gratiam iuſtificationis, ut fusè probabitur ſuo loco.

2. Nemo poteſt perfectè deteſtari peccatum, ut eſt diuina offenſa, niſi amet Deum, eò quia omne odium, & deteſtatio proueniat ab amore, ut ſupra dicebamus. Ergo perfecta deteſtatio diuinæ offenſæ eſt virtualiter dilectio ipſius Dei, qui niſi diligeretur, non redderet odioſam, & deteſtabilem eius offenſam. Ergo non eſt neceſſe, quòd cum illa connectatur actus diſtinctus formalis dilectionis.

Vnde patet reſponſio ad omnia argumenta contraria, quæ probant quidem neceſſitatem amoris, quam ultrò admittimus in contritione perfecta, non tamen amoris formaliter diſtincti, cùm poſſit ſufficere virtualis, ita ut per unicum actum habeatur adæquatè tota entitas perfectę contritionis, quæ ſimul ſit odium, auerſio, & deteſtatio diuinæ offenſæ, amor Dei, &

voluntas efficax ſatisfaciendi prò illa. Hoc autem facilè ſuaderi poteſt ex eo, quia cùm talium actuum obiecta ſint ita eſſentialiter connexa, ut non poſſit voluntas tendere in unum, quin tendat in alia, poſſunt ſimul mouere voluntatem ad actũ proſecutionis, & fugæ, pròut habent in ſe malitiam, vel bonitatem. Ergo quia poteſt voluntas præſtare hoc per unum actũ pluribus æquiualentem, ideo poteſt ſimul amare Deum, odiſſe, & deteſtari eius offenſam à ſe illatam, & proponere in poſterum eius vitationem, in quibus conſiſtit tota quidditas contritionis perfectæ. Et hoc putat probabile Suar. loc. cit. n. 8. & 9. Sicut enim diximus in Logica, quòd in concluſione contineantur virtualiter præmiſſæ, & dari in Angelis diſcurſum virtualem, ita dicimus, dari in voluntate unum actũ, qui ſimul ſit proſecutio unius, & fuga eius oppoſiti, ut ſunt Deus, & peccatum, quatenus eſt eius offenſa.

Upereſſet hìc agere, an actus contritionis ſit ſemper formatus gratia? An prima contritio fiat à gratia habituali? Et an ſemper per ſe iuſtificet, etiam extra ſacramentum? Sed quia de his commodiùs agetur infra, cum erunt quæſtiones de effectu ſacramenti, de remiſſione peccati, & de iuſtificatione impij, ideò hic illa miſſa facimus.

ARTICVLVS X.

An teneamur elicere actum contritionis ſtatim poſt peccatum mortale?

VIdemur teneri, ut apertè docet D. Tho. in ſupplem. q. 6. ar. 5. Cui accedit Sylueſter V. *contritio* n. 4. Quam opinionem limitant Soto lect. 13. de pœn. & in 4. d. 17. q. 1. ar. 6. & Adrianus ibid. q. 3. de confeſſ. quorum primus ait, peccatorem obligari ad contritionem ſolùm diebus feſtis, & quando adeſt periculum obliuiſcendi peccata. Et alter quando imminet populo aliqua magna calamitas. Eorum fundamenta poſſunt eſſe, non ſolùm ea, quæ attulimus diſp. 4. ar. 3. prò neceſſitate ſacramenti, ſed etiam quæ ſequuntur.

1. Quod ſine termino debetur, ſtatim debetur. Sed peccator tenetur conteri de peccato, nec eſt ad hoc ſtatutus ullus certus terminus. Ergo ſtatim tenetur. 2. Tenemur ſtatim retractare hæreſim. Ergo etiam deponere diuinam inimicitiam. 3. Non poteſt differri correctio fraterna, quando commodè, & cum fructu fieri poſſit. Ergo & à fortiori multò minùs correctio ſui, quæ fit per contritionem, cùm plus nobis, quàm alijs debeamus. 4. Nemo poteſt licitè amittere gratiam ſanctifi-

can-

cantem. Ergo neque durare in eius iactura. 5. Nemo poteſt inferre ſibi malum grauiſſimum. Ergo nemo poteſt in illo licitè perſeuerare. 6. Qui amet peccatum, & vult perſeuerare in illo, peccat. Sed qui differt contritionem, amet peccatum, & vult perſeuerare in illo, ergo peccat.

Concluſio, *Non datur obligatio, ad citam contritionem poſt peccatum mortale, niſi in periculo proximo mortis, vel adſit neceſſitas ſumendi, ſeu adminiſtrandi ſacramenta, & non poſſit adhiberi ſacramentum pœnitentiæ.* Ita Suar. hic diſp. 15. ſect. 5. Vaſq. q. 86. ar. 2. dub. 6. Hurtad. diſp. 3. diffic. 4. & Perez c. 6. ſecuti Alenſem, Bonauenturam, Durandum, Angelum, Sotum, Medinam, Canum, Adrianum, & alios plures.

Probatur prima pars, Primò iiſdem argumentis, quibus probauimus diſp. 4. ar. 3. non dari obligationem, ad ſtatim confitenda ſua peccata, nam æquè probant de contritione. 2. Praxi totius Eccleſiæ, in qua nemo confitetur hanc dilationem, quam ſolum per errorem poſſet agnoſcere ut læthalem. 3. Quia ſi daretur hæc obligatio, nemo poſſet cum ſola attritione accedere ad ſacramentum pœnitentiæ, eò quia omittendo contritionem, faceret contra ſuam obligationem, & peccaret, & ſic non eſſet ſufficienter diſpoſitus ad abſolutionem ſacramentalem. Sed hoc

reiec-

Digitized by Google

reiecimus ut falſum loc. cit. Ergo non datur hæc obligatio.

Probatur ſecunda, quia in periculo proximo mortis, tenetur peccator Deo reconciliari, ut probauimus diſp. 4. ar. 4. Cùm autem non adeſt copia ſacramenti, nullus relinquitur alius modus, redeundi ad amicitiam Dei, quàm actus contritionis. Ergo tenetur ad illum. Idem dico de ſumptione, ſeu adminiſtratione ſacramentorum, quæ cùm fieri licitè non poſſint in ſtatu peccati mortalis, obligant indirectè ad contritionem, quatenus ubi eſt neceſſitas confeſſionis ſacramentalis, & hæc fieri nequeat, ſuccedit immediatè neceſſitas contritionis, quæ ſola poteſt diſponere ad iuſtificationem, extra ſacramentum.

Hinc tamen non ſequitur, dari obligationem contritionis in huiuſmodi caſibus, de illis peccatis, quæ fuerunt validè expoſita clauibus, quamuis eorum tunc temporis recordemur. Et ratio eſt, quia non datur neceſſitas contritionis, niſi ut per illam Deo reconciliemur. Ergo hæc neceſſitas non poteſt cadere ſupra illa peccata, de quibus nos ſumus Deo reconciliati, & ideò cadit ſolùm ſupra illa, quæ non fuerunt ablata per Sacramentum, ut optimè docent, & probant Caiet. in 3. p. q. 84. ar. 8. Ricchardus, alijque quamplurimi.

Ad 1.

Ad 1. Reſpondeo cum D. Tho. in ſupplem. q. 7. ar. 5. ad 3. maiorem illam eſſe veram, ſolùm in ordine ad reſtituendum ablatum, cuius retentio contrariatur præcepto negatiuo, *non furaberis*, quod obligat ſemper, & ad ſemper, non autem in ordine ad impletionem præcepti poſitiui, cuiuſmodi eſt præceptum contritionis, quod obligat quidem ſemper, non tamen ad ſemper.

Ad 2. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia fides eſt initium ſalutis, & ſine illa eſt maximum periculum, nè loco pœnitentiæ, in deterius ruatur, quod non euenit habenti fidem. Quamuis enim ſit inimicus Dei, tamen poteſt faciliùs conuerti per pœnitentiam, quæ redditur difficillima in ſtatu hæreſis, ſeu infidelitatis. Præterea facta ſufficienti propoſitione, facillimum eſt credere. Ergo nulla eſt ratio, cur debeat differri aſſenſus. Pœnitentia verò ratione retractationis proprij actus, trahit ſecum magnam difficultatem, & ideo clementiſſimus Deus eius tolerat dilationem.

Ad 3. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia correctio fraterna ordinatur adæquatè, ad impedienda aliena peccata; pœnitentia verò ad commiſſorum à nobis deletionem. Si ergo per pœnitentiam peccati commiſſi, poſſemus nos liberare à patrando peccato futuro, teneremur

Digitized by Google

mur tunc ad illam ſtatim faciendam, in remedium mali futuri, quod non euenit in deletione præteriti, cuius dilatio non dat locum nouo peccato.

Ad 4. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia gratia amitti non poteſt, niſi per actuale peccatum, eò quia de ſua ratione ſit inamiſſibiliter æterna, ſoli ſubiacens exceptioni peccati. Ergo qui vellet amiſſionem gratiæ, vellet formaliter peccatum, adeòque peccaret. Eius autem iactura, quia reparari non poteſt, niſi per diuinam amicitiam, quam Deus nulli tenetur dare, ideo non poteſt ex parte peccatoris, trahere obligationem ad ſubitam ſui reparationem. Et ratio eſt, quia cùm Deus non indigeat reditu peccatoris ad ſui gratiam, non tenetur ſtatim poſt peccatum, dare illi auxilium efficax, ut redeat ad amicitiam ſui, immò de facto ſæpe illud denegat peccatori, propter indignitatem, quam ex peccato contraxit. Atque adeo ſicut Deus non tenetur ſtatim ſuam offerre amicitiam peccatori per gratiam efficacem, ita neque peccator tenetur ſtatim illam procurare per actum contritionis, ſed poteſt uti deliberatione, & conſultatione, quando debeat illam per tale medium procurare.

Dices, non poteſt omitti conatus ad reperandam diuinam gratiam, niſi per contemptum diuinæ amicitiæ. Sed hic eſt pec-

catum

catum mortale, quia dicit formaliter auerſionem à ſuo ultimo fine. Ergo non poteſt omitti ſine peccato.

Nego maiorem, Primò quia poteſt omitti purè negatiuè, abſque ulla aduertentia Dei, ut ultimi finis. Siquidem obcæcatus peccator amore temporalium, aliquando nihil cogitat de ſuo fine. Deinde aliud eſt contemnere diuinam amicitiam, & aliud contemnere ſubitam eius reparationem. Primum abſque dubio eſt peccatum inexcuſabile, quia comtemptus cadit directè ſupra Deum, qui reſpuitur ut amicus; & ſecundum cadit ſupra tempus aſſecutionis diuinæ amicitiæ, & hic non eſt contemptus peccaminoſus, ſicut non eſt contemptus aſſecutionis vitæ æternæ ad aliquod tempus, quem legimus à multis viris ſanctis acceptatum. Siquidem D. Paulus dicebat ad Rom. 9. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto prò fratribus meis.* Et S. Martinus, *Si adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* Demum, non omnis dilatio fit in contemptum; nam aliquando fit ex impotentia, ut qui differt ſolutionem nummorum, quos non habet: aliquando ex ignauia, ut qui differt repetere ſuum à debitore: aliquando etiam ex amore eius quod differtur, ut per talem dilationem vehementiùs, & fortiùs illud conſequatur, ut qui ſitiens differt bibere, ut voluptuoſiùs bibat &c.

Po-

Poteſt ergo peccator, vel ob incuriam, vel ob reuerentiam, quia non audet petere veniam ab eo, quem toties offendit, vel ut perfectiùs conteratur, differre contritionem. Ergo non ſemper fit in contemptum diuinæ amicitiæ, vel gratiæ.

Ad 5. Diſtinguo maiorem, nemo poteſt inferre ſibi poſitiuè malum grauiſſimum, concedo: negatiuè, hoc eſt non faciendo quod poſſet, ad illud euadendum, nego. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequens, nemo poteſt poſitiuè perſeuerare in peccato, per actum complacentiæ, ſeu approbationis, concedo: negatiuè, non faciendo quod poſſet, ad euadendum talem ſtatum, nego conſequentiam. Sicut enim poteſt licitè acceptari mors, licèt ſit malum grauiſſimum inter temporalia; ita & priuatio gratiæ, quæ cùm ſit debita peccatori, non eſt contra rectam rationẽ eius acceptatio.

Ad 6. Diſtinguo ſecundam partem minoris, vult in peccato perſeuerare poſitiuè, hoc eſt per approbationem, & complacentiam, nego: negatiuè, modo nuper explicato, concedo minorem, & nego conſequentiam. Sicut enim poteſt amari, ſaltẽ indirectè, in peccato habituali priuatio gratiæ, relicta in anima peccatrice, amando diuinam iuſtitiam illam infligentem, vel ſaltem non amando eius remedium, ita & in peccati perſeuerantia,

N quod

quod clariùs patet in peccato originali, cuius remedium poſſumus differre, ſicut de facto ab ipſa Eccleſia differtur in cathecumenis, qui non ſtatim admittuntur ad baptiſmum.

Dices, priuatio gratiæ, eſt deteſtabilior peccato veniali. Sed hoc neque indirectè poteſt eſſe licitè volitum. Ergo neque illa, quatenus eſt ultimum complementum peccati, ſeu eius pęna.

Diſtinguo maiorem, eſt deteſtabilior ſimpliciter, & abſolutè, concedo: ex ſuppoſitione peccati, nego. Ratio eſt, quia cùm priuatio gratiæ, ut complementum, ſeu pęna peccati, neceſſariò ſupponat peccatum, ſi amaretur abſolutè, amaretur peccatum, ex quo deriuat. Suppoſito autem peccato, poteſt illa amari, ſaltem indirectè, non amato peccato, immò in eius odium, amando pœnam, ut illi debitam. Neque obſtat, quòd homo iuſtus, etiam ex ſuppoſitione peccati, magis deteſtetur hanc priuationem, quàm veniale. Hoc enim non facit, quia amare talem priuationem ſit peccatum mortale, ſed quia qui habet perfectam charitatem, non poteſt retinere affectum ad id, quod ſeparat à Deo, cuiuſmodi eſt peccatum, ſiue habituale, ſiue originale, adeòque odit, non ſolùm rectum illorum, ſed etiam obliquum, cuiuſmodi eſt priuatio gratiæ, quæ non inducitur per veniale.

Digitized by Google

DISPVTATIO OCTAVA

De Actu Confeſsionis.

SEcundus actus pęnitentis neceſſarius ad ſacramentum, eſt confeſſio ſuorum peccatorum. Eius ergo qualitatem, & quantitatem indagantes, quæremus 1. An debeat eſſe ſecreta, & auricularis. 2. An debeat eſſe vocalis facta per propriam vocem pœnitentis? Et 3. An poſſit fieri per interpretem, & ſcripturam, etiam abſenti?

ARTICVLVS PRIMVS.

An confeſſio debeat eſſe ſecreta, & auricularis?

VIdetur 1. non debere eſſe ſecreta, ut garriunt communiter hæretici recentiores. Primò quia hic modus confi-

Digitized by Google

tendi nullum habet fundamentum in ſacris paginis. Ergo videtur eſſe politicum inuentum. 2. Eſt contra praxim Eccleſiæ primitiuæ, in qua fideles publicè confitebantur ſua peccata. 3. Confeſſio non debet fieri, ad peccatorum remiſſionem, quæ fit à Deo, ſed tantùm ad ædificationem, & correptionem. Sed neutrum aſſequeretur, ſi eſſet ſecreta. Ergo debet eſſe publica.

2. Videtur eſſe neceſſarium ad eſſentiam ſacramenti quòd confeſſio peccatorum fiat ſecretò, ut contendunt Scotus, Gabriel, Angelus, & Richardus. Primò quia perpetua Eccleſiæ traditio eius primam inſtitutionem declarat, quoad ſubſtantiam, & modum. Atqui perpetua traditio in Eccleſia, quam recepit praxis omnium fidelium eſt, quòd confeſſio fiat ſecretò. Ergo ſignum eſt, quòd ita fuerit inſtitutum à Chriſto, & ideo non poteſt aliter fieri. 2. Qui non poſſunt ſecretò confiteri, ut ſunt muti, & non callentes idioma illius regionis, in qua ſunt, non obligantur ad confeſſionem per interpretem. Sed hoc non eſſet, niſi ſecretum eſſet eſſentiale confeſſionis. Ergo non poteſt fieri, niſi ad aures ſacerdotis. 3. Scandalum activum eſt prohibitum iure diuino. Sed per confeſſionem publicam ſcandalum fieret audientibus enormia crimina. Ergo non poteſt fieri publica confeſſio.

Con-

Concluſio, *Quamuis modus confitendi ſecretò ſit honeſtus, & ſufficiens ſacramento, non tamen eſt ſimpliciter neceſſarius.* Ita Suar. diſp. 21. ſect. 2. & quoad primam partem eſt de fide.

Probatur prima pars, primò ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. poſt med. ubi dicitur, *Cæterum quoad modum confitendi ſecretò apud ſolùm Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis delicta ſua publicè confiteri poſſit, non eſt tamen hoc diuino præcepto mandatum &c.* Et can. 6. *Si quis negauerit confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino; aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia catholica ab initio ſemper obſeruauit, & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inuentum eſſe humanum, anathema ſit.*

Vnde elicitur ſecunda probatio, quòd videlicèt hic modus confitendi ſemper fuerit in uſu penès omnes fideles, ut teſtatur Tridentinum, quod propter infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, errare non poteſt. Non fuiſſet autem tanto tempore toleratus, ſi non eſſet honeſtus, & ſufficiens ad ſacramentum. Ergo eſt talis.

3. Quia licèt hoc ſacramentum conferatur per modum iudicij, quia tamen hoc iudicium ſpectat ſolùm ad forum animæ,

& idem pęnitens voluntariè eſt accuſator ſui, non indiget teſtibus ad probationem delicti, ſed ſufficit, quod ſacerdos, qui eſt iudex, habeat eius notitiam ex ipſa ſpontanea rei confeſſione. Ergo ſufficit ad valorem huius iudicij, quòd accuſatio fiat ad ſolas aures ſacerdotis, unde dicta eſt auricularis.

Probatur ſecunda, ex eodem Concilio; nam in eodem capite quinto ſeſſ. 14. apertè ait, *Etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem cùm ob aliorum exemplum, tùm ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit &c.* Ergo poteſt etiam eſſe ſufficiens confeſſio publica, adeòque ſecreta non eſt ſimpliciter neceſſaria. Non tamen prudenter hic modus à Sacerdote, vel quocumque alio habente iuriſditionem in pęnitentē pręcipi poſſet, ut idem ibidem docet concilium, ſubdens, *Nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda.* Et hoc, ratione ſcandali, quod ex illo frequenter oriretur.

Ad 1. hæreticorum nego antecedens; Primò quia habemus expreſsè Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Quòd ſi confeſſio debet fieri alterutrum, hoc eſt quòd inuicem unus alteri ſua crimina patefaciat, non debet publicè fieri.

Ergo

ergo habet fundamentum in ſcripturis auricularis confeſſio. Quòd non ſit politicum inuentum, patet ex antiquiſſima praxi totius Eccleſiæ, à temporibus ipſis Apoſtolorum, uſque ad noſtra continuata, ſicut ibid. teſtatur Tridentinum dicẽs, *Cùm ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus magno, unanimique conſenſu, ſecreta confeſſio ſacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt, & modò etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe docere non verentur.* Immò Nauarrus in manuali c. 2. n. 5. & Sotus d. 18. q. 2. ar. 6. quibus accedit Valentia hìc diſp. 7. p. 1. putant, fideles obligari ſub mortali, ad faciendam ſecretò confeſſionem, non quia hoc ſit de eſſentia ſacramenti, ſed quia nemini licet ſine iuſta cauſa ſe infamare, & multò minùs alios ſcandalizare, de quo diſputabimus infra.

Vnde patet reſponſio ad 2. Quamuis enim in primitiua Eccleſia eſſent valde frequentes pœnitentiæ publicæ, ratione quarum, iuſtis de cauſis, aliquando permittebantur confeſſiones aliquæ publicæ aliquorum ſcelerum, quæ publicè patrata, ſcandalum populo dederunt, non tamen omnes confeſſiones, etiam de occultis, fiebant publicè, ſed ad aures ſacerdotum, ut vidimus ex Tridentino.

Digitized by Google

Ad 3. Nego maiorem, quæ eſt expreſsè hæretica, ſi procedat de confeſſione ſacramentali, quæ non eſt intrinſecè ordinata, niſi ad conſequendam gratiam abſolutionis à ſacerdote, Dei vices gerente, in remiſſionem peccatorum, ut definitur can. 3. eiuſd. ſeſſionis.

Ad 1. ſecundæ ſententiæ Nego maiorem. Cùm enim conſtet, à Chriſto D. fuiſſe ſolùm inſtitutum hoc ſacramentum, quoad ſubſtantiam confeſſionis, & non quoad modum, neque extet ullum præceptum eccleſiaſticum de hoc modo ſecretà confitendi, ſequitur ſolùm, Eccleſiam diuinitùs illuſtratam illum elegiſſe, & in praxim redegiſſe, tamquam faciliorem, & magis conuenientem, ad facilem obſeruantiam diuini præcepti per ſe difficilem, & oneroſam. Ex quo ſequitur, poſſe etiam aliquando dari caſum, in quo poſſit laudabiliter fieri publica confeſſio, ut ſupra vidimus ex Tridentino.

Ad 2. Nego minorem. Siquidem muti, & alij, qui non poſſunt abſque interprete confiteri, non ideo eximuntur ab obligatione confeſſionis, quia taliter facta, non foret valida, ſed quia ut nimis grauoſa, non debuit cadere ſub præceptum, ſed relinqui feruori, & libertati pœnitentium.

Ad 3. Nego minorem. Quamuis enim regulariter loquendo confeſſio publica eſſet de ſua natura ſcandaloſa, & noxia, ſi

eſſet

eſſet præcepta, & frequens, eò quia detegerentur adulteria, ſtupra, & proditoriæ machinationes, unde naſcerentur odia, rixæ, & homicidia; tamen ſi rariſſimè fiat in aliquo tantùm caſu, cum humilitate, & lachrymis, de criminibus patentibus, & coram viris pijs, non ſolùm non pariet ſcandalum auditoribus, ſed illos potiùs excitabit ad pietatem, compunctionem, & confitentis commiſerationem, prò quo omnes orabunt, ut veniam conſequatur. Et ideo confeſſarij non debent permittere huiuſmodi publicas confeſſiones, niſi rarò, conſideratis omnibus circumſtantijs perſonæ, criminum, auditorum, loci, & temporis.

ARTICVLVS II.

An confeſſio debeat fieri voce pænitentis?

VIdetur fieri debere, Primò quia materia proxima debet eſſe proportionata formæ ſacramenti. Sed abſolutio, quæ eſt forma huius ſacramenti, debet fieri per voces ipſius ſacerdotis abſoluentis, ut videbimus infra. Ergo etiam confeſſio, in quam cadit abſolutio, debet fieri per voces pęnitentis.

2. Materia debet eſſe certa, & expreſsè ſignificare peccata. Significare autem non conuenit, niſi vocibus, quæ ſolæ habent

manifeſtare conceptus internos illas proferentis, & exprimere eorum obiecta ſenſibiliter. Ergo debet eſſe vocalis, per propriam vocem.

3. In Concilio Florentino, in decreto Eugenij dicitur, materiam huius ſacramenti eſſe oris confeſſionem. Sed oris confeſſio non poteſt eſſe, niſi per voces ipſius confitentis. Ergo debet eſſe vocalis per propriam vocem.

4. Ideo muti non tenentur ad confeſſionem ſacramentalem, quia non poſſunt illam facere propria voce. Sed hoc non eſſet, ſi poſſet aliter fieri. Ergo neceſſariò debet fieri per voces pęnitentium.

Concluſio, *Quamuis conſuetus modus confitendi peccata, ſit per proprias voces, non tamen hoc eſt de eſſentia ſacramenti.* Ita D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. & alibi ſæpe, & cum eo ſentiunt communiter Theologi, & Patres, ut videre eſt penès Suar. hic diſp. 21. ſect. 3. & Vaſq. q. 91. ar. 4. dub. 4.

Probatur 1. Pęnitens non tenetur, niſi ad manifeſtanda ſua crimina Sacerdoti, petendo veniam, & abſolutionem. Sed hæc manifeſtatio poteſt fieri, vel vocibus, vel ſcriptura, vel nutibus. Ergo tenetur ad unum ex his. Quòd ſi poſſit proprijs vocibus, quia hic eſt conſuetus modus confitendi, tenetur ad hunc modum, niſi aliqua vrgens ratio cogeret ad alium

modum

modum, ut docet Valentia diſp. 7. q. 11. p. 1. Et ratio eſt, quia (ut obſeruat Canus in relect. de pęn. p. 6.) poteſt aliquando aliquis pęnitens habere tantum ruborem de aliquo crimine, ut difficillimè poſſit illud ſacerdoti ſuis verbis ore prolatis manifeſtare; & ideo in tali caſu, nè reddatur nimis odioſum ſacramentum, cenſent, non ſolùm eſſe licitum, ſed laudabile, quòd per ſcripturam, quam pęnitens ſecum ferat, & porrigat legendam ſacerdoti confiteatur.

2. Quando Chiſtus D. inſtituit hoc ſacramentum, quia illud inſtituit per modum iudicij (ut dictum eſt diſp. 3.) ſolùm obligauit peccatorem, ad ſe reum manifeſtandum, coram ſacerdote ſui vicario, à quo ſe accuſando, & veniam petendo, reciperet abſolutionem. Ergo nullum determinauit modum, faciendi huiuſmodi accuſationem. Atque adeo cùm neque illum determinauerit Eccleſia, in qua potiùs ab initio fuit ſemper in praxi, quòd fideles confiterentur, ſicuti poterant, dicendum eſt, non eſſe neceſſariam vocalem confeſſionem, ſub hoc modo determinato, ſed ſolùm diſiunctiuè, hoc eſt aliquo ex tribus aſſignatis.

3. Cùm ſæpe accidat, ut pœnitentes non poſſint ſuis verbis aperire ſuam conſcientiam ſacerdoti, ut patet in mutis, ægrotis, & non callentibus idioma ſacer-

dotis, congruentiſſimum fuit, ut hoc ſacramentum neceſſitatis non limitaretur ad iſtam formam, præſertim cum æquè bene per alias duas poſſit aſſequi ſuum finem, reconciliandi cum Deo pœnitentem. Ergo ut omnibus præſto ſit, & nullus poſſit excuſari ab eius uſu, cum vrget neceſſitas, concludendum eſt, eius eſſentiam, & quidditatem ſaluari per confeſſionem pœnitentis, quomodocumque hæc fiat, dummodò habeat alia requiſita.

Ad 1. Nego maiorem, Primò quia in alijs ſacramentis non ſeruatur hæc proportio, ut patet in baptiſmo, confirmatione &c. Deinde quia in ipſa inſtitutione Chriſtus Dominus determinauit verba abſolutionis prò forma, ut infra videbimus, non autem verba pœnitentis prò materia, ut ab initio tenuit, & declarauit Eccleſia diuinitùs illuſtrata. 3. Quia quamuis poſſit accidere caſus, in quo ſacerdos non poſſit ore proferre verba abſolutionis, ut ſi in partibus infidelium fuerit lingua priuatus, & nullus alius ſit ſacerdos, qui poſſit abſoluere; vel ſi morbo correptus, inter audienda peccata confitentis, non poſſit os aperire, vel linguam tractare; tamen quia hi caſus ſunt rariſſimi, & ſi verè accidant, cenſendum eſt, non adeſſe copiam confeſſarij, adeòque pœnitentes poſſent in illis, ut hic & nunc exempti ab onere confeſſionis ſacramentalis, conſulere ſuæ

ſaluti

ſaluti per actum contritionis, ideo non valet illatio ex forma ad materiam, quia hæc cadit ſub præceptum, quomodocumque præſtari poſſit, illa verò cùm verbis ſit alligata, alio modo præſtari nequit.

Dices, poſſet ille ſacerdos elinguis, auditis peccatis Petri, formare intrinſecùs verba abſolutionis, & deinde illa extrinſecùs aperire nutibus, vel ſcriptura. Ergo etiam forma habet eamdem amplitudinem, ac materia.

Nego antecedens, non quia ille modus abſoluendi non eſſet verè ſenſibilis, & locutio humana, ſed quia non admittitur ut ſufficiens ab Eccleſia, & quia non eſt ſimpliciter neceſſarius, ſicut eſt confeſſio, quæ cum cadat ſub diuinum præceptum, debet fieri modo poſſibili pęnitenti.

Ad 2. Nego minorem. Cùm enim ſignificare ſit manifeſtare conceptus internos, & hæc manifeſtatio poſſit fieri nutibus, vel ſcriptura, non conuenit ſolis vocibus.

Ad 3. Nego minorem. Quamuis enim oris confeſſio grammaticaliter dicat vocum prolationem, quia tamen propriè, & philoſophicè dicit manifeſtationem conceptus interni, ideo conuenit etiam ſcripturæ, nutibus, & cuilibet alteri ſigno ad placitum, adhibito ad talem manifeſtationem, ut probauimus in lib. perhier. Et hæc eſt ratio, cur in cauſis iudicialibus dici-

dicitur ore proprio confiteri ſua delicta, qui illa ſigno aliquo ad placitum manifeſtat. Vnde patet reſponſio ad Florentinum. Quòd ſi aliquis velit accipere rigorosè oris confeſſionem pro vocum prolatione, dico Florentinum illam vſurpaſſe, non quia determinatè ſit neceſſaria, ſed quia eſt facilior, & frequentior. Et nè in poſterum torqueamur ab illa voce, Tridentinum illam omiſit, cum ſtatuit confeſſionis neceſſitatem, ut oſtenderet, ſuam mentem, & Florentini non eſſe, obligare ad talem modum confeſſionis.

Ad 4. Nego ſuppoſitum maioris. Quamuis enim non deſint qui eximant mutos ab obligatione confitendi, tamen quia præceptum confeſſionis obligat omnes peccatores uniuerſaliter, abſque ulla exceptione, ſi tamen commodè fieri poſſit, ut communiter explicant Doctores, & Patres, ideo etiam muti ſub illo comprehenduntur, præſertim cùm non ſit notabile incommodum confiteri per nutus, vel per ſcripturam, ut docent Suar. diſp. 36. ſect. 6. Conink diſp. 6. dub. 10. n. 78. Sylueſter, Maior, Caietanus, Sotus, Ricchardus, Medina, Victoria, Scotus, & alij. Cùm ergo habeatur expreſsè ex Concilijs Arauxicano can. 11. & Cartag. 3. c. 34. & ex S. Leone Papa ep. 91. præcipientibus, eſſe abſoluendum ægrotum per nutus confitentem, ſi aliter non poſſit, hic modus con-

confitendi eſt admiſſus ut ſufficiens, & aliquando ut neceſſarius.

ARTICVLVS III.

An poſſit fieri per interpretem, & per ſcripturam etiam abſenti?

Videtur non poſſe fieri per interpretem, Primò quia non eſſet ſecreta. 2. Eſſet expoſita decæptioni, nam poſſet interpres, ob ignorantiam, vel malitiam malè pęnitentem interpretari, ita ut detegantur crimina non patrata, & verè patrata reticeantur. 3. Interpres ſcandalum pateretur, quod eſt vitandum.

2. Videtur non poſſe fieri per litteras abſenti, Primò quia abſolutio debet habere materiam præſentem. Ergo etiam confeſſio debet fieri præſenti, & non per litteras, ſeu internuncium. 2. Quia poſſet mutari ſtatus pęnitentis, antequam litteræ perueniant ad manus Sacerdotis. 3. In alijs ſacramentis, ea ſuſcipientes debent eſſe corporaliter præſentes. Ergo etiã confitentes. 4. Confeſſio abſenti non poteſt eſſe humilis, verecunda, & habere alias conditiones requiſitas, ſed eſſet narratio veluti hiſtorica. Ergo non eſſet ſufficiens. 5. Extat decretum Clementis VIII. quo prohibetur confeſſio abſenti. Ergo & confeſſio.

Con-

Concluſio, *Quamuis nullus teneatur cõfiteri per interpretem, poteſt tamen illo uti, ſicut poteſt uti ſcriptura, qua etiam abſenti ſua crimina fateatur, dummodò præſens abſoluatur, & urgente neceſſitate.*

Probatur prima pars, quam tuentur Scotus, Caietanus, Medina, Sotus, Conink, Valentia, & ferè omnes alij. Primò quia in Lateranenſi, & Tridentino in locis citatis, apertè aſſeritur, nullum teneri, niſi ad confeſſionem ſecretò faciendam, immò non poſſe præcipi confeſſionem publicam, ut vidimus in 1. art. Sed per interpretem fieri non poſſet ſecretò. Ergo ad illam nemo tenetur, ſicut neque tenetur ad illam, quando aliquis alius præter ſacerdotem poſſit audire. 2. Eſſet valde durum obligare aliquem ad manifeſtãdum peccatum interpreti, qui cum non ſit miniſter huius ſacramenti, non tenetur, niſi ſecreto naturali, adeòque ſi crimina reuelaret, non poſſet puniri ut fractor ſigilli. Cùm ergo in odioſis verba ſint reſtringenda, & mitius interpretanda, dicendum eſt, Eccleſiam non obligare, niſi ad manifeſtanda noſtra crimina ſacerdoti, ſicut Chriſtus inſtituit, dùm ſolos Apoſtolos, & ſucceſſores conſtituit miniſtros huius ſacramenti.

Dices, poſſet accidere, quòd aliquis Gallus e. g. in periculo proximo mortis, ſeu tempeſtatis in mari, vel pugnæ immi-

nen-

nentis, neſcius ſcribere, non habeat, niſi confeſſarium Hiſpanum, vel Germanum, qui nutus non percipiat, neque intelligat eius verba. In tali caſu non poſſet confiteri, niſi per interpretem. Ergo teneretur per illum confiteri, ut ſatisfaceret præcepto, & conſuleret ſuæ ſaluti.

Nego conſequ. Et dico, eſſe ſimpliciter neceſſariam peccatori actualem confeſſionem in re, quando habet copiam confeſſarij, vel in voto, quando non habet. Cùm ergo in tali caſu non adeſſet Gallo moraliter copia confeſſarij, eò quia ſacerdos Hiſpanus, ſeu Germanus eſſet perinde illi ac ſi non eſſet, non teneretur, niſi ad confeſſionem in voto, cum actu contritionis. Et idem dico de illis, qui propter loci anguſtias non poſſunt ſecretò confiteri, ut ſi plures ægroti decumbant in eodem lecto, vel in nauibus &c. Nam hi vel tenentur conteri, vel poſſent confiteri explicitè aliqua leuiora, & mortalia ſolùm in genere, & ab omnibus abſolui, ut videbimus infra.

Probatur ſecunda ex dictis in 1. ar. Nã ſi poſſunt aliqui, iuſtis de cauſis publicè confiteri, quantò magis poterunt coram unico interprete?

Probatur tertia ex dictis in 2. articulo, ubi ſtatuimus, confeſſionem debere eſſe locutionem humanam. Hæc autem poteſt fieri etiam per ſcripturam, & nutus. Ergo

perin-

perinde eſt quòd aliquis voce crimina patefaciat, atque ſcriptura, dummodo adſit legitima cauſa excuſans à vocali, extra quam puto cum Valentia, illam non eſſe licitam.

Probatur quarta, in qua eſt maior difficultas, cum eodem Valentia diſp. 7. q. 11. p. 1. Gonetto diſp. 12. ar. 4. §. 2. Gamachæo in 3. p. c. 29. §. 4. Villalobos, Kelliſonio, & alijs, quos ſuppreſſo nomine refert Diana in ſum. V. *confeſſionis modus* n. 23. quamuis ipſe diſſentiat, Primò quia cum pœnitens ſe perſonaliter præſentet, ut coram ſacerdote ab illo abſoluatur à peccatis, quæ abſens per ſcriptum expoſuerat, cenſentur moraliter etiam illa eadem peccata præſentari, quæ per hoc ipſum ſubijciuntur clauibus præſentibus, quod coram de illis petitur abſolutio; neque enim peteretur, niſi ratihaberetur confeſſio, & moraliter, & virtualiter repeteretur. Ergo cùm de illis retineatur ſufficiens contritio, materialiter ſe habet, quòd illa peccata fuerint priùs abſenti manifeſtata.

2. Poteſt quis confiteri ſua crimina in ſpecie extra confeſſionale alicui ſacerdoti, veluti hiſtoricè, abſque dolore ſufficienti, & deinde dolore tactus ob diuinã offenſionem, de illis ijſdem in genere ratihabitis in confeſſionali, recipere abſolutionem ab eodem ſacerdote. Ergo etiam

poteſt

poteſt recipi abſolutio à præſenti ſacerdote, de peccatis auditis e loco abſenti. Probatur conſequentia, quia peccata hiſtoricè expoſita, extra confeſſionale, ſe habent ut expoſita ab abſente, eò quia eorum expoſitio non fuerit ſacramentalis, & tamen per ſolam ratihabitionem ſacramẽtalem, factam in genere à præſenti, talis expoſitio fit moraliter confeſſio ſufficiens, ad recipiendam abſolutionem. Ergo etiã confeſſio facta abſenti, per ratihabitionẽ in genere factam à præſenti, fit moraliter præſens, & ſufficiens ad abſolutionem recipiendam. Et ratio eſt illa, quam adduxi, quia hæc ratihabitio eſt moralis repetitio confeſſionis.

3. Poteſt fieri à præſenti confeſſio in ſcriptis, ut probatum eſt ar. 2. Ergo etiam abſenti per præſentem ratihabitionem, quæ æquiualet confeſſioni per ſcripturam. Sicut enim qui præſentat chartam, in qua ſunt deſcripta peccata, per illam confitetur, ita qui miſſam chartam ratihabet præſens, per illam iterum confitetur, ut expreſsè docet Gonettus diſp. 12. ar. 4. §. 2. in fine, his verbis, *Fit enim tunc confeſſio in præſentia ſacerdotis, quia idem eſt ſcriptum illud ratificare in præſentia ſacerdotis, & abſolutionem ab eo petere, ac ipſi cõfiteri; certificatur enim tunc ſacerdos, in præſentia pænitentis, de eius ſtatu.*

4. Poteſt abſolui moribundus, qui ab-

ſente ſacerdote, petijt confeſſionem. Sec
hic confeſſus eſt abſenti, vel formaliter
vel ſaltem interpretatiuè, ut ſupponitur
Ergo poteſt fieri confeſſio abſenti, dum-
modo abſolutio cadat in præſentem. Mi-
nor, & conſequentia patent. Maior ad-
mittitur à D. Tho. opuſc. 65. §. *de extre-
ma unct.* Syluio in 3. p. q. 9. art. 3. concl.
4. p. 2. Bonaccina tom. 4. diſp. 2. q. 3. p.
33. n. 4. Diana in ſum. V. *confeſſionis mo-
dus* n. 24. & alijs pluribus, quibus accedit
auctoritas Clem. 8. apud Koninck de ſa-
cram. diſp. 7. dub. 10. & 61. Conciliorũ
Arauxicani primi c. 12. & Cartag. 3. ci-
tati in cap. *ægrotantes* d. 4. & Cartag. 4.
c. 76. citati in cap. 8. *eadem cauſa*, S. Leo-
nis Papæ epiſ. 89. & Ritualis Rom. editi
anno 1615. iubentium, talem moribun-
dum eſſe abſoluendum, ut videbimus in-
fra agentes de ipſis pœnitentibus.

Ad 1. Patet reſponſio ex dictis in 1. ar.
ubi probauimus, neque eſſe præceptam,
neque vetitam confeſſionem publicam.
Ergo poteſt licitè fieri, quando aliter non
poſſit.

Ad 2. Dico, poſſe hoc periculum vita-
ri, ſi eligatur interpres iuſtus, ac timora-
tus, bene callens idioma confitentis; & ſi
talis non inueniatur, nec poſſit pœnitens
alio modo confiteri, cùm non poſſit obli-
gari ad impoſſibile, non tenebitur confi-
teri, ut dictum eſt. Præterquamquòd hic
timor

timor de infidelitate, & malitia interpretis, vel eſt prudenter probabilis, vel imprudens, & improbabilis? Si primum, poteſt non adhiberi, ſicut nemo tenetur confiteri ſacerdoti, de cuius fidelitate prudenter timeatur. Si ſecundum, ſicut hic timor non eximit ab obligatione confitendi ſacerdoti per vocem, ita neque eximit ab obligatione confitendi per nutus, vel ſcripturam, & à permiſſione confitendi per interpretem, ut gratiam ſacramenti etiam à ſolo attrito percipiatur.

Ad 3. Nego antecedens. Sicut enim diximus de confeſſione publica, ita dicimus de facta per interpretem, qui potiùs confitentis humilitate compungeretur.

ARTICVLVS IV.

Solvuntur obiecta ſecundæ ſententiæ.

AD 1. Nego conſequentiam, Primò quia huiuſmodi confeſſio fit præſens, ratihabitione facta à pœnitente præſenti, ut dictum eſt. Et deinde quia prò abſolutione militat peculiaris ratio infra afferenda, quæ non militat prò confeſſione. Demum quia poſſet accidere, quòd aliquis ægrotus, cui non ſit præſens copia confeſſarij, timens nè dùm expectat accerſitum confeſſarium, morbo corripiatur, quo illi deinde aduenienti non poſſit coram

ram exponere ſua peccata, immò quòd neque ſit habiturus tempus, quo ſcripta ab illo adueniente legantur, propter numerum peccatorum, ſtatim cum per vires licet, illa ſuper chartam exarata mittit ad illum, ut illis lectis per viam, poſſit ſe ſtatim abſoluere, quamuis morbo impeditum ad loquelam. In tali caſu non ſolùm hoc fieri poſſet, ratihabendo per nutus ſcriptam confeſſionem in genere, ſed eſſet conuenientiſſimum ita fieri, ut docent Valentia, & Paludanus. Hoc autem non poteſt euenire ex parte ſacerdotis, quia uno deficiente, alius poteſt ſubrogari. Ergo non eſt par ratio.

Ad 2. Dico, etiam cum quis coram confeſſus eſt, poſſe mutari antequam abſoluatur, concipiendo affectum ad aliquod ex confeſſis peccatis; & hoc tamen non obſtat, quominùs ſacerdos habeat de illo moralem certitudinem ſufficientem ad illum abſoluendum. Ergo neque debet obſtare in caſu noſtro. Et ratio eſt, quia cùm talis debeat abſolui præſens, ſi poſt ſcripta peccata mutatus eſſet, poſſet coram talem mutationem manifeſtare, & addere voce, vel nutu ſeu ſcriptis hoc nouum peccatum, ut confeſſionis integritas ſeruetur.

Ad 3. Nego primò conſequentiam. Diſparitas eſt; quia cùm aliorum ſacramentorum materia ſit phyſica, & diſtincta

ab

ab actibus ſuſcipientium, non poteſt eius defectus ſuppleri per eius actus, qui non poſſunt facere, quòd aqua abſens fiat moraliter præſens. Materia verò pœnitentiæ, quia ſunt actus pœnitentis; ideo poteſt defectus præſentiæ unius actus, ſuppleri per alium præſentem, ut eſt ratihabitio confeſſionis iam factæ. Deinde nego antecedens, quia matrimonium poteſt fieri per procuratores, ut frequenter fit inter Principes. Ergo potiùs retorquetur argumentum.

Ad 4. Nego antecedens, Primò quia poteſt fieri per formulas exprimentes humilitatem, ut fit in libellis ſupplicibus. Et deinde quia ſiquid ſcripto defuit, ſuppleri poteſt in eius ratihabitione præſenti.

Ad 5. Nego antecedens. Ad cuius euidentiam affero verba decreti, quæ ſunt talia; Clemens Octavus die 19. Iulij 1602. damnauit ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam hanc propoſitionem, *Licet per litteras, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*. Vnde Card. De Lugo diſp. 17. de pœn. ſect. 4. n. 65. Vaſquez q. 91. ar. 4. dub. 2. Diana in ſum. V. *Confeß. modus* n. 23. alijque plures deducunt, non ſolùm fuiſſe damnatam abſolutionem abſentis, ſed etiam confeſſionem factam abſenti. Aliter ſi ſufficeret præſentatio pœnitentis, poſt factam

ctam confeſſionem abſenti, etiam ſufficeret præſentia ſacerdotis, poſt traditam abſolutionem abſenti, vel ſaltem poſſet fieri confeſſio præſenti, & deinde fieri abſolutio abſentis, quæ ſunt abſurda. Sed hæc illatio non videtur ſubſiſtere.

Primò quia prohibetur tota propoſitio illa, quatenus non ſolùm dicit confeſſionem, ſed etiam quatenus dicit abſolutionem factam abſenti, & ideo hæc duo exprimuntur per particulam copulatiuam, ad cuius falſitatem ſufficit falſitas unius partis, ut dictum eſt in organo. Sicut ergo hæc propoſitio eſt falſa, *Chriſtus eſt Deus, & eſt ubique*, non quia non ſit Deus, ſed quia non ſit ubique ſecundùm humanitatem, ita eſt falſa illa, *poteſt aliquis confiteri abſenti, & ab illo abſente abſolui*, propter falſitatem ſecundæ partis. Hoc autem euidenter patet ex ipſa propoſitione damnata, in qua dicitur, *& ab eodem abſente abſolutionem obtinere*, ut videlicèt pateſceret, ab illa non comprehendi caſum, in quo aliquis confeſſus abſenti, ab illo deinde præſente abſoluatur; aliter illa repetitio *abſente*, eſſet omninò inutilis, & ſuperflua.

Deinde, ipſe Clemens VIII. conceſſit, poſſe abſolui ægrotum morti proximum ſenſibus destitutum; qui antequam veniret ad talem ſtatum, etiam abſente ſacerdote, petiit abſolutionem. Sed hæc abſo-

lutio

lutio eſſet à præſente, in confeſſionem factam abſenti, ſaltem in genere. Ergo non potuit prohibere confeſſionem abſentis, cum abſolutio eſt à præſente; aliter ſibi contradixiſſet, & iuſſiſſet fieri, quod faciendum vetaſſet. Quòd autem Clemens VIII. hoc apertè iuſſerit, probabimus infra, cum agemus de pęnitentibus.

Neque obſtat, quòd Card. De Lugo loco citato dicat, illam interpretationem, de ſenſu copulatiuo ſupradicti decreti, fuiſſe ab ipſo Clemente reiectam, & poſtea etiam à Paulo V. die 14. Iulij 1605. declarante in congregatione S. Officij, illam non ſubſiſtere. Siquidem ipſe Lugo diſp. 17. ſect. 4. n. 44. apertè docet, poſſe pęnitentem abſolui à Sacerdote præſente, qui antequam viribus deſtitueretur, illo abſente, petijt abſolutionem, præbendo ſigna contritionis. Immò rituale Romanum editum iuſſu Pauli V. iubet, illum non ſolùm poſſe, ſed eſſe abſoluendum. In quo obſeruandum eſt primò, quòd anno 1621. die 2. Decembris, cùm in Congregatione Sanctæ Inquiſitionis, aliqui Cardinales petijſſent à Paulo V. correctionem, quoad hoc, ſui ritualis, tamquam repugnans decreto Clementis Octaui, ipſe reſpondit, minimè repugnare, atque adeo utroque retento, debere ſupradictum moribundum abſolui. Deinde ipſe Clemens Octavus interrogatus à

Petro Lombardo Archiepiſcopo Arma-cano, & Hiberniæ Primate, an ſtante ſu decreto, de non tribuenda abſolutione confitenti in abſentia confeſſarij, poſſi abſolui moribundus, qui ante aduentum Sacerdotis, præbuit ſigna contritionis vel petijt confeſſionem, reſpondit, ſe in ſuo decreto non comprehendiſſe talem caſum, ut ipſemet Lombardus apertè te-ſtatur in epiſtola data ad Ægidium de Conink ſub die 6. Iunij 1624. quam refert Cardinalis De Lugo diſp. 17. ſect. 4. n. 77. & hoc ipſum confirmat Cardinalis Bellarminus, ut teſtis de auditu, ut refert Maſtrius diſp. 5. q. 12. ar. 3. n. 361., & confirmat Amicus hic diſput. 11. ſect. 4 concl. 2.

Quare omnibus penſatis, concludendũ eſt, fuiſſe quidem prohibitam à Clemente abſolutionem abſentis, non autem confeſſionem. Neque obſtat, quòd fuerit in tali decreto facta explicita mentio etiam de confeſſione. Nam cum regulariter loquendo, confeſſio, & abſolutio fiant ſucceſſiuè, una immediatè poſt aliam, ut pateret, eſſe prohibitam abſolutionem abſentis, cum illa inuoluit confeſſionem, per modum unius actus iudicialis completi; & ideo dicitur *ſacramentaliter confiteri*, hoc eſt confiteri, & abſolui, ita ut confeſſio compleatur in eſſe ſacramentalem per abſolutionem. Illa enim confeſ-

ſio

ſio facta per ſcripturam abſenti, nullo modo eſt ſacramentalis formaliter, niſi formetur in eſſe talem per abſolutionem, quamuis poſſit eſſe inchoatè, & reductiuè, per ordinem ad abſolutionem. Quia ergo modus abſoluendi regulariter ſequitur modum confitendi, nè detur anſa abſoluendi abſentem (ut antea probabile, & licitum tenebatur, ſicut probat Maſtrius loc. cit. n. 359.) vetuit ſimul abſenti confiteri, animo tamen adæquatè directo, ad ſolam abolendam abſolutionem abſentis. Et hanc doctrinam apertè ſequuntur ipſe Maſtrius loco citato, & infra diſp. 5. q. 17. ar. 3. n. 473. Valentia, Henriquez, Gonettus, Bonaccina, Nugnus, Amicus, & plures alij, qui ſcripſerunt poſt decretum Clementis Octaui.

Ad illationem Card. De Lugo, nego ſequelam. Et ratio eſt, quia cùm abſolutio habeat conferre gratiam, & ultimatè complere ſacramentum, in eſſe remiſſiuũ peccatorum, debet ſupponere in pęnitente diſpoſitionem ſufficientem; adeòque cùm eius certitudo de abſente habere non poſſit, non poteſt cadere in materiam abſentem; materia verò cùm non habeat conferre gratiam, neque ultimatè complere ſacramentum, etiamſi fuerit abſens, poteſt illud materialiter conſtituere, in eſſe unum totum morale, quando ſubiectum eſt præſens abſolutioni, quæ illud

Digitized by Google

conſtituit ut forma. Et ratio eſt, quia actualis præſentia formæ, habet vim trahendi ad præſens etiam materiam, poſita præſentia ſubiecti, cui confertur abſolutio, quod cum præſens petit abſolutionem ſuorum criminum, & dicit, *me accurſo de omnibus, quæ tibi ſcripſi*, iam ratihabet, & renouat confeſſionem, ut dictum eſt. Materia verò præſens non habet vim, actuandi actuandi formam, quæ conſequitur. Ergo non currit paritas. Verùm de hoc plura addemus infra, cum agemus de pęnitentibus, in qua quæſtione agemus etiam de integritate confeſſionis.

DISPVTATIO IX.

De Satisfactione ſecundùm ſe.

VLtimus actus pęnitentis, ex quo completur materia proxima ſacramenti, eſt ſatisfactio; atque adeo priùſquam ad alia tranſeamus, de illa hic agimus. Quoniam verò ſatisfactio dupliciter conſiderari poteſt, nempe ut eſt opus ſatisfactorium ſecundum ſe, ſeu ex opere operantis, & ut dicit opus ſatisfactorium virtute ſacramenti, ſeu ex ope-

re

re operato, ideo ſub prima conſideratione, illam breuiter hic examinabimus, & ſub alia in diſputatione ſequenti. Quæremus ergo 1. An, & quomodo homo poſſit Deo ſatisfacere? 2. An poſſit ſatisfieri pro uno peccato, & non prò alijs? 3. An opera bona facta in peccato poſſint eſſe ſatisfactoria, tàm prò pęnis temporalibus, quàm prò minuenda æterna? 4. An poſſit unus prò alio ſatisfacere?

ARTICVLVS I.

An homo poſſit Deo ſatisfacere prò peccatis?

VIdetur non poſſe, ut gartiunt Lutherus, & Caluinus cum ſuis, dicentes, nullam remanere reatum pęnæ de peccato remiſſo, & ſi aliqua pęnalitas remaneret, nulla poſſet ſatisfactione deleri ab ipſo iuſto. Eorum funpamenta ſunt, primò quia peccatum actuale, cùm ſit magis voluntarium; eſt grauius originali. Ergo ſi prò originali non potuit homo ſatiſfaccre, multò minùs poterit prò actuali. Vnde inferunt, ſatisfactionem, quatenus dicit pęnam voluntariè ſumptam, vel acceptatam ab homine, in remedium peccati, utpote impoſſibilem, non poſſe eſſe partem intrinſecam ſacramenti pœnitentiæ.

2 Satisfactio non poteſt fieri, niſi per reſtitutionem ablati. Sed homo non poteſt reſtituere filiationem adoptiuam Dei, quæ aufertur per peccatum. Ergo non poteſt ſatisfacere.

3. Satisfactio fit per ſolutionem debiti. Sed peccator non poteſt ſoluere debitum, quod peccando contraxit; quidquid enim exhibeat, illud eſt Dei, & nihil habet de ſuo, cùm ſit undequaque ſeruus. Ergo non poteſt ſatisfacere.

4. Offenſa, quæ fit Deo, per peccatum, eſt infinita, eò quia creſcat iuxta dignitatem offenſi. Quidquid autem poteſt homo, eſt finitum. Ergo numquam poterit æquare quantitatem offenſæ, ſicut eſſet neceſſarium, ad ſatisfaciendum Deo.

5. Deo debetur totum tempus, ut in eius ſeruitium expendatur. Ergo ad hoc ut illi ſatisfiat prò tempore amiſſo, quod datum eſt peccatis, deberet illud ad priſtinum reuocari. Sed hoc eſt impoſſibile. Ergo impoſſibilis ſatisfactio.

6. Per illa tantùm poſſet homo ſatisfacere, quæ non poſſet ab illo Deus exigere, niſi peccaſſet. Sed quidquid poteſt homo, poſſet à Deo exigi, licèt homo non peccaſſet, prò iure creationis, & conſeruationis. Ergo nihil habet, per quod poſſit Deo ſatisfacere.

Concluſio, *Poteſt homo in ſtatu eleuationis, ſimpliciter Deo ſatisfacere prò peccato*

mor-

mortali, non tamen rigorosè, ſed impropriè, & interpretatiuè, ſi tamen habeat charitatem, & gratiam Chriſti. Et communis inter Catholicos.

Dixi, *in ſtatu leuationis*; quia hìc non quærimus, an poſſit homo, ſeu quælibet alia creatura pura, condignè ſatisfacere prò peccato mortali, attentis præcisè ſuis viribus, ut fuiſſet in ſtatu puræ naturæ; nam de hoc diſputamus in trac. de Incar. Quæſtio ergo procedit de homine, ut eleuato ad ordinem ſupernaturalem, & quæritur, an ut talis poſſit huiuſmodi prò Deo ſubire pęnam temporalem, ſiue ſponte ſibi inflictam, ſiue ſponte acceptatam ab alio, ſub tanta perfectione virtutis poſitiuę, ut per illam poſſit ad æqualitatem compenſare, totum damnum peccati, nempe maculæ, & pœnæ, & reſtituere æqualitatem inter Deum, & peccatorem?

Probo primam partem, Deus non poteſt præcipere impoſſibilia. Sed præcipit homini ſatisfactionem prò peccatis, ex Lucæ 3. *facite dignos fructus pænitentiæ.* Ergo ſatisfactio non eſt illi ſimpliciter impoſſibilis. Et hæc eſt ratio, cur in ſtatu puræ naturæ, tenebatur quidem homo lapſus facere quidquid poterat, ad delendum peccatum, nempe illud retractare, conteri &c. non tamen prò illo ſatisfacere, quod erat illi impoſſibile in tali ſtatu, ut fusè expendimus in tr. de Incarnatione.

Probo ſecundam, non minùs homo fi debitor Dei, ratione peccati, quàm ſit ratione creationis. Sed homo non poteſt reddere Deo aliquid æquale beneficio creationis; quidquid enim illi tribuit, eſt inferius debito. Ergo neque ratione peccati, cùm nulla ſatisfactio poſſit eſſe rigorosè æqualis offenſæ, quia hæc eſt ſimpliciter infinita, & illa finita. Præterea ſatisfactio rigoroſa, cùm ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ, debet fieri ex proprijs ipſius debitoris, & non ex gratia creditoris. Homo autem ex ſe nihil habet boni, quod non habeat in donum ab ipſo Deo creditore. Ergo non poteſt cum illo ponere perfectam æqualitatem iuſtitiæ, ſine qua non poteſt eſſe rigoroſa ſatisfactio, ut docent D. Tho. in ſupplem. q. 13. ar. 1. Durandus in 4.d.15. q. 1. & communiter alij.

Probo tertiam cum ijſdem, Inter amicos non exigitur æquiualens ſecundum rem, ſed poſſibile, ut dicitur 8. eth. Cùm ergo diuina acceptatio, vel ſit formaliter amicitia, vel actus diuinæ amicitiæ cum homine, non requirit æquiualens, ſed poſſibile; & ideo quia per illam dignificantur actiones humanæ, poteſt per illas poni talis ſatisfactio, cuius æquiualentia habeat prò menſura diuinam acceptationem, quę proinde dicitur impropria, quia non fit ex proprijs, & interpretatiua, quatenùs licèt non inducat æqualitatem ſimpli-

pli-

pliciter, & abſolutè, illam tamen inducit ex acceptatione creditoris, reſpectu cuius habetur ut æqualis.

Probo quartam, ſatisfactio æquiualens peccato, debet ex modo dictis, fundari in diuina acceptatione, quæ eſt actus amicitiæ. Sed Deus non exercet amicitiam cum ſuis inimicis. Ergo ad hoc ut ſatisfactio ſit Deo accepta, debet fieri ab eius amico, cuiuſmodi non eſt qui caret charitate.

Probo quintam, Quamuis homo ſit iuſtus, & habeat cum charitate gratiam ſanctificantem habitualem, non tamen poteſt operari ſicut oportet, & facere opera ſatiſfactoria, & meritoria, ſine gratia Chriſti coadiuvante, ſeu cooperante, ut definitum eſt contra Pelagium. Ergo quia ſatiſfactio debet fieri per opera meritoria, & ſatisfactoria, quæ ſint grata, & accepta Deo, debet fieri à iuſto, dependenter à gratia Chriſti, quæ datur ſolis viatoribus, qui ſoli poſſunt ſatisfacere.

Dices 1. Hæc doctrina probat, ſatisfactionem eſſe impoſſibilem; nam vel homo eſt in peccato, & non poteſt ſatisfacere: vel eſt in gratia, & non habet prò quo ſatisfaciat, cùm iam ſit ablatum peccatum. Ergo eſt falſa.

Nego antecedens. Quamuis enim ſit ablatum peccatum quoad culpam, non tamen ſemper eſt ablatus reatus pęnæ tem-

poralis, prò cuius ablatione ſit neceſſaria ſatisfactio, ut docet Trid. ſeſſ. 14. c. 8. his verbis, *declarat ſancta Synodus, falſum omninò eſſe, culpam à Domino numquam remitti, quin uniuerſa etiam pœna condonetur*. Vnde exploditur error Lutheri, & Caluini. Quamuis enim cum remiſſione peccati, tollatur reatus pœnæ æternæ, non tamen ſemper tollitur reatus pęnæ temporalis, & ad hunc tollendum, eſt neceſſaria ſatisfactio.

Dices 2. Poteſt aliquis exiſtens in peccato, ſatisfacere prò peccatis iam remiſſis, per contritionem præcedentem, ita ut ſi moreretur in hoc ſecundo peccato, non puniretur prò alijs. Ergo ad ſatisfaciendum, non requiritur ſtatus gratiæ.

Nego antecedens, propter traditas rationes, quia prò quocumque peccato applicetur ſatisfactio, debet applicari ab amico, & grato; aliter à Deo non acceptatur.

Dices 3. Satisfactio eſt idem atque reſtitutio. Sed hæc poteſt fieri etiam ab inimico. Ergo & ſatisfactio.

Nego maiorem. Siquidem reſtitutio propriè verſatur, circa res alienas iniuſtè acceptas, vel retentas; ſatisfactio verè eſt circa iniuriam, vel offenſam alteri factã, etiamſi nihil ab illo de eius rebus ſublatũ fuerit. Quòd ſi per mendoſam detractionem, ſublatus fuerit honor, & bonæ exiſtima-

natio, tunc non ſufficit ſatisfactio, niſi
am per congruam reſtitutionem famæ,
onatur æqualitas. Cùm ergo peccator
nil à Deo rapiat, quem offendit, ideo
n debet illi reſtituere, ſed ſatisfacere.
Dices 4. Hæc ſatisfactio poteſt fieri per
plicationem meritorum Chriſti. Sed
c applicatio poteſt fieri etiam à pecca-
re. Ergo & hæc ſatisfactio.
Nego minorem, non quia etiam pecca-
res non poſſint applicare merita Chri-
, ſed quia non quælibet eorum applica-
ſufficit, ad ſatisfaciendum Deo prò
ccatis, eò quia requiratur, quòd illa
gnificetur à diuina acceptatione, cuiuſ-
odi non eſt illa, quæ fit à peccatore, ut
ctum eſt.
Dices 5. Nemo poteſt eſſe certus, ſe ha-
re charitatem, cùm ſcriptum ſit, *nemo
t, an odio, vel amore dignus ſit*. Ergo ſi
ſatisfaciendum requiratur charitas, ne-
o poteſt eſſe certus, ſe Deo ſatisfeciſſe,
per conſequens ſemper teneretur ſatiſ-
cere, quod eſt abſurdum.
Nego conſequentiam, Primò quia licèt
n poſſit haberi certitudo poſitiua, quæ
cludat omnem timorem de oppoſito, de
a ſola loquitur ſcriptura citata, tamen
teſt haberi certitudo negatiua, quæ ſuf-
cit in præſenti. Et deinde quia poteſt
iam haberi aliqua poſitiua probabilis
niectura, quantum ſufficit, ad hoc ut

Digitized by Google

pœnitens eximatur ab obligatione ſatiſfaciendi, præſertim ſi ſatisfactio exhibita fuerit ſacramentalis.

Dices 6. Nabucodonoſor (ut habetur Daniel 4.) quamuis æthnicus, adeòque ſine charitate, potuit prò ſuis peccatis Deo ſatisfacere, & ideo illi dictum fuit à Daniele, *eleemoſinis redime peccata tua*. Ergo non eſt neceſſaria charitas.

Diſtinguo antecedens, potuit prò ſuis peccatis ſatisfacere, quoad pœnas temporales, trãſeat: quoad æternas, & ſubdiſtinguo, ſine charitate, nego: cum charitate, concedo antecedens. Et diſtinguo conſequens, non eſt neceſſaria charitas, ad ſatisfaciendum prò qualibet pœna temporali, tranſeat: prò æterna, nego conſequẽtiam. Potuit ergo hic Rex euadere eleemoſinis durationem illius pœnæ temporalis, qua factus eſt velut beſtia, non autem pœnam æternam. Dixi *tranſeat*, quia Auguſtinus lib. de prædeſt. & grat. c. 15. putat, hunc Regem fuiſſe contritum, & lachrymis ſatisfeciſſe prò ſuis peccatis, ut expendi in tract. de prædeſt. diſp. 4. ar. 5. ad 4. Ergo habuit charitatem, dum ſatisfecit; vel ſi illam non habuit, non ſatisfecit de condigno, ſed ſolum de congruo.

Dices 7. Poſita neceſſitate charitatis ad ſatisfaciendum, non poteſt peccatori ſufficere ſola attritio. Ergo vel requiritur contritio perfecta ad hoc ſacramentum, vel

l non requiritur charitas ad ſatisfactio-
m peccatorum, quæ eſt pars ſacramenti.
Diſtinguo antecedens, non poteſt ſuf-
cere ſola attritio extra ſacramentum,
ncedo: cum ſacramento, nego antece-
ens. Et dico, ſatisfactionem aliquando
mi prò parte ſacramenti pœnitentiæ, &
iquando prò actu virtutis pœnitentiæ.
ſumatur ſecundo modo, utique requi-
t charitatem. Si primo modo, ad illam
fficit attritio, quæ virtualiter fit contri-
o, quatenus diſponit pœnitentem ad cō-
itionem, ut dictum eſt diſp. 7. ar. 2. Sa-
ſfactio ergo, ut eſt pars ſacramenti, quia
lùm eſt in voto, poteſt eſſe cum ſola at-
itione, ſupplente virtute clauium defe-
um contritionis; ſed prout eſt in re, de-
t eſſe cum contritione, quia eſt poſt ſa-
amentum, quando pœnitens ex attrito,
ctus eſt contritus, & non ſpectat ad il-
d, niſi ut ultimum complementum, ſeu
ltima illius perfectio, quam vocauimus
iſp. 7. ar. 3. partem integralem.

ARTICVLVS II.

Solvuntur fundamenta contraria.

AD 1. Nego conſequentiam. Diſpa-
ritas eſt, quia peccatum originale
ſt peccatum totius naturæ humanæ, non
erſonæ particularis, ut docent theologi,
&

& ideo non potuit prò illo ſatisfieri, niſi à virtute æquante totam naturam humanã, cuiuſmodi nullus homo, immò nulla pura creatura potuit eſſe, ſed debuit ſatisfieri à Perſona diuina incarnata. Peccatũ verò actuale, quia eſt perſonale, poteſt ab una tantùm perſona priuata compenſari, quia non excedit eius virtutem. Et ideo originale, quatenus fuit perſonale reſpectu Adam, potuit ab illo compenſari, & de facto Adam prò illo ſatisfecit, ut docet Durandus in 4. d. 15. q. 1. ad 2. Vbi etiam inquit, potuiſſe Deum de potentia abſoluta conferre tantam gratiam alicui creaturæ, ut illa ſatisfaceret prò peccato originali, quam ſententiam examinamus in tract. de Incarnatione.

Ad 2. Nego maiorem, nam peccatum nihil aufert à Deo, quod inducat obligationem reſtituendi, ſed ſolùm prouocat eius indignatiouem, quæ mitigari non poteſt, niſi per ſatisfactionem, ut ſupra dictum eſt. Filiatio verò adoptiua, quam amittit peccator, non debet Deo reſtitui per pœnitentiam, ſed ipſi peccatori, mediante diuina gratia, quæ illi confertur per diuinam acceptationem eius pœnitentiæ.

Ad 3. Nego minorem. Ad cuius probationem reſpondeo cum D. Tho. in ſupplem. q. 13. ar. 1. hominem, utpote fruentem libero arbitrio, eſſe dominum ſuorũ

actuum,

tuum, quamuis dependenter à Deo. Er-
poteſt per illos charitate formatos Deo
isfacere, ſoluendo quod illi debet, nem-
deteſtationem peccati, & conuerſionē
Deum, tamquam ad ultimum finem,
r actum amoris ſuper omnia. Neque
ſtat, quòd etiam hi actus ſint à Deo,
m ſunt ab illo tamquam à cauſa uniuer-
i, & ab homine tamquam à cauſa par-
ulari liberè operante, quod ſufficit, ad
c ut poſſint ab homine reddi, tamquam
quod proprium, ad extinctionem de-
i cum Deo. Sicut enim hi actus poſſunt
ligare Deum, ex iuſtitia commutatiua,
rependendum præmium, ut fusè pro-
ui in tract. de Deo uno diſp. 18. art. 5.
poſſunt illum obligare ad lacerandum
irographum debiti.

Ad 4. Diſtinguo minorem, quidquid
teſt homo, eſt finitum, in ratione entis,
c eſt ſi conſideretur materialiter, & en-
atiuè, ſecundùm prædicata intrinſeca,
conſtitutiua illius, concedo: moraliter
nſideratum, hoc eſt ut eſt charitate for-
atum, & in diuina acceptatione, nego
inorem, & conſequentiam. Sicut enim
fenſa Dei, ratione eius infinitatis, eſt
finita, quamuis fiat per actum entitatiuè
nitum, ita opera pœnitentis, ratione di-
næ miſericordiæ, illa benignè acceptan-
s, & ſua gratia informantis, accipiunt
uamdam moralem infinitatem, ratione
cuius

cuius poſſunt æquare, & tollere infinitatem offenſæ. Neque obſtat, quòd homo ex ſua naturali conditione ſit undequaque ſervus reſpectu Dei, nam Deus per ſuam miſericordiam eum manumittit, & eleuat ad ſuam filiationem adoptiuam, dignificans ſua gratia eius actus, ac ſi eſſent ſui filij naturalis.

Ad 5. Nego conſequentiam. Ad hoc enim ut reparetur tempus amiſſum, non eſt neceſſe, quòd idem numero tempus renocetur ad eſſe, quod eſt impoſſibile, ſed ſufficit quòd compenſentur illæ actiones, quæ debuiſſent fieri tali tempore præterito, dum homo erat ſub peccato, quod fit per pœnitentiam, & ſatisfactionem Deo præſtitam.

Ad 6. Nego minorem, Primò quia Deus non poſſet à nobis exigere contritionem, & pœnitentiam in ſtatu innocentiæ, quia non poſſunt cadere ſub præceptum, niſi ex ſuppoſitione peccati, & per has poteſt Deo ſatisfieri. Vnde ſequitur, eſſe falſam opinionem Durandi in 4. d. 15. q. 1. ad 1. quòd Deus ratione creationis, poſſit ab homine exigere de potentia abſoluta quidquid homo poteſt facere, cùm actus pœnitentiæ non poſſint exigi, niſi ex ſuppoſitione peccati. Per alia verò opera, quæ adhùc poſſent exigi, cuiuſmodi ſunt voluntariæ corporis afflictiones, eleemoſina, ieiunium, oratio &c. ſolùm ſatisfaci-

facimus per diuinam acceptationem, ſi fuerint charitate informata. Deinde dico, per huiuſmodi opera non poſſe ab homine fieri ſatisfactionem rigoroſam de condigno, quæ conſiſtat in perfecta æqualitate emendæ cum offenſa. Atque adeo ſi argumentum intendat probare illius impoſſibilitatem, nihil probat contra concluſionem, quæ ſolùm procedit de ſatisfactione impropria, & interpretatiua.

ARTICVLVS III.

An poſſit Deo ſatisfieri per omne opus pœnale, quod neceſſariò à Deo patimur?

VIdetur non poſſe, ut contendunt Paludanus, Maior, Almain, & Gabriel, quibus accedit Gonettus hic diſp. 13. ar. 2. §. 2. qui omnes putant, opera ſatisfactoria neceſſariò debere eſſe ſupererogationis, & conſilij, non autem neceſſaria, vel moraliter ex præcepto, vel phyſicè, quia vitari non poſſunt. Eorum fundamenta ſunt, Primò quia opus ſatisfactorium debet eſſe liberum, aliter non eſſet actus humanus moraliter bonus, cùm omnis moralitas fundetur in libertate operantis. Sed opera præcepta, & ineuitabilia non ſunt libera. Ergo non ſunt ſatisfactoria. Confirmatur, quia ſicut non poſſumus peccare, niſi liberè ita nec libe-

rè

rè ſatisfacere. Et ideo definiunt ſatisfa-ctionem, *Voluntaria ſui punitio, ad compenſandam iniuriam Deo per peccatum illatam.*

2. Nullus poteſt una, & eadem ſolutione ſatisfacere duplici debito. Ergo per opus, quo debemus ſoluere debitum præcepti, non poſſumus ſoluere debitum peccatorum. Conſequentia patet. Antecedens probatur 1. Qui vouit ieiunium, non ſatisfacit voto, per ieiunium debitum ex præcepto, aliàs votum nullam induceret nouam obligationem per ſe. 2. Si quis habeat prò pœnitentia à confeſſario, intereſſe uni ſacro, non poteſt illi ſatisfacere in die feſto, in quo aliàs ad illud tenetur. 3. Quia ſi poſſet ſatisfieri per opera præcepta, adimplendo præcepta, fieret omnis ſatisfactio, & ſic peccator ad nihil aliud teneretur.

3. Communiter aſſignantur à theologis tres modi ſatisfaciendi, nempe per orationem, eleemoſinam, & ieiunium; & ideo confeſſarij, taxando ſatisfactionem ſacramentalem debent imponere unam ex his. Ergo aliæ actiones, licèt pœnales, non ſunt ſatisfactoriæ.

4. Malum ineuitabile, ut morbi, detrimenta rerum domeſticarum, & alia id genus, adſummum poſſunt eſſe materia ſatiſpaſſionis, ſicut ſunt in purgatorio ignis, & cruciatus. Sed ſatiſpaſſio non

eſt

eſt ſatisfactio, quia per illam Deus exercet actus iuſtitiæ vindicatiuæ, taliter puniendo, & per hanc actum miſericordiæ, illam acceptando. Ergo per pœnalitates non liberè ſuſceptas, non poteſt fieri ſatisfactio.

Concluſio, *Satisfactio poteſt fieri, per omne opus moraliter bonum, factum in gratia viatoris ſanctificante, etiam non pœnale, quamuis regulariter fiat per pœnale, licèt ſit præceptum, & phyſicè ineuitabile, dummodo, ſit aliquo modo voluntarium, quamuis non ſit ex voluntate formali ſatiſfaciendi.* Hæc concluſio continet plures partes, quas breuiter ſeorſim expediemus.

Probo primam partem, quòd debeat fieri per actum moraliter bonum, Primò quia per actum pravum potiùs augetur reatus pęnæ, quam minuatur. 2. Quia ſatisfactio debet ordinari ad correctionem peccatoris, & honorem Dei, ut definitur à Trid. ſeſſ. 14. can. 13. & 14. Ergo debet fundari in bona ſatisfacientis voluntate. Et demum quia aliter non acceptaretur à Deo.

Probo ſecundam, quòd requiratur gratia viatoris, Primò quia nulla pœnalitas alterius vitæ eſt meritoria, aliter exiſtentes in purgatorio, cùm eliciant actus feruentiſſimos charitatis, ſummam beatitudinem mererentur; & breuiſſimo tempore ſatisfacerent, quod eſt falſum. Sed omne

opus

opus ſatisfactorium eſt etiam meritoriũ; ut videbimus. Ergo qui non poteſt mereri, nec poteſt ſatisfacere. Atque adeo quia ſolus viator mereri poteſt, ille ſolus poteſt ſatisfacere. 2. Quia pęnæ alterius vitæ non ſunt voluntariæ. Ad ſatisfactionem autem requiritur voluntarietas, ut patebit. Et hæc eſt ratio, cur pęnæ inflictæ ſicarijs, & latronibus non ſint ſatisfactoriæ. Quòd autem gratia viatoris debeat eſſe ſanctificans, probatur, quia pęnę huius vitæ non ſunt per ſe comparabiles cum pęnis termini. Ergo ad hoc ut poſſint illas compenſare, requiritur quòd dignificentur à perſona ſatisfaciente, per gratiã ſanctificantem.

Probo tertiam, quòd omne opus bonũ ſit ſatisfactorium, cum Suar. diſp. 37. ſect. 6. n. 7. Soto, Caiet. Nauarro, Victoria, & alijs. Primò quia in omni opere meritorio requiruntur illa eadem, quæ requiruntur ad opus ſatisfactorium, nempe quòd ſit liberum, bonum, & ſupernaturale. Ergo cùm ſit impoſſibile, non dari opus ſatisfactorium, poſitis omnibus ad illud requiſitis, omne opus meritorium eſt ſatisfactorium, & viceuerſa. Deinde quia omne opus bonum habet annexam aliquam pęnalitatem, vel ratione laboris, vel ratione difficultatis obiecti, vel ob reſiſtentiam partis ſenſitiuæ, vel ob priuationem alicuius delectationis, cui con-

contrariatur, vel ob renitentiam ipſius voluntatis, quæ non ita facilè inducitur, ad retractandos ſuos actus. Ergo nihil illi deeſt, quò minùs ſit verè ſatisfactoriũ. Neque obſtat quòd difficultas obiecti, videatur conducere ad ſolum meritum; ſiquidem cùm ſit pœnale illam ſuperare, ut tale conducit etiam ad ſatisfaciendum. Quòd autem poſſit eſſe opus ſatisfactoriũ, etiam non pœnale, patet, quia poteſt voluntas eſſe ita diſpoſita circa actus virtuoſos, ut in illis non ſolùm non patiatur, ſed fruatur. In tali caſu ſicut elicit actus meritorios, ita & ſatisfactorios, eò quia diminutio pęnalitatis, proueniens ex prompta voluntate, non minuit actum, in eſſe ſatisfactiorium, qui de ſe eſt pœnalis, ſed potiùs auget, ratione exceſſus charitatis, pari paſſu, quo illum auget, in eſſe meritorium, propter maiorem operantis dignificationem, reſultantem ex charitate, quæ magis Deo placet, quàm ipſa punitio.

Probo quartã, quòd regulariter ſatisfactio ſit pœnalis, cum D. Tho. in 4. d. 15. q. 1. ar. 5. quæſtiunc. 1. Suar. diſp. 37. ſect. 6. n. 5. Bonacc. Durando, Henrico, Syl. Palud. & Alenſi, Primò ex Ioel 1. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu.* 2. Ex praxi totius Eccleſiæ, in qua omnes viri ſancti ſe aſſiduo affligunt, & torquent varijs generibus

bus afflictationum, etiam corporalium; 3. Quia ſatisfactio eſt actus iuſtitiæ, quo pœnitens punit in ſe diuinam offenſam. Punitio autem dicit pœnam. 4. Idem actus poteſt eſſe magis meritorius, quàm ſatisfactorius, & viceuerſa. Non niſi quia actus meritorius, ut bonus, & laudabilis reſpicit Deum ut præmiantem, ſatisfactorius autem reſpicit Deum ut offenſum; & ideo habet rationem vindictæ ſponte ſuſceptæ, ut ſoluatur pœna debita per æquiualentem, ut Deus placetur. Ergo debet eſſe pœnalis, quamuis etiam non pœnalis poſſit à Deo ad hunc finem acceptari, ut dictum eſt.

Probo quintam, quòd poſſit eſſe actus præceptus, cum eod. Suario ibid. ſect 4. n. 2. Caietano, Ledeſma, Victoria, Soto, Medina, & alijs, Primò quia per opera præcepta meremur vitam æternam. Ergo multò magis poſſumus Deo ſatisfacere, qui vitam æternam non rependit, niſi priùs fuerit illi prò peccatis plenè ſatisfactum. 2. Quia præceptum non tollit libertatem, bonitatem, aut pœnalitatem operi. Ergo quamuis opus cadat ſub præceptum, poteſt retinere rationem iuſtæ vindictæ, quam ſponte de nobis ſumimus prò peccatis. Et hæc eſt ratio, cur quando Deus promittit in ſacris litteris remiſſionem peccatorum, de ſe ipſis vindictam ſumentibus, non coarctet huiuſmodi vindi-

di-

dictam, ad ſola opera ſupererogationis, & aliunde non debita. 3. Licet teneamur mori, in defenſionem fidei, non tamen hæc mors amittit eſſe ſatisfactoriam; & idem dico de eleemoſinis, alijſque bonis operibus, licèt præceptis. Et ratio à priori eſt, quia cùm præceptum non cogat, liberè adimpletur, & ideo ſicut eius adimpletio eſt meritoria, ita & ſatisfactoria.

Probo ſextam de pęnis ineuitabilibus, ab extrinſeco illatis, Primò ex Trid. quod ſeſſ. 14. c. 8. docet, *Dùm ſatisfaciendo patimur prò peccatis, Chriſto Ieſu, qui prò peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur*. Sed Chriſtus ſatisfecit, non ſolùm per labores, & ærumnas ſponte ſuſceptas, ſed etiam per cruciatus extrinſecùs illatos. Ergo ut conformemur illi, non ſolùm debemus ſpontaneis pœnis, ſed etiam violenter ab alio illatis ſatisfacere, modo mox explicando. Et c. 9. adhùc expreſſius loquitur Tridentinum, *Docet præterea, tantam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis prò vindicando peccato ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio prò menſura delicti impoſitis, ſed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus*. Ergo de hoc dubitari non poteſt, ut docent Suar. ibid. ſect. 7. n. 1. D. Thom.

q. 15.

Digitized by Google

q. 15. art. 3. & communiter Doctores, & Patres. Deinde quia cum aliquis voluntariè, & patienter tolerat huiuſmodi paſſiones propter Deum, in vindictam ſuorum criminum, perinde ſe habet, moraliter loquendo, ac ſi illas à ſe ſponte accepiſſet. Siquidem (ut loquitur D. Tho. loco nuper citato) *fiunt aliquo modo ipſius patientis, inquantum eas acceptat, ad purgationem peccatorum, eis utens patienter*. Rationem ibid. affert Suarius, nam *valor ſatisfactionis non conſiſtit in hoc, quòd ipſe dolor, ſeu pœna à nobis veluti actione phyſica fiat, ſed multò magis in hoc quòd propter Deum ſuſtineatur, & voluntariè illi offeratur*. 3. Quia multò difficilius eſt patienter tolerare pœnas ab alio illatas, præſertim ſi iniuriosè, & ſine cauſa id fiat, quàm ſi illas ut à nobis electas patiamur. Ergo quamuis in his appareat maior voluntarietas, adeòque videantur eſſe magis ſatisfactoriæ, quia tamẽ illæ ex hoc ipſo quòd violenter inferantur, præſertim immerenti, ſunt grauiores, poſſunt fieri magis ſatisfactoriæ, ut omnes fatentur in pœnis à Dœmone ſancto Iob violenter immiſſis, quibus multò magis Deo ſatisfecit, illas inſigni patientia tolerando, quàm ſi eas propria electione ſubijſſet.

Probo ſeptimam, quòd debeat eſſe voluntaria, Primò quia iuſtum eſt, ut qui voluntariè Deum offendit, voluntariè ſatiſfa-

tisfaciat; & ideo qui non eſt ſui compos, non poteſt Deo ſatisfacere. 2. Satisfactio cùm ſit actus virtutis, eſt moralis effectus. Nulla autem moralitas reperitur, niſi voluntaria. Ergo requiritur voluntarietas, qua vel pęna ſponte eligatur, vel ab alio inflicta, voluntaria patientia toleretur, & referatur ad Deum.

Probo ultimam quòd non requiratur formalis voluntas ſatisfaciendi, ut contendit Henricus quodlib. 4. q. 18. Primò quia poſſumus mereri, etiamſi non operamur ex formali intentione merendi. Ergo etiã ſatisfacere, ſine formali intentione ſatisfaciendi. Sicut enim in primo caſu ſufficiunt opera de ſe digna præmii, ita in ſecundo opera de ſe ſatisfactoria, hoc eſt quæ habeant conditiones aſſignatas. 2. Opus factum ex motiuo perfectiore, non poteſt fraudari illo effectu, quem poſſet aſſequi ex motiuo imperfectiore. Sed operari ex motiuo charitatis, eſt multò perfectius, quàm operari ex motiuo ſatisfaciendi. Ergo ſi hoc poteſt eſſe ſatisfactorium, multò magis erit facere opera ſatisfactoria ex motiuo charitatis, nempe ut Deo placeamus. Neque obſtat, quòd ſatisfactio, ut actus iuſtitiæ vindicatiuæ, vel commutatiuæ, debeat eſſe ſolutio, vel cõpenſatio debiti, de cuius ratione eſt, ut fiat ad hunc finem, ut opponit Henricus. Siquidem cum charitas ſit perfectior iu-

ſtitia, illam includit virtualiter, quatenus intendens placere Deo, intendit facere totum id, quòd eſt neceſſarium ad amandum Deum, adeòque etiam ad illi ſatisfaciendum, quamuis hoc formaliter, & explicitè non intendat.

ARTICVLVS IV.

Solvuntur argumenta contraria.

AD 1. Nego minorem. Quamuis enim opera præcepta non ſint ita libera, ut poſſint licitè omitti, ſunt tamen ita libera, ut poſſint ſimpliciter omitti. Ergo liberè fiunt. Ea verò, quæ extrinſecùs violenter eueniunt, non ſunt nobis libera, ut eueniant, eò quia non ſint in noſtra poteſtate, tamen quia poſſunt ægrè, vel libenter tolerari, ſi patienter, & libenter tolerentur, fiunt quodammodo noſtra, adeòque ſunt voluntaria, ut dictum eſt in 7. parte. Vnde patet reſponſio ad confirmationem. Siquidem ſi aliquis adigatur violenter, ad immolandum idolis, & conſentiat tali actui, peccat, ſicut non meretur qui non conſentit ad eleemoſinam, ad quã cogitur à Principe. Ergo ad hoc ut actio ſit moraliter bona, vel praua, non eſt neceſſe quòd ſit ſub noſtra poteſtate, ſed ſufficit quòd liberè acceptetur, vel refellatur, ex præuia cognitione illius bonitatis,

vel

vel malitiæ, ut videbimus ſuo loco.

Ad 2. Dico primò, argumentum concludere prò ſatisfactione rigoroſa, quæ debet fieri omninò ex proprijs, & nullo modo debitis, non autem de interpretatiua, de qua hic loquimur, quæ valorem accipit ex acceptatione, & gratia creditoris. Deinde non poſſunt una ſolutione, ſolui duo debita eiuſdem ordinis, & reſpectu eiuſdem, poſſunt autem, ſi ſint diuerſi ordinis, cuiuſmodi ſunt implere præceptum, quod ſpectat ad religionem, & obedientiam, & ſatisfacere, quod ſpectat ad iuſtitiam. Dico 3. præceptum ſanctificandi feſta e. g. nihil aliud intendere, niſi talem cultum Dei per talem actionẽ. Ergo pœnalitas illi adiuncta, quia non intenditur per præceptum, poteſt eſſe ſolutio alterius debiti, & acceptari in ſatisfactionem peccati. Ad 1. probationem nego antecedens. Cùm enim votum non obliget, niſi ſecundum vouentis intentionem, ſi vouens non intenderit, ſe obligare ad ieiunium aliàs non præceptum, poteſt illud explere, etiam per præceptum, cum per ſe non inducat, niſi obligationẽ ieiunandi. Et hinc patet reſponſio ad 2; nam pœnitentia obligat ex intentione imponentis, quamuis regulariter expleri debeat, per opera aliàs non præcepta. Ad 3. Nego ſequelam, Primò quia poteſt quis in peccato adimplere preceptum ieiunandi,

di, non tamen per tale ieiunium ſatisfacere prò peccatis. Deinde quia cùm debitum præcepti ſit diuerſum à debito ſatisfaciendi, poteſt per unum actum utrumque ſolui, adeòque qui impleret omne præceptum, quia eſſet in ſtatu gratiæ, & faceret opera meritoria, ſine dubio etiam prò peccatis ſatisfaceret, unde poſſet concedi ſequela, ſi procedat uniuerſaliter, de obſeruantia omnium præceptorum.

Ad 3. Nego conſequentiam. Nam ad hæc tria reducuntur omnia opera ſatisfactoria, ut obſeruant Salm. hic trac. 6. cap. 10. initio. Siquidem ad orationem reducitur omne opus bonum ordinatum ad Deum: ad eleemoſinam omne opus bonũ ordinatum ad proximum: & ad ieiunium quidquid honeſtæ pęnalitatis ordinatur ad ipſum pęnitentem, qui proinde ſemper his ſatisfacit.

Ad 4. Nego antecedens, propter rationes allatas in probatione ſextæ partis, quibus oſtendimus, pęnas extrinſecùs illatas fieri moraliter ſpontaneas, ſi patienter tolerentur. Hoc non valet de pęnis purgatorij, quia animæ, quæ ibi purgantur, non habent gratiam viatoris, quam diximus in prob. 2. par. eſſe neceſſariam ad ſatisfactionem; & ideo ſatiſpatiuntur, quatenus tolerant pęnam ſibi inflictam a diuina iuſtitia, non autem ſatisfaciunt. An autem poſſint iuvari ſuffragijs viatorum, qui

prò

prò illis ſatisfaciant, videbimus ſuo loco.

ARTICVLVS V.
An poſſit Deo ſatisfieri per ſolos actus internos?

Videtur non poſſe, ut contendunt Scotus in 4. d. 15. q. 1. Gabriel d. 6. q. 2. ar. 1. & Almain in 4. d. 15. q. 1. Primo quia opus ſatisfactoriũ debet eſſe pęnale. Sed actus interni non ſunt pęnales. Ergo non ſunt ſatisfactorij. 2. Quia ſatisfactio debeo compenſare pęnam purgatorij. Sed hæc eſt ſenſibilis per ignem. Ergo ita debet eſſe ſatisfactio. 3. Debet diſtingui à contritione. Sed nullus actus internus, præter contritionem, poteſt eſſe ſatisfactorius. Ergo &c.

Concluſio, *Quamuis opus externum, ut procedit ab interno, augeat ſatisfactionem, tamen hæc poteſt haberi, per ſolos actus internos.* Ita Suar. diſp. 37. ſect. 5. & Sotus in 4. d. 19. q. 2. ar. 1.

Probatur prima pars, aduersùs Henricum, & Ledeſmam. Primò quia omnis pęnalitas liberè ſumpta à viatore, exiſtente in ſtatu gratiæ, in vindictam ſuorum ſcelerum, eſt ſatisfactoria, ut probatum eſt ar. 1. Sed in opere externo eſt diſtincta pęnalitas, à pęnalitate actus interni. Ergo eſt diſtincta ſatisfactio, quæ addita actui interno, facit maiorem intenſionem. De-

inde actus externus moraliter bonus, auget bonitatem interni, ſicut actus prauus externus auget prauitatem interni, & ideo hic eſt exponendus clauibus, etiam ſecundùm actum externum, ut probauimus diſput. 5. art. 6. Ergo etiam ſatisfactio per actum externum, auget ſatisfactionem interni, præſertim cum eſſe ſatisfactorium, ſequatur ad eſſe bonum moraliter, & meritorium, ut probauimus hic ar. 3.

Dices, actus externus non habet ex ſe bonitatem, ſed ſolùm per dependentiam ab interno. Præterea poſito interno, non datur noua libertas ad externum. Ergo externus ex ſe nullo modo eſt ſatisfactorius, adeòque non poteſt intendere ſatisfactionem actus interni.

Nego conſequentiam, quia licèt non augeat bonitatem, tamen auget pęnalitatem; & ideo auget ſatisfactionem, non quia ſatisfactio conſiſtat in ſatiſpaſſione, ut aliqui dicunt; neque enim pęna huius vitæ, eſt eiuſdem rationis cum pęnis purgatorij, & ideo non poteſt cum illa inducere æqualitatem, ſed quia extrinſecùs illi proportionatur, per condignitatem ſatisfacientis, quam recipit ex gratia ipſius Dei, illam acceptantis, ac ſi eſſet æqualis.

Probatur ſecunda pars, Primò quia actus interni de ſe ſunt meritorij, ut ſunt actus contritionis, meditatio, fides &c. Deinde quia ſunt difficiles, & pęnales, ut

ſunt

ſunt aſſignati, ſiquidem retractare actum proprium voluntatis, & captiuare intellectum in obſequium fidei, ferunt ſecum magnam difficultatem. Ergo ſi ſuperetur libenter, & offeratur Deo in ſatisfactionem criminum, nulla eſt ratio, cur huiuſmodi actus Deo non ſatisfaciant. Ex quibus ſequitur, quòd actus internus coniunctus cum externo, ſit magis ſatisfactorius.

Ad 1. Nego minorem, quæ eſt adeo falſa, ut ipſa reprobetur experientia. Quis enim eſt, qui non crucietur, ex recordatione contracti reatus ad pęnam æternam? Quis non doleat, à ſe amiſſam per peccatum æternam beatitudinem? &c. Immò communiter dicitur, pęnam damni in inferno, non eſſe ſolam priuationem beatitudinis, ſed eius aſſiduam conſiderationem.

Ad 2. Nego conſequentiam, quia cùm hæc compenſatio non fiat per æqualitatem rigoroſam ex iuſtitia, non debet fieri per pœnam eiuſdem generis.

Ad 3. Nego maiorem 1. quia ipſa contritio eſt ſatisfactoria. Et deinde, quia etiamſi deberet fieri per actus diſtinctos, adhùc poſſent aſſignari alij actus interni ſatisfactorij, ut dictum eſt ſupra.

ARTICVLVS VI.

An poſſit ſatisfieri prò uno peccato, & non prò alijs?

VIdetur poſſe, ut ait Durandus in 4. d. 15. q. 2. Quamuis enim teneat partem negatiuam, tamen putat probabilẽ etiam affirmatiuã, prò qua adducit plures ſuppreſſo nomine, n. 7. Fundamenta poſſunt eſſe, Primò quia peccata ſunt morbi animæ. Ergo ſicut poteſt curari unus morbus, ſine alijs, ita & peccata.

2. Peccata non ſunt ita connexa, ut unum non poſſit eſſe ſine alio; aliter qui unum faceret, omnia faceret, quod eſt abſurdum. Ergo etiam eorum pœnæ debent eſſe diſtinctæ, loquendo de temporalibus, adeòque ſuppoſito quòd homo ſit Deo reconciliatus, ſecundùm reatum pœnæ ęternæ, poteſt tollere reatum pœnæ temporalis, relictum ab uno per congruentem ſatisfactionem, omiſſo alio alterius criminis. Sicut enim peccata ſeperantur quoad culpam, ita debent ſeparari, quoad reatus pœnæ temporalis.

3. Principes aliquando acceptant ſatisfactionem prò uno delicto ſui ſubditi, & non prò alijs. Ergò multò magis hoc eſt dicendum de Deo, cuius miſericordia eſt infinita.

4. Deus

4. Deus diligit hominem, ut homo eſt, & illum odit ut peccatorem. Ergo poteſt illum amare ut ſatisfacientem prò uno peccato, illumque odiſſe, ut non ſatisfacientem prò alijs, adeòque acceptare ſatisfactionem prò uno ſolo peccato.

5. Satisfacere eſt tollere cauſas peccatorum, ut docet Aug. lib. de eccleſ. dogm. c. 54. Sed non omnes cauſæ ſpectant ad idem peccatum, nam poteſt aliquis tollere cauſas luxuriæ, & relinquere auaritiæ. Ergo poteſt prò uno ſatisfacere, & non prò alijs.

Prò reſolutione, aduertendum eſt primò, aliud eſſe ſatisfacere prò reatu culpæ, & aliud prò reatu pœnæ. Primum dicitur remitti peccatum, & ſolùm ſecundùm dicitur prò illo ſatisfieri. Rurſus reatus pœnæ alius eſt pœnæ æternæ, & hic tollitur per ablationem culpæ, & alius pœnæ temporalis, & hic remanet poſt remiſſam culpam, & in ordine ad hunc tantùm diriguntur noſtra opera ſatisfactoria. Quia tamen hæ quæſtiones facilè confunduntur, ut diſtinctiùs procedamus, ſuppoſitis ijs, quæ diximus de ſatisfactione, priùs breuiter aliquid dicemus de primis duobus, nempe an poſſit tolli unum peccatum quoad utrumque reatum culpæ, & pœnæ æternæ ſine alijs, & deinde an ablato utroque hoc reatu, poſſit per congruentem ſatisfactionem, tolli reatus pœnæ temporalis,

lis, relictus ab uno peccato, remanentibus reatibus aliorum?

Concluſio, *Quamuis non poſſit ſatisfieri prò uno peccato mortali, quoad reatum pœnæ æternæ, ſine alijs, tamen poteſt à iuſto ſatisfieri, prò reatu pœnæ temporalis unius peccati mortalis remiſſi, ſine alijs*. Ita Suarius hic diſp. 37. ſect. 2. n. 6.

Probatur prima pars cum D. Thoma in ſupplem. q. 14. ar. 1. Argentina in 4. d. 15. q. 1. ar. 2., alijſque communiter, Primò quia reatus pœnæ æternæ, cùm ſit indiſpenſabiliter coniunctus cum reatu culpæ læthalis, ex quo tamquàm ex cauſa neceſſariò dimanat, tolli non poteſt, niſi ille tollatur; aliòquin poſſet aliquis abſolutus à reatu pœnæ æternæ, mori cum vinculo, & reatu culpæ læthalis, quod eſt abſurdum. Sed reatus unius culpæ læthalis tolli non poteſt, remanente reatu alterius culpæ læthalis. Ergo neque poteſt tolli reatus pęnæ ęternę unius peccati, remanẽte reatu aliorum. Maior eſt de fide. Minor probatur, vel hic reatus tollitur per pęnitentiam, ut eſt virtus, vel per illam, ut eſt ſacramentum? Si primum, contritio non eſt ſufficiens ex ſe, ad delendum peccatum, per modum diſpoſitionis ad gratiam iuſtificantem, niſi ſe extendat ad omnia peccata, ut probauimus diſp. 7. ar. 7. Ergo non poteſt eſſe de uno peccato, & non de alijs. Si ſecundum, ſacramentum non eſt validum,

dum, niſi pęnitens retractet ſuum actum, quatenus eſt contra Deum, deteſtando contrarietatem cum Deo, ſeu diuinam offenſam, ſaltem ut eſt inductiua pęnæ æternæ. Sed hoc conuenit cuicumque peccato læthali. Ergo eſt impoſſibile, quòd hoc deteſtetur in uno, & non in alio; adeòque quòd prò uno, & non prò alijs hoc medio ſatisfaciat. Atqui lapſis poſt baptiſmum, non eſt aliud medium tollendi peccata, niſi pęnitentia. Ergo &c.

2. Non poteſt Deo ſatisfieri prò mortalibus, niſi cum illo reconcilietur, & recuperetur eius amicitia, & gratia. Sed eſt impoſſibile, quòd aliquis fiat amicus Dei, & ſimul remaneat eius inimicus. Ergo eſt impoſſibile, quòd illi ſatisfiat prò uno læthali, & non prò alijs.

3. Non poteſt fieri condigna ſatisfactio, niſi ab habente charitatem, ut probatum eſt diſp. 9. ar. 1. aliter non eſſet Deo accepta hæc ſatisfactio. Sed qui remanet in peccato, non habet charitatem. Ergo non poteſt facere ſatisfactionem prò ullo peccato, quæ ſit Deo accepta, & ſine diuina acceptatione non eſt ſufficiens, ut inibi probatum eſt.

Probatur ſecunda pars, Primò quia poteſt homo, ex affectu Deo placendi, & in poſterum non peccandi, magis iraſci contra aliquod peccatum, quod frequentiùs patrauit, & fuit origo, & radix cæterorum,

quàm contra alia. Ergo quia habitus vitioſi tolluntur per actus virtutis oppoſitæ, poteſt diligentiùs, & maiori ſtudio incumbere, ad frequentandos actus virtutis illi oppoſitæ, quàm aliarum virtutum e. g. qui gula ſæpe peccauit, poteſt eligere ſibi ut propriam temperantiam, ut vindictam ſumat de gula, qua Deum offendit, ut illum placet. Immò Sancti hortantur fideles, ut accedentes ad diuinum ſeruitium, priùs eradicent habitus vitioſos, quibus magis peccarunt, & quibus pronius ad peccandum inclinantur. Sed huiuſmodi actus oppoſiti, cùm ſint ex ſe virtuoſi, & meritorij, etiam ex obiecto motiuo placendi Deo, ſunt ſatisfactorij illius pęnæ temporalis, quæ remanet luenda, ex peccaminoſis actibus oppoſitis, iam remiſſis. Ergo poteſt prò illis ſatisfieri, & non prò alijs.

2. Peccatum veniale non eſt materia neceſſaria, ſed tantùm ſufficiens pęnitentiæ, ut probauimus diſp. 5. ar. 1. Ergo poteſt ad libitum, unum tantùm exponi clauibus, adeoque remitti, & non aliud. Ergo quia non poteſt ſatisfieri prò peccato non remiſſo, & remanens ſub veniali, non amittit gratiam, poteſt ſatisfieri prò veniali confeſſo, & remiſſo, quin ſatisfiat prò alijs remanentibus quoad culpam.

3. Pœna ſoluenda prò peccatis remiſſis, non poteſt ſolui tota ſimul, ſed per par-

partes. Ergo ſicut poteſt ſatisfieri prò parte pœnæ debitæ uni peccato, & non prò alia, ita poteſt prò tota pœna uni debita, & non prò tota debita alijs. Sicut enim poteſt quis prò omnibus ſimul partialiter ſatisfacere, ita poteſt ſucceſſiuè priùs prò uno, & deinde prò alio ſatisfacere.

Ad 1. Concedo conſequentiam, ſi procedat de morbo, qui contrahitur per reatum pœnæ temporalis. Sin autem procedat de morbo culpæ læthalis vel reatus pęnæ æternæ, illam nego ut falſam, non ſolùm quia culpa læthalis eſt mors animæ, quæ reparari non poteſt, niſi per gratiam, quæ eſt eius vita, ſed etiam quia cùm corporis morbi contrahantur diuerſis cauſis, diuerſis pharmacis curantur, & ideo curatio unius, non eſt curatio alterius. At omnia peccata poſt baptiſmum, habent unum, & idem pharmacum pœnitentiæ, quòd cùm ſit vniuerſale, non poteſt applicari prò uno, quin iuvet etiam alijs. Ergo vel omnia ſimul curantur, vel nullum.

Vnde patet reſponſio ad 2. Siquidem peccata, licèt ſint diſtincta quoad conuerſionem ad creaturas, uniuntur in hoc, quod omnia auertant ab eodem ultimo fine. Ergo cùm ſit impoſſibile, tolli huiuſmodi auerſionem, niſi per conuerſionem ad Deum, ideo non poteſt unum dimitti ſine alio; aliter idem eſſet ſimul auerſus, & conuerſus ad Deum, quod repugnat. Se-

cùs

cus accidit in reatu pęnæ temporalis, qui cùm ſit ad diuerſas pęnas, ſingulis proportionatas, ut dicitur Deuter. 25. *Prò menſura peccati, erit & plagarum modus*: & Apoc. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*, poteſt tolli in ordine ad unam pęnam, & non ad aliam, per actus virtutum oppoſitos illi culpæ, cui eſt debita talis pœna.

Ad 3. Nego antecedens. Quamuis enim ſæpè dimittant homines unum debitum ſine alijs, non tamen offenſam. Diſparitas eſt, quia debitum rerum externarum non contrariatur amicitiæ, ſicut offenſa, & ideo poteſt una pars debiti relaxari, ſine alijs, non tamen una pars offenſæ, quia hoc eſſet velle ſimul amicitiam, & inimicitiam eiuſdem. Quòd ſi ſint offenſiunculæ, quia non tollunt amicitiam, ideo poſſunt ſeorſim relaxari, ſicut diximus de peccatis venialibus.

Ad 4. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia diuina dilectio naturæ humanæ Petri e. g. cùm ſit actus voluntatis antecedentis, non contrariatur odio eiuſdem criminum, quod eſt actus voluntatis conſequentis, & ideo poſſunt ſimul à Deo haberi, eò quia ſint ad diuerſa obiecta. Amor autem pœnitentiæ Petri, & odium impœnitentiæ, quamuis eſſent de diuerſo obiecto materiali, non poſſent eſſe ſimul

in

in Deo, Primò quia cùm ſint actus voluntatis conſequentis, ſibi contrariantur, eò quia habeant idem obiectum formale, nempe reconciliationem eiuſdem Petri, ratione cuius Deus amat pœnitentiam Petri. Sin autem hæc extenderetur ad unũ peccatum, & non ad aliud, Deus ſimul amaret, & odiſſet reconciliationem eiuſdem Petri, eò quia hæc eſſet, & non eſſet reconciliatio, quod repugnat. Deinde, amor naturæ Petri, non ordinat illum ad gloriam, quæ rependitur meritis, & non naturæ, ſicut ordinat amor pœnitentiæ. Ergo hic non eſt compatibilis, cum odio impęnitentiæ, quod auertit à gloria, licèt ſit compatibilis cum amore naturæ.

Ad 5. Diſtinguo maiorem, eſt tollere aliquas cauſas, nego: omnes, concedo. Quia ergo pęnitens, Deo ſatisfaciendo, debet illi reconciliari, ideo non poteſt tollere aliquas cauſas peccatorum, & non omnes; aliter Deo reconciliaretur, & non reconciliaretur, quod repugnat. Hoc non valet de reatu pęnæ temporalis, per cuius ablationem non attenditur reconciliatio cum Deo, ſed Dei reconciliati ſatisfactio, & ideo poteſt auferri de uno peccato, & non de alio.

AR-

ARTICVLVS VII.

An ſatisfactio facta in peccato mortali, iuuet ad minuendas pœnas æternas, vel temporales?

VIdetur Primò iuvare ad minuendas pęnas inferni, Primo quia Aug. in enchir. loquens de ſuffragijs, ait, *Ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio* (ut accidit animabus Purgatoriæ) *vel tolerabilior ſiat damnatio*, ut accidit exiſtentibus in inferno. Ergo ſicut illis aliena ſatisfactio prodeſt ad veniam, & his ad lenimen, ita propria ſatisfactio multò magis proderit utriſque. 2. Omne opus bonum eſt ſatisfactorium, ut dictum eſt. Ergo cùm non poterit ſatisfacere ad remiſſionem pęnæ æternæ, propter obijcem peccati, ſatisfaciet ad illas minuendas. 3. Oppoſitorum oppoſiti ſunt effectus. Ergo ſicut malum eſt cauſa intenſionis, ita bonum eſt cauſa remiſſionis pęnarum, etiam factum à peccatore.

2. Videtur iuvare ad tollendam, vel ſaltem minuendam pęnam temporalem, debitam peccato remiſſo, Primò quia peccato dimiſſo non poteſt eſſe debita, niſi pęna finita. Sed hæc poteſt præſtari à peccatore. Ergo poteſt prò illa ſatisfacere. 2. Qui ſoluit pęnam ſibi taxatam, prò offenſa facta principi, quamuis illam ſoluat

in

in ſtatu nouæ offenſæ, plenè ſatisfacit prò prima. Ergo idem dicendum de ſatisfactione peccati. 3. Peccator ſoluens pęnam ſibi taxatam prò peccatis dimiſſis, non poteſt prò illis puniri in Inferno. Ergo prò illis ſatisfacit. Probatur antecedens, ſi poſſet puniri, vel pęna finita, vel infinita? Si primum, Ergo etiam pęna finita poteſt ſatisfacere. Si ſecundum, ergo pęna finita mutatur in infinitam, eò quia peccator prò illis peccatis dimiſſis non erat debitor, niſi pęnæ temporalis, quod videtur dedecere diuinam bonitatem. 4. Quod Deus ſemel acceptauit, non retractat, aliter opera Dei haberent pęnitētiam, quod eſt abſurdum. Ergo ſi acceptauit ſatisfactionem finitam prò peccatis dimiſſis, in quocumque ſtatu ſoluatur, habebit ſuum effectum. 5. Si opera bona facta in peccato, non poſſent tollere, vel minuere huiuſmodi pęnas, eſſent omninò fruſtranea, adeòque perinde eſſet peccatori bene agere, ac non agere. Hoc autem repugnat oraculo veritatis dicenti Marc. 5. quòd vel calix aquæ frigidæ habebit ſuam mercedem, & vana eſſet Sanctorum adhortatio, quòd redimat eleemoſinis peccata ſua. Ergo minuunt pęnas, ſaltem temporales.

Concluſio, *Opera ſatisfactoria facta in peccato mortali, neque iuvant ad tollendas, ſeu minuendas pęnas temporales, neque ad minuendas æternas, quamuis ſint valde proficua*

ficua peccatori. Ita D. Tho. in ſupplem. q. 14. ar. 2. 4. & 5. Dur. in 4. d. 15. q. 4. n. 6. & eſt communis.

Probo primam partem, Primò ex 1. ad Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nil mihi prodeſt*. Ergo opera facta à peccatore, non poſſunt tollere, vel minuere pœnas temporales, aliter aliquid prodeſſent, contra dictum Apoſtoli. Deinde probauimus art. 1. nullum opus eſſe ſatisfactorium ſine gratia diuinæ acceptationis. Sed hæc non confertur peccatori. Ergo hic non poteſt ſatisfacere, ad tollendas, vel minuendas pœnas temporales.

Probo ſecundam, primò, minùs valent opera mortua, quàm mortificata, cùm hæc ſint facta in ſtatu gratiæ, & illa peccati. Sed mortificata non poſſunt directè minuere pœnas inferni. Ergo multò minùs mortua. Maior, & conſequentia ſunt euidentes. Minor probatur, quia ſi poſſent illam minuere, maximè quia meritum vitæ æternæ, quam non habebunt propter obijcem conſequentis peccati, compenſaretur per talem diminutionem. Sed hoc eſt falſum, quia vita æterna pluris valet, quàm totus infernus. Ergo eius iactura tali diminutione non compenſaretur, ſed deberet compenſari ablatione to-

tali

tali pęnæ æternæ. Hoc autem eſt abſurdum, aliòquin qui ſemel feciſſet actum charitatis, retineret ſemper in quocumque ſtatu ſubſequentium peccatorum, meritum de condigno excludendi à ſe pœnas æternas, & per conſequens decedens in peccatis, non poſſet ad infernum detrudi. Ergo opera bona peccato mortificata, non poſſunt directè minuere pœnas inferni. Deinde cuicunque mortali debetur ex natura ſua pœna inferni. Ergo ſicut illi non poteſt condonari ſecundùm totum, niſi per gratiam, ita neque poteſt remitti ſecundùm partem. Sed peccatori nulla debetur gratia. Ergo neque talis remiſſio.

Sed neque poteſt mereri talem diminutionem indirectè, hoc eſt fortificando ſubiectum, ut fortius pœnas patiatur, quia ſubiectum fortificari non poteſt, niſi per ſubtractionem paſſibilitatis, hoc eſt vel illam poſitiuè minuendo per aliquod lenimen, ſeu confortativum potentiæ paſſiuæ, vel negatiuè minuendo ſenſationem doloriferam. Sed neutro modo poteſt bonis operibus mortuis ſubtrahi, ſeu minui paſſibilitas damnati, quia (ut docet D. Th. loc. cit. ar. 5.) cùm huius quantitas ſequatur menſuram delicti, hoc integro remanente, illa non poteſt minui, & ideo dicitur, *in Inferno nulla eſt redemptio*, quia ſcilicet eius pęnæ nec poſſunt auferri, nec remitti, niſi per gratiam, quæ peccatori-

bus

bus non confertur.

Dices 1. Poſſet fortificari ſubiectum, minuendo remorſum, qui inſtar vermis, corrodit conſcientiam damnati. Minùs enim remordet illius conſcientia, qui plura bona miſcuit cum peccatis, quàm qui pauciora, vel nulla. Ergo poſſunt minui pęnæ inferni.

Nego antecedens. Vel enim eſt ſermo de remorſu, prouueniente ex peccatis commiſſis, per quæ punitur, vel de remorſu, remiſſorum? Si primum, cùm hic ſit pars pęnæ ſenſitiuæ debitæ peccato, ſequitur ad menſuram illius, nec poteſt augeri, vel minui, niſi inquantum augetur, vel minuitur culpa. Si ſecundum, cùm peccata remiſſa non redeant per ſubſequentia peccata, non remanet damnatis remorſus prò remiſſis. Ergo non eſt opus illum minuere operibus ſatisfactorijs.

Dices 2. Complacentia de benefactis fortificat operantem. Ergo poſſunt damnati ex tali complacentia fortificari, ad leuiùs pęnas tolerandas.

Nego conſequentiam, non quia hæc complacentia non fortificaret damnatos, ſed quia illam non habent. Vel enim illam haberent, quia hæc bona ſunt, & eis placerent ſecundùm ſe, vel quia per illa vitarunt maiorem pęnam? Non primum, quia voluntas damnati ſemper eſt determinata ad malum, volendo ſcilicèt malùm

quia

quia malum, vel bonum ex malo fine; immò quia Deum oderunt, potiùs illis diſplicet, illum coluiſſe. Neque ſecundum, quia cognitio practica priuationis maioris pœnæ, non minuit ſenſum quoad pęnam præſentem, ſed ſolùm facit quòd leuiùs ſimpliciter puniatur.

Dices 3. Qui damnatur ad triremes, cùm potuiſſet damnari ad furcam, leuiùs patitur ſupplicium, ex gaudio quo fruitur, ob euaſionem maioris. Ergo cognitio vitationis maioris pęnæ, alleuiat animum damnati.

Nego antecedens, ſi procedat de illo, qui digna factis recepit. Neque enim qui meruit triremes, & non furcam, gaudet quòd illam euaſerit, ſed ſolùm ille, cui merita furca in triremes commutatur. Quia ergo omnes damnati ſubeunt ſolùm pęnam, quàm merentur, nec potuerunt à diuina iuſtitia timere maiorem, cùm ſemper puniat citra condignum, ex priuatione maioris pęnæ nullum poſſunt percipere gaudium. Quamuis enim poſſent grauiùs puniri ſecundùm intenſionem, tamen tali taxata pęna à iuſtiſſimo Iudice, prò ſingulis peccatis, ſeueriſſimè puniuntur, neque beneficiū illud commune puniendi omnes citra condignum, apparet ut ſpecialis gratia, reſpectu ſingulorum, unde poſſint alleuiari. Verùm de hoc alibi.

A R-

ARTICVLVS VIII.

Solvuntur argumenta contraria.

AD 1. Nego conſequentiam. Et dico, Auguſtinum eſſe exponendum de poenis Purgatorij, correſpondentibus peccatis venialibus, vel mortalibus iam remiſſis; & ideo ait, *ut ſit plena remiſſio*, quod non poteſt verificari de infernalibus, quæ neque remittuntur, nec minuuntur alienis ſuffragijs. Præterea poſſumus illum intelligere de ſuffragijs, quæ percipiuntur à viatoribus per communicationem Sanctorum, mediantibus indulgentijs &c. quæ aliquando liberant, nè eatur in purgatorium, & aliquando ut damnentur in illo ad pœnam leuiorem, & ideo dicitur, *ut tolerabilior fiat damnatio*, nempe purgatorij.

Ad 2. Dico omne opus bonum eſſe ſatisfactorium, ſi fiat in gratia, non autem ſi fiat in peccato. Ergo quia quæſtio procedit de operibus bonis peccatorum, falſa eſt conſequentia.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ ſolum valeret de bonis viuis, ideſt factis in gratia, non autem de mortuis factis in peccato. Et ratio aſſignatur à D. Tho. in ſupplem. q. 14. ar. 4. quia malum intrinſecè, & de condigno meretur pœnam; nul-

nullum autem bonum meretur de condigno ratione ſuæ quantitatis, ſeu entitatis, ſed ſolùm ratione charitatis, in qua fit, per quam non conſideratur ut tale opus materialiter, ſed ut dignificatum per diuinam adoptionem; tamquam opus filij Dei. Opus ergo factum extra charitatem, quia non habet hanc dignificationem, ex principio adoptato in filium Dei, ideo remanet in ſua quantitate, & entitate materiali, adeòque nihil conducit ad finem ſupernaturalem, ſiue aſſecutionis gloriæ, ſiue euaſionis inferni, vel eiuſdem pœnarum remiſſionis.

Ad 1. Secundæ ſententiæ. Nego minorem, quia nulla pęna poteſt eſſe ſatisfactoria, niſi acceptetur à Deo, ut probatum eſt in 1. ar. Sed quæ luitur extra charitatem, non acceptatur à Deo. Ergo non poteſt eſſe ſatisfactoria.

Ad 2. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia offenſa facta cuicumque creaturæ, cùm ſit finita, poteſt habere ęqualem emendam, & rigoroſam ſatisfactionem, nullo modo pendentem ab acceptatione offenſi, quæ proinde non poteſt ab illo reſpui. Hoc autem non valet de offenſa Dei, non ſolùm quia eſt infinita, ſed etiam quia offendens Deum non poteſt illi ſatisfacere ex proprijs, adeòque rigorosè, & ideo quæcumque emenda præbeatur, poteſt à Deo reſpui.

Ad

Ad 3. Nego antecedens, & dico quòd ſi non ſatisfaciat peccator in gratia prò peccatis dimiſſis, prò illis punietur in inferno pęna æterna infinita ſecundùm durationem, non propter commutationem pęnæ finitæ, in infinitam, ſed quia cuilibet peccato mortali correſpondet ex ſua ratione formali intrinſeca pęna infinita, niſi expleatur in gratia taxa pęnæ finitæ, ſicut accidit veniali, quod licèt ex ſua ratione mereatur ſolùm pęnam finitam, ſi tamen remaneat inſolutum cum mortali, punietur pęna infinita.

Dices, ergo peccata dimiſſa per ſubſequens peccatum reuiuiſcunt, eò quia eodem modo punientur in inferno, ac ſi non eſſent dimiſſa. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo non punientur pęna æterna.

Nego maiorem, ad cuius probationem dico, peccata plenè dimiſſa quoad culpam, & pęnam, non reuiuiſcere, nec puniri in inferno; quæ verò non ſunt plenè remiſſa, quia licèt fuerint ablata quoad culpam, remanſerunt adhùc expianda quoad pœnam, hac non ſoluta, reuiuiſcunt, ſi non ſolutio ſit culpabilis. Et ratio eſt, quia cum omni peccato mortali ſit debita pœna æterna, ſi per pęnitentiam deleatur, tollitur quidem reatus pęnæ æternæ, non tamen abſolutè, ſed conditionatè, hoc eſt ſi ſoluatur pœna temporalis, in quam æterna commutatur, quæ ſolutio debet fieri

ri in gratia, ut dignificata à diuina acceptatione, æquiualeat quoad valorem pęnæ æternæ. Quòd ſi aliquis reſpuat facere talem ſolutionem, vel ſi faciat, non faciat in gratia, ſe reddit indignum beneficio illius commutationis; & ſic redeunte in priſtinum primo reatu, damnatur ad ſoluendam illam eamdem pęnam, ad quã teneretur, ſi non fuiſſet illi factum beneficium talis commutationis. Verum quidem eſt, quòd aliquando contritio eſt ita perfecta, ut diſponat ad plenam remiſſionem, etiam quoad totam pęnam, & in tali caſu quia ſolutus ad nihil tenetur prò peccatis dimiſſis, hæc numquam redeunt quoad pęnam per peccata ſequentia.

Vrgebis, ergo contritio, & confeſſio, quamuis ſufficientia ad reconciliandum Deo peccatorem, nihil illi proſunt, aduenientibus de nouo peccatis.

Nego conſequentiam, & dico, contritionem, & confeſſionem eſſe ex ſe inductiuas æternæ beatitudinis, & perconſequens liberatiuas pęnæ æternæ, ſed per accidens ratione ſuperuenientis peccati mortificatas, non poſſe aliquando præſtare ſuum effectum. Sicut enim aliquis damnatus ad furcam, ab illa à Principe liberetur, ſub conditione quòd ſubeat exilium e. g. ſi reſpuat ire in exilium, repetitur ad furcam, ac ſi talis pęna non fuiſſet illi in exilium commutata. Et ratio à

Ad 3. Nego antecedens, & dico quòd ſi non ſatisfaciat peccator in gratia prò peccatis dimiſſis, prò illis punietur in inferno pęna æterna infinita ſecundùm durationem, non propter commutationem pęnæ finitæ, in infinitam, ſed quia cuilibet peccato mortali correſpondet ex ſua ratione formali intrinſeca pęna infinita, niſi expleatur in gratia taxa pęnæ finitæ, ſicut accidit veniali, quod licèt ex ſua ratione mereatur ſolùm pęnam finitam, ſi tamen remaneat inſolutum cum mortali, punietur pęna infinita.

Dices, ergo peccata dimiſſa per ſubſequens peccatum reuiuiſcunt, eò quia eodem modo punientur in inferno, ac ſi non eſſent dimiſſa. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo non punientur pęna æterna.

Nego maiorem, ad cuius probationem dico, peccata plenè dimiſſa quoad culpam, & pęnam, non reuiuiſcere, nec puniri in inferno; quæ verò non ſunt plenè remiſſa, quia licèt fuerint ablata quoad culpam, remanſerunt adhùc expianda quoad pœnam, hac non ſoluta, reuiuiſcunt, ſi non ſolutio ſit culpabilis. Et ratio eſt, quia cum omni peccato mortali ſit debita pœna æterna, ſi per pęnitentiam deleatur, tollitur quidem reatus pęnæ æternæ, non tamen abſolutè, ſed conditionatè, hoc eſt ſi ſoluatur pœna temporalis, in quam æterna commutatur, quæ ſolutio debet fie-

ri

ri in gratia, ut dignificata à diuina acceptatione, æquiualeat quoad valorem pęnæ æternæ. Quòd ſi aliquis reſpuat facere talem ſolutionem, vel ſi faciat, non faciat in gratia, ſe reddit indignum beneficio illius commutationis; & ſic redeunte in priſtinum primo reatu, damnatur ad ſoluendam illam eamdem pęnam, ad quā teneretur, ſi non fuiſſet illi factum beneficium talis commutationis. Verum quidem eſt, quòd aliquando contritio eſt ita perfecta, ut diſponat ad plenam remiſſionem, etiam quoad totam pęnam, & in tali caſu quia ſolutus ad nihil tenetur prò peccatis dimiſſis, hæc numquam redeunt quoad pęnam per peccata ſequentia.

Vrgebis, ergo contritio, & confeſſio, quamuis ſufficientia ad reconciliandum Deo peccatorem, nihil illi proſunt, aduenientibus de nouo peccatis.

Nego conſequentiam, & dico, contritionem, & confeſſionem eſſe ex ſe inductiuas æternæ beatitudinis, & perconſequens liberatiuas pęnæ æternæ, ſed per accidens ratione ſuperuenientis peccati mortificatas, non poſſe aliquando præſtare ſuum effectum. Sicut enim aliquis damnatus ad furcam, ab illa à Principe liberetur, ſub conditione quòd ſubeat exilium e. g. ſi reſpuat ire in exilium, repetitur ad furcam, ac ſi talis pęna non fuiſſet illi in exilium commutata. Et ratio à

Q prio-

Ad 3. Nego antecedens, & dico quòd ſi non ſatisfaciat peccator in gratia prò peccatis dimiſſis, prò illis punietur in inferno pęna æterna infinita ſecundùm durationem, non propter commutationem pęnæ finitæ, in infinitam, ſed quia cuilibet peccato mortali correſpondet ex ſua ratione formali intrinſeca pęna infinita, niſi expleatur in gratia taxa pęnæ finitæ, ſicut accidit veniali, quod licèt ex ſua ratione mereatur ſolùm pęnam finitam, ſi tamen remaneat inſolutum cum mortali, punietur pęna infinita.

Dices, ergo peccata dimiſſa per ſubſequens peccatum reuiuiſcunt, eò quia eodem modo punientur in inferno, ac ſi non eſſent dimiſſa. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo non punientur pęna æterna.

Nego maiorem, ad cuius probationem dico, peccata plenè dimiſſa quoad culpam, & pęnam, non reuiuiſcere, nec puniri in inferno; quæ verò non ſunt plenè remiſſa, quia licèt fuerint ablata quoad culpam, remanſerunt adhùc expianda quoad pœnam, hac non ſoluta, reuiuiſcunt, ſi non ſolutio ſit culpabilis. Et ratio eſt, quia cum omni peccato mortali ſit debita pœna æterna, ſi per pęnitentiam deleatur, tollitur quidem reatus pęnæ æternæ, non tamen abſolutè, ſed conditionatè, hoc eſt ſi ſoluatur pœna temporalis, in quam æterna commutatur, quæ ſolutio debet fieri

ri in gratia, ut dignificata à diuina acceptatione, æquiualeat quoad valorem pęnæ æternæ. Quòd ſi aliquis reſpuat facere talem ſolutionem, vel ſi faciat, non faciat in gratia, ſe reddit indignum beneficio illius commutationis; & ſic redeunte in priſtinum primo reatu, damnatur ad ſoluendam illam eamdem pęnam, ad quã teneretur, ſi non fuiſſet illi factum beneficium talis commutationis. Verum quidem eſt, quòd aliquando contritio eſt ita perfecta, ut diſponat ad plenam remiſſionem, etiam quoad totam pęnam, & in tali caſu quia ſolutus ad nihil tenetur prò peccatis dimiſſis, hæc numquam redeunt quoad pęnam per peccata ſequentia.

Vrgebis, ergo contritio, & confeſſio, quamuis ſufficientia ad reconciliandum Deo peccatorem, nihil illi proſunt, aduenientibus de nouo peccatis.

Nego conſequentiam, & dico, contritionem, & confeſſionem eſſe ex ſe inductiuas æternæ beatitudinis, & perconſequens liberatiuas pęnæ æternæ, ſed per accidens ratione ſuperuenientis peccati mortificatas, non poſſe aliquando præſtare ſuum effectum. Sicut enim aliquis damnatus ad furcam, ab illa à Principe liberetur, ſub conditione quòd ſubeat exilium e. g. ſi reſpuat ire in exilium, repetitur ad furcam, ac ſi talis pęna non fuiſſet illi in exilium commutata. Et ratio à

Ad 3. Nego antecedens, & dico quòd ſi non ſatisfaciat peccator in gratia prò peccatis dimiſſis, prò illis punietur in inferno pęna æterna infinita ſecundùm durationem, non propter commutationem pęnæ finitæ, in infinitam, ſed quia cuilibet peccato mortali correſpondet ex ſua ratione formali intrinſeca pęna infinita, niſi expleatur in gratia taxa pęnæ finitæ, ſicut accidit veniali, quod licèt ex ſua ratione mereatur ſolùm pęnam finitam, ſi tamen remaneat inſolutum cum mortali, punietur pęna infinita.

Dices, ergo peccata dimiſſa per ſubſequens peccatum reuiuiſcunt, eò quia eodem modo punientur in inferno, ac ſi non eſſent dimiſſa. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo non punientur pęna æterna.

Nego maiorem, ad cuius probationem dico, peccata plenè dimiſſa quoad culpam, & pęnam, non reuiuiſcere, nec puniri in inferno; quæ verò non ſunt plenè remiſſa, quia licèt fuerint ablata quoad culpam, remanſerunt adhùc expianda quoad pœnam, hac non ſoluta, reuiuiſcunt, ſi non ſolutio ſit culpabilis. Et ratio eſt, quia cum omni peccato mortali ſit debita pœna æterna, ſi per pęnitentiam deleatur, tollitur quidem reatus pęnæ æternæ, non tamen abſolutè, ſed conditionatè, hoc eſt ſi ſoluatur pœna temporalis, in quam æterna commutatur, quæ ſolutio debet fie-

ri

ri ingratia, ut dignificata à diuina acceptatione, æquiualeat quoad valorem pęnæ æternæ. Quòd ſi aliquis reſpuat facere talem ſolutionem, vel ſi faciat, non faciat in gratia, ſe reddit indignum beneficio illius commutationis; & ſic redeunte in priſtinum primo reatu, damnatur ad ſoluendam illam eamdem pęnam, ad quã teneretur, ſi non fuiſſet illi factum beneficium talis commutationis. Verum quidem eſt, quòd aliquando contritio eſt ita perfecta, ut diſponat ad plenam remiſſionem, etiam quoad totam pęnam, & in tali caſu quia ſolutus ad nihil tenetur prò peccatis dimiſſis, hæc numquam redeunt quoad pęnam per peccata ſequentia.

Vrgebis, ergo contritio, & confeſſio, quamuis ſufficientia ad reconciliandum Deo peccatorem, nihil illi proſunt, aduenientibus de nouo peccatis.

Nego conſequentiam, & dico, contritionem, & confeſſionem eſſe ex ſe inductiuas æternæ beatitudinis, & perconſequens liberatiuas pęnæ æternæ, ſed per accidens ratione ſuperuenientis peccati mortificatas, non poſſe aliquando præſtare ſuum effectum. Sicut enim aliquis damnatus ad furcam, ab illa à Principe liberetur, ſub conditione quòd ſubeat exilium e. g. ſi reſpuat ire in exilium, repetitur ad furcam, ac ſi talis pęna non fuiſſet illi in exilium commutata. Et ratio à

ARTICVLVS VIII.

Solvuntur argumenta contraria.

AD 1. Nego conſequentiam. Et dico, Auguſtinum eſſe exponendum de pœnis Purgatorij, correſpondentibus peccatis venialibus, vel mortalibus iam remiſſis; & ideo ait, *ut ſit plena remiſſio*, quod non poteſt verificari de infernalibus, quæ neque remittuntur, nec minuuntur alienis ſuffragijs. Præterea poſſumus illum intelligere de ſuffragijs, quæ percipiuntur à viatoribus per communicationem Sanctorum, mediantibus indulgentijs &c. quæ aliquando liberant, nè eatur in purgatorium, & aliquando ut damnentur in illo ad pœnam leuiorem, & ideo dicitur, *ut tolerabilior fiat damnatio*, nempe purgatorij.

Ad 2. Dico omne opus bonum eſſe ſatisfactorium, ſi fiat in gratia, non autem ſi fiat in peccato. Ergo quia quæſtio procedit de operibus bonis peccatorum, falſa eſt conſequentia.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ ſolum valeret de bonis viuis, ideſt factis in gratia, non autem de mortuis factis in peccato. Et ratio aſſignatur à D. Tho. in ſupplem. q. 14. ar. 4. quia malum intrinſecè, & de condigno meretur pœnam; nul-

nullum autem bonum meretur de condigno ratione ſuæ quantitatis, ſeu entitatis, ſed ſolùm ratione charitatis, in qua fit, per quam non conſideratur ut tale opus materialiter, ſed ut dignificatum per diuinam adoptionem, tamquam opus filij Dei. Opus ergo factum extra charitatem, quia non habet hanc dignificationem, ex principio adoptato in filium Dei, ideo remanet in ſua quantitate, & entitate materiali, adeòque nihil conducit ad finem ſupernaturalem, ſiue aſſecutionis gloriæ, ſiue euaſionis inferni, vel eiuſdem pœnarum remiſſionis.

Ad 1. Secundæ ſententiæ. Nego minorem, quia nulla pęna poteſt eſſe ſatisfactoria, niſi acceptetur à Deo, ut probatum eſt in 1. ar. Sed quæ luitur extra charitatem, non acceptatur à Deo. Ergo non poteſt eſſe ſatisfactoria.

Ad 2. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia offenſa facta cuicumque creaturæ, cùm ſit finita, poteſt habere ęqualem emendam, & rigoroſam ſatisfactionem, nullo modo pendentem ab acceptatione offenſi, quæ proinde non poteſt ab illo reſpui. Hoc autem non valet de offenſa Dei, non ſolùm quia eſt infinita, ſed etiam quia offendens Deum non poteſt illi ſatisfacere ex proprijs, adeòque rigoroſè, & ideo quæcumque emenda præbeatur, poteſt à Deo reſpui.

ri in gratia, ut dignificata à diuina acceptatione, æquiualeat quoad valorem pęnæ æternæ. Quòd ſi aliquis reſpuat facere talem ſolutionem, vel ſi faciat, non faciat in gratia, ſe reddit indignum beneficio illius commutationis; & ſic redeunte in priſtinum primo reatu, damnatur ad ſoluendam illam eamdem pęnam, ad quã teneretur, ſi non fuiſſet illi factum beneficium talis commutationis. Verum quidem eſt, quòd aliquando contritio eſt ita perfecta, ut diſponat ad plenam remiſſionem, etiam quoad totam pęnam, & in tali caſu quia ſolutus ad nihil tenetur prò peccatis dimiſſis, hæc numquam redeunt quoad pęnam per peccata ſequentia.

Vrgebis, ergo contritio, & confeſſio, quamuis ſufficientia ad reconciliandum Deo peccatorem, nihil illi proſunt, aduenientibus de nouo peccatis.

Nego conſequentiam, & dico, contritionem, & confeſſionem eſſe ex ſe inductiuas æternæ beatitudinis, & perconſequens liberatiuas pęnæ æternæ, ſed per accidens ratione ſuperuenientis peccati mortificatas, non poſſe aliquando præſtare ſuum effectum. Sicut enim aliquis damnatus ad furcam, ab illa à Principe liberetur, ſub conditione quòd ſubeat exilium e. g. ſi reſpuat ire in exilium, repetitur ad furcam, ac ſi talis pęna non fuiſſet illi in exilium commutata. Et ratio à

priori eſt, quia beneficium conditionatè collatum, non obtinet ſuum effectum, niſi purificata conditione. Semper tamen eſt benefica pęnitentia, quia obtinet beneficium gratioſæ commutationis pęnæ æternæ, in temporalem, ſub conditione quòd hæc ſoluatur in gratia. An autem hæc conditio ponatur etiam in ſolutione pęnæ taxatæ à ſacerdote in ſacramento, videbimus infra in alia diſputatione.

Vnde patet ſolutio quinti. Siquidem cum Deus taxat pęnam temporalem prò æterna, apponit illi conditionem, quòd exſoluatur in gratia, qua poſita, illam numquam repudiat, & qua non poſita, illam repudiat, non quia pęniteat taxæ, ſed quia non ſoluitur iuxta taxam.

Ad 5. Nego maiorem. Et dico, bona opera facta à peccatore mereri de congruo conſecutionem bonorum temporalium, & diſponere ad pęnitentiam, & gratiam obtinendam, & demum retardare ad tempus executionem diuinæ iuſtitiæ, ut docent D. Tho. 3. p. q. 89. ar. 6. ad 3. Durand. in 4. d. 15. q. 3. n. 6. & communiter alij. Ergo non ſunt ſuperflua, licèt de ſe non conducant ad vitam æternam. Hoc autem probo 1. Sicut Deus ut iuſtus Iudex, nullum malum linquit impunitum, ita nullum bonum impræmiatum. Ergo ſicut mala, quæ non poteſt punire in termino, punit in via, ita quæ bona præmiare

re nõ poteſt in patria, quia præuidet damnationem operantis, præmiat in hoc mundo. Et hæc eſt ratio, cur videamus impios proſperatos, & iuſtos afflictos, quia cùm nullus ſit adeo impius, ut nihil boni faciat, & nullus ſit adeo iuſtus, ut nihil mali faciat, ideo nè illius bona ſinat impræmiata, & huius mala impunita, hunc affligit, præmiaturus in cęlo, & illum glorificat, puniturus in inferno.

Deinde ergo valde conueniens diuinæ bonitati, ut ubi inuenit diſpoſitionem, addat perfectionem. Ergo quia bona opera peccatoris, illum diſponunt ad perfectionem naturalem, ideo Deus plerumque hanc illi tribuit: & quia hæc eadem diſponunt ad pœnitentiam, & gratiam, ideo taliter operantem ſpeciali cordis motione, vel mẽtis illuſtratione, propinquiùs Deus ad illas diſponit, ſuſpendendo ad tempus executionem ſuæ iuſtitiæ, ut tandem tractum ad pęnitentiam, conuertat, & ſibi reconciliet, ut egregiè (ut aſſolet) proſequitur D. Tho. loc. cit. concludens, *Deus recordatur bonorum, quæ quis fecit in ſtatu peccati, non ut remuneret ea in vita æterna, quæ debetur ſolis operibus viuis, ſed ut remuneret temporali remuneratione.*

ARTICVLVS IX.

An poſſit unus prò alio ſatisfacere.

VIdetur non poſſe ut contendunt Vaſq. hic q. 94. ar. 2. dub. 1. & Eſparſa q. 95. ar. 1. Primò quia ſatisfactio eſt pars intrinſeca ſacramenti, ut ſunt contritio, & confeſſ. Ergo ſicut hæ non poſſunt per alium fieri, ita illa.

2. Quia 2. ad Cor. 6. dicitur, *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque quod geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum.* Ergo nemo poteſt ſibi alieno opere ſatisfacere.

3. Pęna non exigitur à Deo, ad ſui delectationem, quaſi fruatur alieno malo, ſed ad emendationem puniti, & ad aliorum exemplum. Cùm ergo nemo emendetur per pęnam alterius, non poteſt unus prò alio illam ſubire.

4. Omne opus ſatisfactorium eſt meritorium, ut probauimus ar. 3. Sed nullus poteſt mereri prò alio. Ergo neeque ſatisfacere.

5. Si poſſet unus prò alio ſatisfacere, poſſet pænitens, abſque ulla ſolutione pęnæ, in cœlum volare, ſi ſtatim moreretur, poſtquàm amicus promiſit prò illo ſatisfacere, licèt verè non adhùc ſatisfecerit. Sed hoc eſt abſurdum, quia in tali

caſu

caſu ſola attritio cum ſacramento, tolleret omnem reatum pęnæ. Ergo hoc fieri non poteſt.

1. Concluſio, *Satisfactio, ut eſt purè pęnalis, ordinata ad ſolutionem debiti, poteſt per alium fieri; ſi tamen ſit medicinalis, in remedium peccati, non poteſt per alium fieri.* Ita Suar. diſp. 38. ſect. 9. Durand. in 4. d. 20. q. 2. n. 4. Argentinas ibid. q. 1. ar. 2. Conettus diſp. 13. ar. 5. Diana in ſum. V. *pęnitentiam acceptare*, & alij ſecuti D. Tho. in ſupplem. q. 14. ar. 2.

Probo primam partem, primò ad Galatas 6. *Alter alterius onera portate*. Ergo poteſt unus portare pondus alterius, & per tolerantiam eius ponderis, prò illo ſatisfacere. 2. Sæpe Principes acceptant ſolutionem unius prò culpa alterius. Ergo cùm Deus ſit magis miſericors, ſæpe hoc facit. 3. Omnes homines ſunt membra eiuſdem myſtici corporis, cuius Chriſtus eſt caput. Ergo ſicut unum membrum adiuvat aliud, ita poſſunt homines ſibi inuicem ſatisfacere. 4. De fide eſt, poſſe viatores ſatisfacere ſuis ſuffragijs prò animabus purgatorij. Ergo etiam unus prò alio, dùm ſunt in via. Antecedens patet ex Trid. ſeſſ. 25. c. 1. Conſequentia probatur, quia vel ſatisfactio neceſſariò dicit ſatispaſſionem perſonalem, vel non? Si primum, ergo neque poſſemus prò animabus purgatorij ſatisfacere, quod eſt erroneum.

neum. Si ſecundum, ergo ſatisfactio poteſt fieri etiam per alium. Demum quia credimus Sanctorum Communionem, ut habemus in ſymbolo. Sed hæc conſiſtit in participatione bonorum operum, in omnem noſtram ſpiritualem utilitatem, ut exponit Bellarminus in doctrina christiana. Ergo etiam prò mutua ſatisfactione, dummodò ſimus in gratia, ut docet Gonettus loc. cit. n. 61.

Probo ſecundam, Satisfactio medicinalis eſt neceſſaria per modum pharmaci, ad curandos animi morbos, ut eſt ieiuniū ad domandum ſenſum rebellantem, peregrinatio ad tollenda vitioſa commercia, eleemoſina, ad retundendam auaritiā &c. Sed pharmacum non poteſt prodeſſe, niſi ſumenti. Ergo huiuſmodi ſatisfactio debet eſſe perſonalis.

2. Concluſio, *Satisfactio ſacramentalis non poteſt per alium fieri, niſi de licentia ſacerdotis, vel taliter adimplenda ab illo imponatur*. Eſt eorumdem contra eoſdem.

Probatur, quia reus non poteſt ſibi taxare pœnam, debitam ſuis delictis, neque ſibi taxatam reſpuere, ut infra videbimus. Sed pœnitens ſe ſiſtit ut reum coram Sacerdote, gerente perſonam Iudicis. Ergo debet ab illo expectare taxationē pęnæ, eo modo ſoluendæ, quo ſibi iniungitur. Atque adeo niſi taliter imponatur, ut per alium ſoluatur, vel niſi fiat de hoc ab illo

pote-

poteſtas, non poteſt pœnitens illam per alium implere. Et ratio eſt, quia cùm ſatisfactio in voto ſit pars eſſentialis ſacramenti, per modum materiæ proximæ, ut probauimus diſp. 6. ar. 3. & materia proxima ſint actus pęnitentis, ut ibid. probauimus ar. 2. debet eſſe actus ipſius pęnitentis, quo ſe obliget ad ſatisfaciendum in re. Ergo non poteſt ſe eximere à tali obligatione, niſi facta per Iudicem poteſtate. Quòd autem id poſſit ſacerdos, probatur, quia ex impotentia pœnitentis, ſicut poteſt illi commutare ieiunium, vel peregrinationem in eleemoſinam, ita poteſt illi dare facultatem, ut alium ſubſtituat ieiunantem, vel peregrinantem, quia ſemper in tali ſubſtitutione interuenit actus pœnitentis, nempe acceptatio talis modi ſatisfaciendi, petitio talis veniæ à ſacerdote, largitio eleemoſinæ, vel precum, ut inueniat taliter exequentes, vel ſaltem acceptatio obligationis, prò compenſando beneficio, quod recipit à ſubſtitutis. Ergo quia hoc ſe habet de formali in tali ſatisfactione, & executio de materiali, ſemper ſatisfactio ſacramentalis debet eſſe formaliter ab ipſo pęnitente, aliter non eſſet pars ſacramenti, quod proinde non eſſet validum, ex defectu partis eſſentialis, ut probabitur infra.

Dices, poteſt aliquis poſt acceptatam pœnalitatem, fieri impotens ad illam ſol-

uendam. Ergo poteſt per alium illam ſoluere.

Nego conſequentiam, Primò quia per impotentiam ſuperuenientem, liberatur debitor à ſolutione pœnæ. Atque adeo ſi tenebatur perſonaliter ſoluere, ad nihil tenetur, eò quia pœnitens non tenetur, niſi ad id, quod ſibi fuit impoſitum à Iudice, eo modo quo fuit ſibi taxatum. Ergo ad aliud non tenetur. Deinde reus nihil poteſt immutare de ſua condemnatione, niſi de voluntate Iudicis expreſſa, vel præſumpta, & ſi aliter faciat, eſt temerarius contemptor ſui iudicij, ut loquitur Durandus loco cit. Sed pœnitens eſt reus condemnatus à ſacerdote ad hanc pęnam, ut hanc. Ergo debet exequi condemnationem ipſius, iuxta eius voluntatem, adeòque non poteſt ex ſe illam per alium executioni mandare. Verum de hoc infra. Hoc tamen non obſtat, quòd exemptus à pęna ob impotentiam, ex motiuo deuotionis, non poſſit per alium illam explendam curare; ſiquidem hoc non eſſet formaliter illam explere, ſed tale opus bonum procurare, quod poſſet quidem prodeſſe per modum meriti, iuxta primam concluſionem, non tamen per modum ſatisfactionis ſacramentalis, & ideo tale opus erit illi vtile ex opere operantis, non autem ex opere operato.

Ad 1. Nego conſequentiam. Diſpari-

tas

tas eſt, quia contritio ordinatur aduersùs culpam, adeòque ſpectat ad hominis diſpoſitionem, faciendo illum ex malo bonum; nullus autem per actum alterius, ex malo fit bonus. Confeſſio autem eſt actus, quo homo ſe ſubijcit clauibus, exponendo ſua crimina, & ſiſtendo ſe ut reum, quæ non poſſunt per alium fieri. Satisfactio verò ordinatur ad puram ſolutionem debiti, & ideo poteſt etiam per alium fieri.

Dices, pœnitens tenetur per ſe præſtare totam materiam ſacramenti. Ergo etiam ſatisfactionem, quæ eſt pars materiæ.

Diſtinguo antecedens, tenetur præſtare totam materiam eſſentialem, concedo: integralem, nego. Quia ergo ſatisfactio in voto eſt materia eſſentialis, ut dictum eſt diſp. 6. ar. 3. ideo illam tenetur per ſe præſtare; ſatisfactio vero in re, quia eſt ſolùm pars integralis, ideo poteſt per alium fieri. Et ratio eſt, quia hæc pendet imperatiuè, & taxatiuè ab arbitrio ſacerdotis. Ergo debet poni ſecundùm eius præſcriptum, vel per ſe, vel per alium; contritio vero, & confeſſio quia ſunt adæquatè in poteſtate pœnitentis, debent ab illo ſolo præſtari.

Vrgebis, ſatisfactio in re eſt pars integralis intrinſeca ſacramenti, ita ut ſine illa non ſit ultimatè completum. Ergo cùm nulla pars intrinſeca ſacramenti habeatur

Digitized by Google

ab alio quam à miniſtris, & ſuſcipientibus, hæc non poterit poni, niſi à pęnitente.

Nego conſequentiam, propter traditam rationem, quia videlicèt hæc non pendet adæquatè ab ipſo pęnitente. Ergo debet poni, prout taxatur à ſacerdote. Neque obſtat quòd dicatur actus pęnitentis, Primò quia quod eſt principalius in hac parte, eſt ſatisfactio in voto, quæ ſemper fit à pęnitente. Et deinde quia licèt fiat per alium, concurrit ad illam pęnitens imperatiuè ſumptibus, vel precibus, ut dictum eſt. Ergo iure dicitur quòd ipſe pęnitens per alium ſatisfaciat.

Ad 2. Nego conſequentiam. Et dico Apoſtolum eſſe exponendum cumulatiuè, & non priuatiuè, hoc eſt quòd ſinguli ſint relaturi, non ſolùm ſecundùm opera à ſe patrata elicitiuè, ſed etiam ſecundùm patrata imperatiuè; aliter mandantes non tenerentur de homicidio, quod eſt falſum.

Ad 3. Nego conſequentiam. Sicut enim poteſt aliquis iuvari precibus aliorum, ut probauimus in trac. de prædeſt. ita & ſatisfactione, præſertim cùm hæc ut eſt imperata à ſacerdote, præſupponit contritionem in pęnitente, per quam diſponitur ad emendationem vitæ, & ad gratiam ſanctificantem. Emendatur ergo pęnitens per ſatisfactionem alterius, non tamquam per formam retractatiuam peccati, ſed

ſed tamquam per ultimum complementum illius, quæ eſt ſatisfactio in voto, ut imperata à contritione. Quoad Deum dico, illum non delectari pęna, ut eſt formaliter pęna, ſed ut iuſtè impoſita eſt à ſuo vicem generente, qui eſt ſacerdos.

Ad 4. Nego conſequentiam, quæ non bene ſequitur ex præmiſſis, eò quia meritum diuidatur à ſatisfactione; & ideo ſunt quatuor termini. Dico ergo, quòd meritum ſemper ſequitur, principium operatiuum eliciti uè; atque adeo quando Petrus ſatisfacit prò Paulo, non meretur Paulo, ſed ſibi, ut probabimus ſuo loco. Neque obſtat, quòd meritum alteri applicari non poſſit, quia hoc prouenit ex diſpoſitione operantis in gratia, quæ non poteſt transferri ex uno ad aliud ſubiectum, eò quia ſemper habeat illud ordinare ad præmium beatitudinis ęternæ. Satisfactio verò quãuis requirat diſpoſitionem in operante, quia tamen non ordinatur ad præmium, ſed ad puram ſolutionem debiti, ideo poteſt alteri applicari.

Ad 5. Nego maiorem. Ad cuius probationem dico, quòd taliter moriens tamdiù maneret obligatus, & lueret pęnas in purgatorio, quoaduſque ille, qui prò ipſo ſpopondit, plenè ſatisfaceret. Illo verò ſatisfaciente in via, ad eius menſuram ſatisfactionis, alleuiaretur pęna alterius in purgatorio, quoaduſque, hac abſoluta,

& illa ceſſaret. Neque obſtat, quòd ambo ſimul paterentur; ſiquidem paſſio mortui non eſſet ſatisfactoria, ob defectum gratiæ viæ, & tamdiu duraret, quamdiù eſſet ſatis paſſio, compenſante eius pęnalitatem extenſiuam, & intenſiuam, extenſione, & intenſione ſatisfactionis alterius in via.

Dices, ſi fuiſſet poſita hæc ſatisfactio ab amico, antequàm alter moreretur, non ſubijſſet pęnas purgatorij. Ergo idem peccatum bis punitur, nempe in utroque.

Nego conſequentiam, propter rationem traditam ar. 8. & 9. Quia videlicèt cùm peccatum fuerit remiſſum, ſub conditione quòd prò illo luatur in via, & in gratia tanta pęna temporalis, illa non ſoluta, remanet reatus pęnæ æternæ. In caſu verò noſtro quia ſolutio eſt inchoata per deputationem ſoluturi, per ſummam Dei benignitatem, non redit reatus pęnæ æternæ, ſed perſeuerat reatus pęnæ temporalis, tollendus ab uno merè paſſiuè, & ab alio per paſſionem ſatisfactiuam; ac proinde prò eodem peccato remiſſo, ponitur quidem duplex paſſio, non tamen duplex ſatisfactio, quamuis etiam paſſio non ſit ſemper æqualis taxæ in ipſo mortuo, eò quia dictum ſit; illam aſſiduò minui in purgatorio ad menſuram, qua creſcit in via ſatisfactio.

DIS-

DISPVTATIO DECIMA

De Satisfactione ſacramentali.

QVæremus primò, an, & quomodo teneatur ſacerdos pœnitenti ſatisfactionem, (quæ vulgò dicitur pœnitentia) imponere, & pœnitens illam acceptare? Deinde an poſſit penitens ſatisfactionis taxam acceptatam, vel opere non implere, vel in aliam commutare? 3. An ſaltem poſſit id facere per alium ſacerdotem? 4. An poſſit expleri in ſtatu peccati mortalis? Et demum, an ſi fiat in peccato, habeat ſuum effectum, recedente fictione? Et quem effectum præſtet.

ARTICVLVS PRIMVS.

An teneatur ſacerdos imponere pœnitentiam abſoluendis?

VIdetur non teneri, ut docet Card. De Lugo diſp. 26. de pęn. ſect. 4. n. 50. quem refert, & ſequitur Diana in ſum. V. *pœn. impon.* dicens, prò venialibus, aut aliàs confeſſis, & abſolutis, poſſe ſacerdotem nullam imponere pęnitentiã. Eius fundamenta ſunt, Primò quia ſicut non peccat iudex laicus, prò leuibus culpis nullam imponens pęnam; ita neque iudex Eccleſiaſticus, in ſacramento pęnitentiæ. Probat conſequentiam, quia non proinde cenſet vitiari iudicium, ex eo quòd leuiter delinquenti, vel delicta iam condonata fatenti, nulla imponatur pęna. Et hoc confirmat auctoritate Bonifacij Octaui, qui (ut refert gloſſa in extrauag. *antiquor. de pœn. & rem.*) reprehendit confeſſarios, qui tempore iubilæi imponebant pęnitentias, ultra opera iubilæi.

2. Si eſſet ſimpliciter neceſſaria impoſitio pęnitentiæ, peccaret ſacerdos non imponens ægroto confitenti pęnitentiam mox implendam, nec poſſet illam imponere ut implendam, ſub conditione quòd conualeſcat, nam exponeret ſacramentum euidenti periculo, nè eſſet mancum, & defe-

defectuoſum. Conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens.

3. Poſſunt imponi, loco pęnitentiæ, mala omnia perpeſſa, & patienda, ut dicitur in poſtrema oratione, *quidquid boni feceris, vel mali ſuſtinueris &c.* quæ ex vitalium verborum, eleuantur, ut fiant pars intrinſeca ſacramenti. Ergo non eſt neceſſe aliam imponere pęnitentiam?

1. Concluſio, *Tenetur ſub mortali ſacerdos, prò peccatis confeſſis, imponere pœnitenti congruentem pœnitentiam.* Eſt communis, ut docent Suar. diſp. 38. ſect. 3. Vaſq. q. 94. ar. 2. dub. 1. Eſparſa q. 95. de pęn. ar. 1. Toletus in ſum. lib. 3. c. 11. n. 4. Gonet. diſp. 13. ar. 3. §. 3. &c.

Probatur 1. Ex Trid. ſeſſ. 14. c. 8. *Debent ſacerdotes, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit, prò qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & cõuenientes ſatisfactiones iniungere.* Vbi obſeruetur ly *debent*.

2. A priori, ſacerdos dùm abſoluit, gerit munus iudicis delegati à Chriſto D. Ergo non habet poteſtatem abſoluendi reum, nulla illi impoſita pęna ſatisfactoria, ſicut iudex delegatus ad permutandã mortis ſententiam cum alia temporali, non poteſt reum omninò abſoluere, ſed tenetur aliquam pęnam illi taxare, pro qualitate delicti.

3. Satisfactio in re eſt pars integralis

ſacra-

ſacramenti. Ergo cùm non poſſit ſacerdos prò arbitratu mancum facere, & imperfectum ſacramentum, tenetur illi addere ultimam partem, iniungendo pęnitenti ſatisfactionem congruentem, & ſalutarem, ut per illam Deo ſatisfaciat, & per hanc curetur à ſuis plagis.

4. Non poteſt fraudare pęnitentem augmento illo gratiæ, quod reſultat ex acceptatione, & impletione operis ſibi à ſacerdote iniuncti, ut infra videbimus. Ergo &c.

2. Concluſio, *Poteſt ſacerdos aliquando, applicare pœnitentiam ad arbitrium pęnitentis, vel per modum conſilij, & aliquando nullam etiam imponere.* Ita Suar. loc. cit. cum iiſdem ſupra relatis.

Probo primam partem, quia cùm hæc ſatisfactio ſit medicinalis, congruum eſt, ut applicetur, iuxta diſpoſitionem ſubiecti, ut ſuauiùs ab illo ſumatur, ut videmus fieri à medicis peritis, qui ut diſponant ægrotos, ad ſumenda pharmaca amara, illa proponunt eligenda ab ipſis. Ergo poteſt ita iniungi.

Probo ſecundam, quam admittunt etiã D. Tho. quod lib. 3. ar. 28. Sotus, Paludanus, Victoria, & Ledeſma, aliquando grauitas peccatorum exigit grauem pęnam, quam pęnitens cæteròqui moroſus, & delicatus omninò reſpueret, ſi imponeretur præceptiuè, cum obligatione rigo-

roſa.

roſa. Ergo quando ſacerdos iudicaret, illum faciliùs acquieturum, ſi illi proponatur per modum conſilij, repræſentando paternis verbis eius neceſſitatem, & utilitatem, expedit, ut taliter imponatur, e.g. *ſi id feceris, ſit tibi in pœnitentiam ſacramentalem, & ſi omiſeris, facias hanc*, aliam leuiorem deputando, ut videlicet diſiunctum ſit omninò præceptum, & conſilium cadat ſuper eius partem. Nam hoc modo magis promouetur bonum pęnitentis, quàm ſi ſola leuior imponatur. Ergo cùm ex alia parte perficiatur ſacramẽtum, pręcepta determinatione diſiuncti, nulla eſt ratio, cur hoc modo imponi non poſſit.

Dices, debet ſacerdos imponendo pęnitentiam, exercere ſuam iuriſdictionem. Sed impoſitio per modum conſilij, non eſt iurisditionalis. Ergo non ſatisfacit ſuo muneri.

Nego minorem, Primò quia ipſa deſignatio pęnitentiæ, eſt actus iuriſdictionalis, licèt illam non præcipiat, ut videre eſt in promulgatione iubilei. Deinde, quia licèt non præcipiat hanc partem determinatè, tamen præcipit aliam, in defectum illius, adeòque etiam illa præcipitur diſiunctiuè, ſicut præcipiebatur fœminæ purificandæ, ut ferret ſacerdoti, aut par turturum, aut duos pullos columbarum & demum quia licèt illam ſolam per modum conſilij imponeret, adhùc li-

garet,

garet, reſtringendo ad illam remiſſionem pęnæ ex opere operato, per hoc ſacramentum, & ſolueret, quatenus per adimpletionem talis pęnæ, permutatur pęna purgatorij in leuiorem viæ, ut egregiè proſequitur Suar. loco cit. Ergo adhùc exerceret actum iuriſditionalem.

Probo tertiam cum ijſdem, quia ſacerdos poteſt aliquando abſoluere pęnitentem phyſicè impotentem, ut moribundũ, vel ratione carentem, ob præcedentem cõfeſſionem, priuſquàm incideret in phrænesim, vel moraliter impotentem, citra tamen malitiam pęnitentis, tàm actualem, quàm habitualem, vel adeo contritum, ut appareat, iam plenè ſatisfeciſſe, ante ipſam confeſſionem, vel ſuſcipientem actu indulgentiam, & iubilæum. In his enim caſibus prædicti auctores, & communiter etiam alij excuſant ſacerdotem à tali obligatione, eò quia vel pęnitentia fieri non poſſit à pęnitente, vel ſupponatur facta. Ego tamen, quamuis hoc probabile iudicem, ob tàm inſignes auctoritates, tamen vix poſſum mihi fingere caſum, in quo aliqua non poſſit iniungi pęnitentia. Quæcumque enim ſupponatur impotentia, ſemper poteſt imponi aliqua breuis oratio, vel pectoris tunſio, vel actus fidei, & ſpei, ſaltem ſub conditione facienda, ſi poſſit nunc, vel ſi conualuerit. Ergo numquam excuſarem ſacerdotem, ab imponẽda

da pęnitentia, excepto caſu allato defe-ctus rationis in pęnitente poſt abſolutam, vel incæptam confeſſionem. In eo enim caſu, utpote ineptus ad acceptandam pęnitentiam, abſoluit ſacerdotem ab illa imponenda. Cæterùm quoties pęnitens poteſt illam acceptare, tenetur ſacerdos illam imponere, prò qualitate criminum, & circumſtantiarum. Et hæc eſt mea opinio tot doctiſſimorum virorum praxi cõfirmata.

Ad 1. Nego ſuppoſitum. Vel enim eſt ſermo de iudice ſupremo, vel de delegato? Si primum, nihil ad rem, quia etiam Chriſtus Dominus poteſt, abſque ulla ſatisfactione, condonare peccata. Si ſecundum, dico, quòd quantumuis minima ſit culpa, debet reum damnare, taxando pęnam proportionatam. Et ſi non taxet, erit quidem validum iudicium, ſed illicitum ex parte iudicis, qui debuerat reum damnare, prò qualitate delicti. Non cenſetur autem damnari, qui abſque ulla pęna relaxatur.

Dices, qui exponit peccata aliàs abſoluta, iam ſoluit prò illis pęnam. Ergo non debet iterum puniri.

Nego conſequentiam. Primò quia poteſt accidere, quòd prior abſolutio non fuerit valida, & ideo à timoratis ſolent repeti confeſſiones. Deinde quamuis fuerit valida, eò ipſo quòd pęnitens per illo-

rum

rum criminum confeſſionem, conſtituit ſe iterum reum, paratum ad pęnam, debet iterum damnari. Quòd ſi relaxetur abſque ulla pęna, non habetur ut reus, & ideo utpote non præbens materiam ſufficientem, non poteſt iterum abſolui. Siquidem abſolutio non poteſt tradi, niſi propter delicta. Vel ergo accipiuntur prò tribunali ſacramentali, illæ actiones ut criminoſæ, vel non? Si primum, ergo debent puniri. Si ſecundum, ergo talis abſolui non poteſt, cùm abſolutio conferri nequeat innocenti, quàm à vinculis criminum non exſolueret. Ad auctoritatem Bonifacij 8. dico, mentem illius fuiſſe, ut tempore iubilæi anni ſæcularis, imponerentur prò pœnitentia ipſa opera iubilæi, quæ ut pœnalia, poterant eſſe ſatisfactoria, non autem quòd tali tempore nulla imponeretur pœnitentia.

Ad 2. Nego maiorem, Primò quia ultima integritas ſacramenti cenſetur moraliter poſita, cum adeſt animus deliberatus illam ponendi, & intantum non ponitur, inquantum pęnitenti parato ponere, ſuperuenit phyſica impotentia, & ideo in tali caſu ſufficit bona voluntas, cætera ſupplentibus meritis Chriſti, eo modo, quo ſuppletur integritas confeſſionis incæptæ, per ſuperuenientem mortem, vel aliam phyſicam impotentiam, & ideo poteſt pęnitens abſolui. Deinde melius eſt habere

ſa-

ſacramentum inculpabiliter mancum, & eſſentialiter integrum, quàm nullum habere. Quando ergo aliud haberi non poſſit, quàm mancum, præſtat illud habere. Et ideo quamuis timeatur, quòd non poſſit perfici ſacramentum extremæ unctionis, rituale iubet, illud eſſe tradendum, quia per mortem superueniẽtem, id quod deeſt, ſuppletur à Deo. Si poſſit ergo imponi ſatisfactio ſtatim ſoluenda, melius eſt illud curandum, quia poteſt omitti, vel imponi ſub conditione quod poſſit impleri, cum ſola obligatione cadente ſupra tempus, quo impleri poſſit.

Ad 3. Nego conſequentiam. Et dico, illa verba, *quidquid boni feceris &c.* eſſe deprecatoria, ſicut ſunt alia, *merita B. Mariæ &c.* Ergo non habent vim, eleuandi hæc opera ad rationem ſacramenti. Præterea non poſſunt imponere ſatisfactionẽ, quia loquuntur in generali, & pęna debet eſſe ſpecialis, prò qualitate criminum. 3. Non debet pęna relinqui arbitrio pęnitẽtis, ſed debet ab ipſo iudice taxari, vel ſaltem de eius conſenſu. Et demum debet eſſe aliquid faciendum, vt ſententiæ, non factum prò arbitratu, alioquin non fieret ex iudicio iudicis abſoluentis. Ergo huiuſmodi opera expreſſa per talia verba, non poſſunt eſſe pęnitentia ſacramentalis, & ideo debet alia imponi.

A R-

ARTICVLVS II.

An teneatur pœnitens pœnitentiam ſibi impoſitam acceptare?

VIdetur non teneri, ut propugnant Gabriel in 4. d. 16. q. 2. ar. 3. dub. 5. Nauarrus in ſum. c. 26. n. 21. Syluester V. *Confeſſio* q. 25. Medina codice de confeſſionis, de recen. nou, quibus adduntur teneri pęnitentem aliquam pęnam acceptare, quamuis poſſit hanc, vel illam repudiare.

Fundamenta ſunt, Primò quia nemo cogitur uti ſuo priuilegio. Cùm ergo ſit priuilegium conceſſum à Chriſto D. ut poſſit pęnitens virtute clauium, permutare pęnas purgatorij in alias huius vitæ, non poteſt ad eius vſum cogi.

2. Sacramentum hoc eſt inſtitutum ad leuamen, non ad grauamen peccatorum. Ergo cùm ante illius inſtitutionem, nulla eſſet debita, vel neceſſaria ſatisfactio, neque poteſt eſſe neceſſaria, poſt eius inſtitutionem.

3. Nemo tenetur ad minuendam, vel commutandam pęnam ſibi debitam ex delicto. Ergo cùm peccatori ob peccata remiſſa, per ſacramentum, debeatur purgatorium, non tenetur alijs pęnis illud vitare;

tare; & ideo ſufficit illi, ſi ſe humiliter ſubmittat illis pęnis, quibus eſt dignus, infligendis arbitrio Dei, quem offendit.

4. Poteſt homini offenſo ſatisfieri, abſque taxa pęnæ exhibendæ iudicio alterius hominis. Ergo etiam Deo.

5. Solùm ſpectat ad ſacerdotem, ferre iudicium de ſufficientia ſatisfactionis exhibitæ à pęnitente. Ergo ad ipſum pœnitentem ſpectat ſibi ſatisfactionem taxare, illamque deinde exponere ſacerdoti, ut iudicet de eius ſufficientia.

Concluſio, *Tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam ſibi iniunctam à ſacerdote.* Hæc opinio eſt adeo communis, ut Gabriel Vaſquez hìc q. 94. ar. 2. dub. 1. dicat eſſe de fide, & Pallau. de pœn. lib. 7. n. 337. inquit ſententiam oppoſitam non eſſe probabilem, & Suarius hic diſp. 38. ſect. 7. n. 2. ait, *hæc concluſio videtur mihi hoc tempore tàm certa, ut ſine temeritate negari non poſſit, nam ferè apertè definiuit illam Tridentinum, adeo ut Victoria exiſtimauerit, eam eſſe de fide*, quod confirmat ex propria ſententia to. 1. de relig. lib. 3. c. 8. n. 7. ubi taxat opinionem oppoſitam, ut improbabilem, ac temerariam. Vnde Toletus concludit, hanc concluſionem eſſe communem poſt Tridentinum. Qui ergo velit cenſum inire auctorum illam ſequentium, legat Suarium, & Vaſquium locis citatis.

Pro-

dum, ut patet in omni foro ciuili, & criminali.

Vnde elicio tertiam rationem, obligatur ſacerdos ad imponendam pœnitentiam, ut probatum eſt in 1. ar. Ergo obligatur pœnitens ad illam acceptandam; aliter obligatio ſacerdotis non haberet obiectum, cùm ſemper obligatio ad agendum, debeat verſari circa ſubiectum obligatum ad patiendum, adeòque eſſet imprudens, & fruſtranea. 4. Probatur ex eo, quòd ſacerdos abſoluens gerit vicem iudicis, cùm hoc ſacramentum ſit per modum iudicij. Iudex autem poteſt cogere reum, non ſolum ad acceptandam, ſed etiam ad ſubeundam pœnam. Ergo cum pęnitens ſe illi ſponte ſubmiſerit ut reum, tenetur ad illam. 5. Satisfactio in voto eſt pars eſſentialis ſacramenti, ut probatum eſt diſp. 6. ar. 3. Ergo tenetur pęnitens ad illam acceptandam; aliter poſſet non habere votum ſatisfaciendi, adeòque non habere contritionem, illud eſſentialiter includentem, & ſic poſſet dari ſacramentum ſine ſua quidditate, quod eſt abſurdũ. Vnde ſequitur, renuentem pęnitentiam non poſſe abſolui, quia non eſt ad id ſufficienter diſpoſitus.

Ad 1. Nego conſequentiam. Et dico, hoc ſacramentum non eſſe priuilegium, ſed præceptum à Chriſto D., ut probauimus diſp. 4. ar. 1. & 2. Ergo impoſitio pę-

nitentiæ, eſt ſententia legitimi Iudicis, agniti, & acceptati ut talis ab ipſo pęnitente, qui proinde non eſt liber, ut obligetur, vel non obligetur ad pœnam.

Ad 2. Nego conſequentiam. Quamuis enim videatur durum, acceptare propriā pœnam, tamen quia per illam euaduntur pœnæ multò maiores ſibi debitæ, eſt alleuiativum, & beneficum, non verò grauoſum.

Ad 3. Diſtinguo antecedens, nemo tenetur ad tollendam, vel minuendam pœnam ſibi debitam ex delicto, ante ſententiam Iudicis, & propria auctoritate, concedo: poſt ſententiam Iudicis relaxantis, vel commutantis talem pęnam, nego. Sicut enim tenetur reus humiliter ſe ſubmittere diuinæ voluntati, cum promptitudine acceptandi quod ab illa infligetur, ita tenetur ſe ſubmittere voluntati Iudicis delegati, ſiuè relaxantis, ſiue commutantis talem pęnam.

Ad 4. Nego conſequentiam, Primò quia pęnitentia ut iniuncta à Sacerdote, eſt pars intrinſeca ſacramenti, adeòque eſt multò efficacior ad remiſſionem, vel diminutionem pęnæ purgatorij, quàm eſſet ſponte electa. Deinde offenſa facta homini, quia ex ſua ratione eſt finita, poteſt per rigoroſam æqualitatem emendæ cum offenſa compenſari; & ideo non eſt opus confugere ad aliquod tribunal,

ut

ut per iudicis taxam talis ſatisfactio proportionetur offenſæ, & quodammodo ad debitam ſufficientiam per publicam auctoritatem eleuetur. At offenſa Dei eſt infinita, adeòque incompenſabilis, niſi ſatisfactio ex ſe finita, dignificetur ex applicatione meritorum perſonæ infinitæ, ratione cuius fiat quodammodo infinita. Hoc autem extra ſacramentum fieri non poteſt, & ideo eſt neceſſaria taxatio ſacerdotis.

Ad 5. Nego antecedens. Eo enim ipſo quòd auferatur à ſacerdote, poteſtas damnandi ad debitam ſatisfactionem, auferetur etiam auctoritas iudicandi. Non ergo debet ſolùm iudicare de ſufficientia pęnæ, ſed etiam illam imponere, per actum iudicialem.

ARTICVLVS III.

An poſſit pœnitens acceptatam pœnam non implere, ſaltem quoad partem?

VIdetur poſſe, ut contendunt Nauarrus, Caietanus, & Bonaccina. Siquidem ille loc. ſupra cit. ait, poſſe pęnitentem reſpuere totam pęnam, illamque ſibi ſeruare luendam in purgatorio. Vndet infert, quòd ſicut non tenetur illam acceptare, ita non tenetur ad eius ſolutionem, quamuis illam acceptauerit, in

 gra-

gratiam Sacerdotis. Caietanus tom. 1. opuſc. trac. 6. q. 2. ad 2. docet, omiſſionem totius pęnæ impoſitæ, & acceptatæ, non eſſe mortalem, niſi ratione contemptus. Eius fundamentum eſt, quia hæc omiſſio neque eſſet contra iuſtitiam, quæ poſſet illam compenſare in purgatorio: neque contra charitatem, quia præciſo contemptu, poſſet cohoneſtari: neque contra ſacramentum, quia adhùc eſſet validum, & integrum. Ergo ex nullo capite eſſet læthaliter peccaminoſa. Bonaccina diſp. 5. de pęn. 6. q. 5. ſect. 3. p. 4. n. 8. ait, poſſe pęnitentem abſolui ab obligatione ſoluendi pęnitentiam iniunctam, licèt grauem, ratione indulgentiæ, vel iubilęi, vel aliarum ſatisfactionum ſponte factarum. Et hanc opinionem putat probabilem Diana in ſum. V. *pœn. impl.* n. 15. dummodò ſit ſermo de pęnitentia non præſeruatiua: & n. 17. ait, abſque mortali poſſe omitti quamlibet pęnitentiam, etiam grauem impoſitam prò venialibus, ſeu mortalibus aliàs confeſſis, & citat prò ſe Layman lib. 5. trac. 6. c. 15. n. 7. Eius fundamentum eſt, quia putat durum, dari obligationem grauem, ſatisfaciendi prò culpa leui, vel aliàs dimiſſa.

Concluſio, *Pænitens tenetur ſub mortali, adimplere pœnitentiam, ſiue grauem, ſiue leuem, quamuis fuerit impoſita prò venia-*

nia-

nialibus, vel peccatis aliàs dimittis.

Probo primam partem de graui (quam tenent expreſsè Suar. hic diſp. 38. ſect. 7. n. 4. Vaſq. q. 94. ar. 2. dub. 1. Gonettus diſp. 13. ar. 3. §. 3. n. 46. Eſparſa q. 95. ar. 3. Durand-Turrianus, Riccardus, & alij) quia obligatio adimplendi pęnitentiam, ſequitur neceſſariò ex obligatione illam acceptandi; alioquin eſſet acceptatio ficta, quod pugnat cum contritione, neceſſaria ad ſacramentum. Ergo ſicut acceptatio obligat ſub mortali, ita & adimpletio.

Probo ſecundam de leui, (aduersùs Suarium loco cit. alioſque ſatis communiter, docentes, pęnitentiam leuem ob paruitatem materiæ, obligare ſolùm ſub veniali.) Primò quia obligatio ſatisfaciendi, ex vi ſacramenti terminatur ad ſatisfactionem quoad ſubſtantiam, & non quoad modum leuitatis, vel prauitatis. Ergo ſemper eſt grauis, de quacumque pęnalitate, ſiue leui, ſiue graui. Conſequentia eſt euidens, quia inter ponere, & non ponere ſatisfactionem, non datur medium. Ergo in eius poſitione ſecundum totum, prout opponitur non poſitioni, non poteſt dari paruitas materiæ, ſicut datur in poſitione eius partium. Antecedens probatur primò, ad illud terminatur obligatio ſacramenti, quod eſt determinatè neceſſarium, ad illud ultimò implen-

dum, & perficiendum. Non eſt autem determinatè neceſſarium, ad ultimatè perficiendum hoc ſacramentum, ponere hanc ſatisfactionem, ut hanc, hoc eſt ut leuem, ſeu grauem, ſed aliquam diſiunctiuè, videlicèt hanc, vel illam. Ergo obligatio non cadit directè, & propriè, niſi ad ſatisfactionem ut ſic, ſeu quoad ſubſtantiam, & quodammodo ſecundariò, & indirectè ad eius modum. Deinde, non poteſt eſſe obligatio determinata ad illud, quod relinquitur arbitrio cauſæ liberæ, & indeterminatæ. Sed modus ſatisfactionis ſecundùm leuitatem, vel grauitatem relinquitur arbitrio ſacerdotis, ad quem ſpectat illius qualitatem, & quantitatem taxare. Ergo ex vi ſacramenti, ad eius modum non datur obligatio determinata, ſed ſolùm ex vi præcepti, conſurgentis ex iudicio, & ſententia ſacerdotis. Tum ſic, obligatio perficiendi ſacramentum eſt grauis, & rigoroſa, utpote quæ quantificatur per ipſum ſacramentum; obligatio verò adimplendi præceptum ſacerdotis, quia quantificatur per obiectum, eſt grauis, vel leuis, pròut obiectum eſt graue, vel leue. Ergo illa ſemper obligat ſub mortali, hæc verò modò ſub mortali, & modo ſub veniali, pròut admittit, vel non admittit paruitatem materiæ.

Vnde ſequitur, quòd ſemper teneatur pœnitens ſub mortali, adimplere penitentiam

tiam iniunctam; peccare tamen venialiter, ſi deficiat in eius modo. E. g. ſi alicui imponatur, ut recitet genuflexus, coram Sanctiſſimo, in templo ſalutationem angelicam, peccat mortaliter, ſi illam omittat; ſi verò recitet extra templum, ſeu ſtans, vel ſedens, peccat ſolùm venialiter, dummodò id non faciat in contemptum, quia tunc etiam in omiſſione modi, ratione contemptus, peccat mortaliter.

2. Pœnalitas impoſita, vel conſideratur ſecundum ſe, vel ut eſt pars ſacramenti? Si primum, ergo omnis pœnitentia eſſet leuis, quia nulla poteſt ad æqualitatem compenſare diuinam offenſam, & per conſequens omnis pęnitentia poſſet omitti. Quid enim eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, præ magnitudine pęnæ, quam peccatis meremur? Si ſecundum, ergo nulla pęnitentia eſt leuis, quia ut pars intrinſeca ſacramenti, per illud eleuatur, ad hoc ut poſſit eſſe ſatisfactoria prò infinita offenſa; & per conſequens abſque graui peccato, nulla poteſt omitti. Sed ut iniuncta à ſacerdote, conſideratur ut pars ſacramenti. Ergo obligat ſub læthali.

3. Si ad implendam pęnam leuem, non daretur obligatio grauis, neque daretur, ad illam acceptandam in pęnitente, & ad illam imponendam in ſacerdote, quod vidimus eſſe falſum. Ergo ad quamcumque implendam datur obligatio grauis.

Probo tertiam, quia undecumque proueniat impoſitio pęnitentiæ, ſemper peccata ſe habent de materiali, & non de formali, in ordine ad eius obligationem. Ergo illa ſemper eſt grauis, ſicut ſemper eſt grauis obligatio ſatisfaciendi voto, quamuis fiat ex leui motiuo. Ergo pœnitentia impoſita pro venialibus, vel prò dimiſſis, obligat ſub mortali.

Vnde patet reſponſio ad fundamentum Nauarri.

Ad fundamentum Caietani nego conſequentiam. Et dico, omiſſionem pœnitentiæ, etiam citra contemptum, eſſe læthalem, quia eſt contra iuſtitiam, exigentem, ut offenſa facta Deo reparetur eo modo, quo ab illo præſcribitur. Ergo quia præſcribitur modus, illam compenſandi per ſatisfactionem ſacramentalem, tenetur ex iuſtitia peccator taliter compenſare. Præterquamquòd non video, quomodo hæc omiſſio poſſet cohoneſtari. Nam vel hæc cohoneſtatio proueniret ex impotentia, & illa poſita, ad nihil pęnitens teneretur. Vel ex alio capite, & numquam poſſet pęnitens eximi ab eius obligatione, quæ ſemper durat, durante potentia ad illam. Immò puto, quòd ſi non poſſit pœnitens ſoluere pœnam impoſitam, & poſſit aliam, tenetur petere commutationem in illam, ut infra videbimus.

Ad

Ad fundamentum Bonaccinæ reſpondeo, grauitatem obligationis non eſſe deſumendam ex grauitate motiui, ut docet Pallau. de pœn. lib. 7. n. 337. ſed ex ſola grauitate operis faciundi. Siquidem de ratione cuiuſcumque præcepti eſt, ut grauiter obliget ad grauia, & leuiter ad leuia, accipiendo prò menſura obligationis quantitatem operis præcepti, & non eius motivum formale. Quia ergo perficere ſacramentum, ad remiſſionem, & ſatisfactionem diuinæ offenſæ, eſt res grauiſſima, ideo quamuis debeat fieri ob ſola venialia, vel mortalia dimiſſa, debet grauiter obligare, ad impletionem pęnæ, ut eius partem. Neque obſtat, quòd peccata fuerint aliàs dimiſſa; nam quatenus cadunt ſub novum iudicium, ſunt capacia nouæ ſatisfactionis, ſicut ſunt capacia nouæ abſolutionis; & ideo pœnitens per illa iterum conſtituitur damnandus ad pœnam, quamuis prò huiuſmodi peccatis debeant taxari pęnæ leuiores. Si tamen fiat confeſſio tempore Iubilæi, poterunt prò pęna taxari opera Iubilæi, quod non eximit Sacerdotes ab obligatione imponendi pœnitentiam, ut dictum fuit.

Dices, durum eſt, omiſſionem unius ſalutationis angelicæ, impoſitæ prò penitentia, eſſe mortalem. Ergo eſt venialis.

Nego antecedens. Immò eſt multò durius eximere talem omiſſionem à mortali.

quanto enim eſt leuior mulcta, tantò facilius fit, tantòque maiorem oſtendit contemptum eius omiſſio, & peruicaciam pęnitentis. Contra quem inſurgens Durandus in 4. d. 20. q. 1. n. 6. grauiſſimis verbis ait, *ſi in foro contentioſo, non obediens ſententiæ Iudicis, reputatur, & punitur, tamquam contumax, quantò magis in foro pœnitentiæ, in quo agitur cauſa ſalutis, ſi recipiens pœnitentiam ſibi iniunctam, prò ſatisfactione peccatorum, contemnat eam facere, ſola temeritate ductus, contumax debet reputari, & contemptor eccleſiaſtici ſacramenti, quod non poteſt eſſe, ſine peccato mortali?* Ergo leuitas pœnæ omiſſæ non excuſat omittentem à mortali, quia vel omiſſio eſt culpabilis, & eſt temeraria, vel inculpabilis, & neque eſt venialis, ſicut non eſſet omiſſio pœnæ grauis.

Vrgebis, ergo etiam omiſſio unius exiguæ partis pœnitentiæ, erit læthalis. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia pars exigua ſpectat ad eius integritatem, & nō ad eſſentiam pœnalitatis. Ergo eius omiſſio non poteſt eſſe læthalis. Sicut enim potuiſſet non imponi pœnitentia, ſecundùm hanc partem, retenta impoſitione pœnalitatis quoad ſubſtantiam, ita citra contemptum, poteſt fieri eius ſolutio quoad ſubſtantiam, illa omiſſa. Quòd ſi pars omiſſa ſit notabilis, quia ſpectat ad pœnæ eſſentiam, eius omiſſio eſt læthalis, ut docent

cent Suar. diſp. 38. ſect. 7. nu. 5. Sancius diſp. 14. n. 14. Diana, & plerique theologorum. Sicut enim in obiecto aliarum obligationum admittitur paruitas materiæ, excuſans à mortali, ita poteſt admitti in obiecto obligationis ſatisfactionis ſacramentalis.

Dices demum, ſi Petrus debeat Paulo tres ſolidos, & non ſoluat, quamuis totum omittat debitum, non peccat grauiter, contra iuſtitiam. Ergo neque omittens totam pœnam leuiſſimam.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia obligatio iuſtitię commutatiuę, quia tendit ad æqualitatem, ſecundùm proportionem arithmeticam, attendit ſolùm quantitatem rerum commutabilium, ut diximus in trac. de Deo diſp. 18. art. 5., & ideo ſi res commutabiles ſint in exigua quantitate, quia paruam inducunt inæqualitatem, non poſſunt grauiter obligare ad ſolutionem, eò quia ſicut ſolutæ, non ponunt recipientem in ſtatu notabiliter meliore, ita non ſolutæ, non ponunt in ſtatu notabiliter deteriore. Obligatio verò pœnitentiæ ſacramentalis, quia tendit ad compenſationem diuinæ offenſæ, & ad commutandam pęnam æternam cum temporali, non reſpicit quantitatem materialem pœnalitatis, ſed in illa rationem conſtitutionis ſacramenti, per quod fit talis compenſatio, quæ cùm ſit æqualiter in-

parua, & in magna, ideo ad utramque obligat æqualiter; & quia illa poſita, ponitur in ſtatu notabiliter, & abſque ulla comparatione meliori, quàm ſit, illa non poſita, ideo eſt ſemper obligatio grauis.

ARTICVLVS IV.

An poſſit pœnitens ex ſe pœnitentiam ſibi impoſitam, in aliam commutare?

VIdetur poſſe, ut opinatur Remigius (quem refert, & ſequitur Diana in ſum. V. *pœn. comm* n. 14.) dicens, poſſe pœnitentem ex ſe pęnitentiam ſibi impoſitam commutare in aliam meliorem, & etiam æqualem, & prò hac ſententia refert etiam Cæleſtinum tract. 1. c. 24. n. 8. Eorum fundamenta ſunt, Primò quia ſi pęnitens propoſuiſſet illam confeſſario, utiq; contentus fuiſſet. Ergo in tali commutatione videtur uti epicheia. 2. Quia ſicut poteſt votum in melius commutare, ita & pęnitentiam. 3. Quia ſic faciendo, pęnitentiam, non omittit, ſed implet exſuperanter.

Concluſio, *Nullus poteſt auctoritate propria commutare penitentiam ſibi impoſitam, etiam in melius*. Ita Sanchez in ſum. to. 1. lib. 4. c. 11. n. 36. Gonet. diſp. 13. ar. 3. §. 3. n. 46. Eſparſa q. 95. ar. 6. [illegible] de pęn. lib. 7. n. 337. Turrianus

& ferè omnes alij.

Probatur primò, quia pęnitentia ſacramentalis habet rationem pęnæ, taxatæ per ſententiam Iudicis, pænitenti ut reo. Sed reus non poteſt ſibi commutare pœnam, abſque conſenſu Iudicis; hoc enim eſſet ſe ipſum iudicare, & ſic eſſet reus, & iudex. Ergo pœnitens non poteſt ſibi pœnitentiam impoſitam commutare, ſed debet ſtare iudicio ſacerdotis, eiuſque pęnam implere. 2. Quia pœnitentia ſacramentalis, ut opus præceptum ſubdito, exigit obedientiam à iudicato. Non eſt autem obediens, qui operatur ſuo iudicio, & voluntate. Ergo cùm pęnitens ſit reus iudicatus, non poteſt ſuam pęnam commutare. 3. Quidquid aliud faciat, quia non prouenit ex iudicio clauium, non poteſt habere rationem ſatisfactionis ſacramentalis. Ergò non poteſt eſſe pars integralis illius.

Ad 1. Nego conſequentiam. Et dico, epicheiam ſolùm admitti, quando non apparet voluntas ſuperioris. In caſu verò noſtro, non ſolùm iudex per ſententiam definitiuam explicuit ſuam voluntatem, ſed etiam pęnitens illam agnouit, cum pęnam ab illo ſibi taxatam acceptauit. Ergo non remanet locus epicheiæ.

Ad 2. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia votum liberè fit ab ipſo vouente, & ideo non eſt opus ab alio præ-

ceptum. Sicut ergo potuit liberè hoc vouere, ita ſpectat ad ipſum ſolum, ſuam intentionem interpretari, ipſumque opus voto obligatum in melius permutare. Pęnitentia verò ſacramentalis, quia eſt opus ab alio præceptum, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad modum, cadit ſub liberam electionem pęnitentis, qui ut reus, & ſubditus, tenetur obedire præcipienti, eo modo, quo fuit ſibi præceptum manifeſtatum.

Ad 3. Nego antecedens. Quod enim taliter præcipitur, ſi aliter fiat, non impletur. Quis enim dicat, impleri præceptum ieiunandi, ſi fiant eleemoſinæ? Quamuis ergo opus præceptum videatur materialiter meliorari, ſi mutetur in melius; tamen ut præceptum deterioratur; quia ſic commutatum, recedit à ratione præcepti, eò quia non conformetur voluntati præcipientis. Et ideo in caſu noſtro non poteſt vt pars ſacramenti, ex opere operato quidquam operari.

ARTICVLVS V.

An ſaltem poſſit per eumdem confeſſarium, & per alium, etiam extra ſacramentum commutari?

VIdetur 1. Neque per eumdem confeſſarium poſſe pęnitentiam commuta-

mutari. Primò quia Iudex latam ſententiam, ſicut non poteſt reuocare, ita neque corrigere, & limitare. Sed commutatio pęnæ, eſt correctio, vel limitatio ſententię prolatæ in pęnitentem. Ergo non poteſt fieri ab eodem iudice. 2. Acceptata pęna à reo, iam cauſa tranſijt in rem iudicatam. Sed in hanc non poteſt Iudex ſe intromittere. Ergo neque poteſt illam augere, minuere, vel commutare.

Videtur 2. Neque poſſe ab alio commutari 1. quia Iudex non poteſt ferre ſententiam, incognita cauſa. Sed cauſa huius pęnæ ab alio impoſitæ, non eſt illi nota. Ergo non poteſt quidquam de illa iudicare. 2. Reuocare, vel limitare iudicium ab alio factum, eſt illi iniurioſum, ac ſi errauerit in iudicando. Sed mutare pęnam taxatam, eſt reuocare, vel ſaltem corrigere, & limitare iudicium alterius. Ergo ut illi iniurioſum, non poteſt fieri ab alio æquali.

Videtur 3. Ex oppoſito, poſſe fieri huiuſmodi commutationem à Superiori, etiam extra ſacramentum. Primò quia ſuperior habet poteſtatem in inferiorem. Ergo ſine virtute clauium, ratione iuriſdictionis in confeſſarium, poteſt eius ſententiam corrigere, & limitare. 2. Qui poteſt indulgentiam elarigiri, poteſt omnem pęnitentiam alteri impoſitam tollere. Ergo multò magis in aliam commutare.

1. Con-

1. Concluſio, *Nullus confeſſarius poteſt penitentiam ab alio impoſitam commutare, niſi habita notitia peccatorum, prò quibus fuit impoſita*. Ita Suar. diſp. 38. ſect. 10. n. 5 Ioſep. Auguſtinus in ſum. de pen. n. 43. Eſparſa q. 95. ar. 6. Pallau. lib. 7. c. ult. n. 338. alijque quamplurimi, aduerſùs Toletum in ſum. lib. 3. c. 11. n. 5. in fine, & Valerum V. *iuriſdictio*, diffic. 1. n. 7. quam refert, & ſequitur Diana in ſum. V. Pen. *immutare* n. 12.

Probatur 1. Nullus Iudex poteſt proferre ſententiam iudicialiter, niſi cognita cauſa, ſaltem ſecundùm generalia. Sed qui permutat pęnam reo taxatam ab alio Iudice, profert iudicialiter ſententiam. Ergo debet priùs cauſam cognoſcere. 2. Ad permutandam pęnam, requiritur auctoritas, & iuriſdictio. Sed hæ non poſſunt exerceri, niſi ſecundum acta, & probata. Ergo requiritur cognitio cauſæ. 3. Non minùs requiritur ad permutandam pęnam reo taxatam, quàm ad illam taxandam. Sed ad illam primò taxandam, requiritur cognitio cauſæ. Ergo etiam ad illam commutandam. 4. Confeſſarius cum neſcientia cauſæ, perinde ſe habet ad pęnitentes, ac quilibet laicus, eò quia illi non fiant eius ſubditi, niſi per ſpontaneam confeſſionem ſuorum criminum, quæ clauibus exponunt. Ergo ſicut laici nullo modo poſſunt huiuſmodi pęnas ſacramentales

tales tollere, vel mutare, ita neque confeſſarij, incognita cauſa, & ſi faciant, grauiter peccant.

Dices cum Diana loc. cit. Magnum eſſet onus, imponere pęnitentibus, ut repetant confeſſiones, ad pęnitentias commutandas, cùm poſſit ſacerdos ex eorum diſpoſitione præſenti, eorum cauſam iudicare. Ergo non eſt opus repetere confeſſionem, præſertim cùm praxis ſit contraria.

Nego antecedens. Et dico, non eſſe onus, quod eſt debitum, & neceſſarium, & ſi cognoſcatur ut onus, euitetur à cognoſcente, permanendo in primo iudicio. Ad illud de praxi, dico 1. non totum illud quod fit, poſſe fieri, cùm non omnes ſciant ſuas obligationes. Deinde nego ſuppoſitum, cùm viri prudentes, & docti faciant oppoſitum. Multò minùs valet, quòd ex diſpoſitione præſenti, poſſit cauſa cognoſci; quomodo enim ex eo quòd Petrus nunc ſit ita diſpoſitus, poteſt argui, quòd hæc peccata patrauerit? Profectò hoc eſſet diuinari. Immò neque ex quantitate materiali pęnæ, poteſt hoc argui, cùm plerumque prò delictis grauiſſimus imponantur mitiores pęnæ. Ergo non poteſt cauſa cognoſci, niſi per rei confeſſionem.

2. Concluſio, *Neque ipſe ſacerdos, qui impoſuit, poteſt pænitentiam commutare, niſi criminum recordetur, vel illa cognoſcat per nouam confeſſionem.* Eſt eorumdem.

Pro-

Probatur, quia hic niſi retineat notitiam cauſæ, vel illam renouet, ſe habet ut novus Iudex. Ergo ſicut hic ut primò iudicet, debet cauſam cognoſcere, ita & ille ut iterum iudicet. Quòd ſi retineat notitiam cauſæ, poteſt ex prudenti motiuo pęnam commutare, etiam poſt multum tempus, ut docet Lugo diſp. 25. ſect. 6. n. 112.

3. Cooclusio, *Nullus poteſt extra ſacramentum, ſacramentales pœnitentias commutare*. Ita Suar. diſp. 38. ſect. 10. n. 8. cum iiſdem ut ſupra, aduersùs Victoriam, Ledeſmam, & Nauarrum, qui tenent oppoſitum, unà cum Diana loc. cit.

Probatur 1. commutatio pęnæ debet fieri à Iudice competenti, habente iuriſdictionem, & auctoritatem ſupra reum talis pęnæ. Sed nullus ſacerdos, extra ſacramentum, habet iuriſdictionem, & auctoritatem ſoluendi, & ligandi à peccatis, eorumque pęnis ſacramentalibus, niſi virtute clauium. Ergo cùm clauium virtus reſtringatur ad ſacramentum, extra illud nullus poteſt ligare, vel ſoluere à peccatis, eorumque pęnis ſacramentalibus. Deinde, quia ſicut ſacerdos, extra hoc forum, non poteſt imponere pęnitentiam prò peccatis, ita nec illam ab alio impoſitam commutare, cùm ad utrumque eadem auctoritas requiratur. 3. Commutatio pęnæ, non poteſt fieri, niſi auferatur prima, & ponatur

tur alia. Ergo cùm extra ſacramentum non poſſit imponi pęna, neque poteſt impoſita tolli, adeòque nec fieri illius commutatio. Vnum tantum excipio caſum cum Suario ibid. nempe ſi ſacerdos (ut eſt Pontifex, vel ab eo delegatus tempore iubilæi) habeat facultatem, concedendi indulgentias, ad remittendas pęnas peccatorum; nam hic poterit, etiam extra ſacramentum, permutare pęnitentias in opera iniuncta, ad lucrandas indulgentias, quamuis non deſint qui hoc negent, dicentes, ultimatam, & definitiuam ſententiam, à nullo æquali mutari poſſe. Cùm ergo omnes ſacerdotes utantur poteſtate, accepta à Chriſto, & ut eius miniſtri ad ſoluendum, & ligandum, in hoc omnes ſunt æquales. Vtraque ſententia eſt probabilis.

4. Concluſio, *Poteſt ſacerdos, intra ſacramentum, commutare pœnitentiam impoſitam prò reſeruatis, quamuis ipſe non habeat facultatem, abſoluendi à reſeruatis.* Ita Vaſq. diſp. 94. ar. 2. dub. 3. n. 9. quem ſequitur Diana loc. cit. n. 13.

Probatur, quia ſicut peccata per abſolutionem factam ab habente poteſtatem, non remanent reſeruata, ita nec pęnitentia. Ergo ſicut poteſt Sacerdos non habens facultatem ad reſeruata, illa iterum abſoluere, ſi clauibus exponantur, ita poteſt eorum pęnitentiam commutare, quia perinde ſe habent, ac ſi non fuerint reſeruata.

ta. Quòd ſi pęnitentia ſit medicinalis, tunc puto, illam commutari non poſſe, niſi ab illo, qui impoſuit. Et ratio eſt, quia cùm reſeruari non ſoleant, niſi crimina grauiora, non debent abſolui, niſi impoſitis pęnis grauioribus, ut in poſterum euitentur. Si ergo fuerit impoſita aliqua pęna, ut pharmacum ad illa præcauenda, quæ non acceptata à pęnitente, non fuiſſet abſolutus, non poteſt ab alio petere eius commutationem, in aliam non medicinalem, quia hoc eſſet contra intentionem iudicis, à quo fuit abſolutus.

Ad 1. primæ ſententiæ Nego minorem. Cùm enim iudicium ſacramentale ſit moraliter penſitandum, videtur ſpectare ad idem iudicium, quòd pęnitens, poſt breue tempus, redeat ad ſacerdotem, à quo fuit abſolutus, ut datam ſibi commutet penitentiam. Ergo hæc commutatio pęnę non corrigit, ſeu limitat iudicium latum, ſed eſt moraliter eius complementum, ſicut fuit prima taxatio pęnæ, in maius bonum pęnitentis, ut docent Soto d. 20. q. 2. ar. 3. & Suar. loc. cit. n. 3. Ad 2. Diſtinguo minorem, non poteſt ſe intromittere quoad eſſentialia iudicij lati, concedo: quoad integralia, & accidentalia, nego. Sicut enim ſi pęnitens fuiſſet oblitus pęnitentiæ, & ſacerdos eorum peccata recordaretur, poſſet, abſque noua confeſſione, aliam imponere, ita & impoſitam commu-

tare

tare, eò quia hæc non varient iudicium eſſentialiter, quod iam habuit ſuum effectum, independenter ab executione pęnæ, ut docet Vaſq. diſp. 94. ar. 2. dub. 4. n. 2.

Ad 1. ſecundæ Nego minorem, cùm ex dictis conſtet, hanc commutationem ab alio fieri non poſſe, niſi repetita confeſſione. Ad 2. Nego minorem, Primò quia hoc non fit per modum appellationis, ſed per modum noui iudicij, & adæquatè in bonum pęnitentis, qui habet ius peccata abſoluta, iterum abſoluenda confiteri alteri iudici æquali; nec prior iudex per antceſſionem iudicij, acquiſiuit aliquam maiorem iuriſdictionem in pęnitentem, quam alter non habeat.

Ad 1. tertiæ Nego antecedens, cùm nullus ſacerdos in foro pęnitentiæ ſit alteri ſubditus, & ſint omnes æquales. Ad 2. Concedo conſequentiam, quæ non eſt cōtra concluſionem, cùm in 3. concl. excæpetimus, in ſententia probabili, hunc caſum.

ARTICVLVS VI.

An pęnitentia debeat expleri in ſtatu gratiæ? Et an poſſit imponi quælibet pœnitentia?

VIdetur 1. pęnitentia debere expleri in gratia, quia dictum eſt diſp. 9. art.

art. 1. ſatisfactionem non eſſe Deo acceptam, niſi ſit charitate formata. Sed pænitentia eſt ſatisfactio. Ergo par ratio.

2. Videtur ex una parte quòd omne opus meritorium poſſit imponi in pęnitentiam. Cùm enim pęnitentia debeat eſſe opus ſatisfactorium, & dictum fuerit, diſp. 9. ar. 3. omne opus meritorium eſſe ſatisfactorium, nullum eſt excludendum. Ex alia videtur oppoſitum, primò quia etiam actus coniugalis, utpote ſacramentalis, eſt meritorius, & aliquando à Deo præceptus, ut Adæ, & Abrahæ. Deinde oratio eſt meritoria, comeſtio, & ſomnus, & aliæ huiuſmodi actiones de ſe delectabiles, factæ ob finem obediendi Deo illas præcipienti, ad cuius gloriam ordinantur, quæ tamen non poſſunt eſſe ſatisfactiones ſacramentales, quæ cùm imponantur in vindictam ſcelerum, debent eſſe pęnales. Ergo non omne opus meritorium poteſt cadere in pænitentiam.

1. Concluſio, *Qui adimplet pęnitentiam in peccato mortali, non peccat, & ſatisfacit ſuæ obligationi, non tamen conſequitur ſuum effectum.* Ita Suarius diſp. 38. ſect. 8. n. 1. ubi ait, hanc eſſe opinionem communem, quam ſequuntur Vaſquez q. 94. ar. 2. dub. 5. Eſparſa, Toletus, Henriquez, Diana, Gonettus &c.

Probatur prima pars, quia ſi pęnitens exiſtens in peccato peccaret, faciẽdo opus

iniun-

iniunctum à confeſſario, peccaret etiam audiendo ſacrum in die feſto, & ieiuniã-do in quadrageſima, ut impleat opera præcepta ab Eccleſia, quod eſt abſurdum. Probatur ſecunda, quia iudex ſacramentalis, taxando pęnam, reſpicit ſolam qualitatem, & ſubſtantiam operis, ſecundùm proportionem, quam habet cum culpa, non autem eius modum, ſeu qualitatem dignificatiuam rei, cum illud exequetur. Ergo quomodocumq; ſit diſpoſitus reus, faciendo quòd ſibi iuſſum eſt, ſatisfacit ſuæ obligationi, & ultimò integrat ſacramentum. Sicut enim in executione aliorum ſacramentorum, & præceptorum, ſufficit ſubſtantia operis, ita & in hoc. Probatur tertia, quia quodcumque opus præſtitum ab inimico Dei eſt mortuum, Ergo non poteſt conferre, ad inducendam remiſſionem amicabilem, pęnæ debitæ antecedentibus culpis. An autem ſaltem illum conſequatur, recedente fictione, eſt res valdè incerta, quam examinabimus ar. ſeq.

2. Concluſio, *Omnis pænitentia imponenda à confeſſario debet eſſe, vel formaliter, vel virtualiter reducibilis ad orationem, vel ieiunium, vel eleemoſinam.* Ita D. Tho. in ſuppl. q. 15. ar. 1. Dur. in 4. d. 15. q. 5. Argentinas ibid. q. 1. ar. 3.

Probatur, hæc penitentia debet eſſe compenſatio facta Deo prò offenſa, quæ

non

non poteſt fieri, niſi per opera pęnalia; quamuis poſſint alleuiari ex promptitudine voluntatis, ut probauimus diſp. 9. ar. 3. Ergo cum nullum pęnale poſſit eſſe taliter compenſativum, præter hæc, debet imponi unum ex his. Antecedens admittitur ab omnibus, & fuit probatum loco citato. Conſequentia probatur, per compenſationem reponitur æqualitas, auferendo ab iniuſtè habente, & addendo iniuſtè depauperato. Sed peccator nihil intrinſecum Deo aufert, ſed ſolùm extrinſeca, nempe cultum, & obedientiam, quæ ſpectant ad Deum ſolùm obiectiuè. Ergo tenetur illa reſtituere. Quia tamen abſtulit, vel augendo bona fortunæ, vel bona corporis, vel animæ, ut dicitur Io. 1. *Omne, quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, ideo debet ſatisfacere per ieiunium, quod opponitur concupiſcentiæ carnis; vel per eleemoſinam, quæ opponitur concupiſcentiæ oculorum, vel per orationem, quæ opponitur ſuperbiæ vitæ, humiliando animam Deo. Omnes autem aliæ pęnalitates reducuntur ad has, quia vel ſunt exercitationes ſpirituales, per quas homo ordinatur ad Deum, & reducuntur ad orationem; vel caſtigationes corporales, per quas homo ordinatur ad ſe ipſum, & reducuntur ad ieiunium; vel aliorum ſubuentiones, per quas ordinatur

natur ad proximum, & reducũtur ad eleemoſinam.

3. Concluſio, *Poteſt aliquando imponi prò pœnitentia opus aliunde præceptum.* Ita Diana in ſum. V. *pæn. imponere,* Suar. diſp. 38. ſect. 6. n. 5. Nauar. in c. 1. de pœn. dub. 6. c. 40. & alij.

Probatur, omne opus ſatisfactorium poteſt eleuari à ſacerdote, ut fiat ſatisfactio ſacramentalis. Sed opus aliunde præceptum poteſt eſſe ſatisfactorium. Ergo poteſt cadere in pęnitentiam. Immò Suar. loc. cit. docet, aliquando hoc expedire, propter hominum fragilitatem. Regulariter autem, quando id non explicat ſacerdos, propter fragilitatem pœnitentis, pœnitentia debet intelligi prò opere non præcepto. Vnde in tali caſu non poſſet pęnitens explere pœnitentiam per opus præceptum, ut docent Toletus in ſum. lib. 3. c. 11. n. 7. Caiet. V. *Satiſfactio,* & communiter alij, quamuis Angelus V. *Feriæ* §. 46. Adrianus q. 1. de ſatisfact. & Medina tract. 2. q. 48. doceant, poſſe regulariter pœnitentiam impleri per exercitium operis præcepti, ut eſſet recitatio ſeptem pſalmorum, quando aliquis die feſto intereſt ſacro. Et rationem afferunt, quia verè pęnitens in tali caſu adimpleret opus impoſitum, non incompoſſibile cum alio; quã rationem approbat ut ſufficientem Suar. loco citato.

S 4. Con-

4. Concluſio, *Poteſt aliquando prò peccatis publicis imponi pœnitentia publica*. Ita Vaſquez q. 94. art. 2. dub. 2. cum D. Tho. in 4. d. 14. q. 1. ar. 5. Palud. Antonin. Durando, Argentina, Soto &c.

Probatur, neceſſarium eſt, ut qui publico aliquo delicto ſcandalum fecit uniuerſitati, publica etiam emendatione ſcandalo medeatur. Nè tamen videatur frangi ſigillum confeſſionis, debet hoc fieri de conſenſu pœnitentis, qui ſicut publicè peccauit, & potuit publicè ſuum delictum corrigere per ſpontaneam ſatisfactionem, ita poteſt illud corrigere per præceptam à confeſſario. Non tamen poteſt imponi pœnitentia publica prò delictis occultis, niſi quando hæc non poſſit eſſe illorum manifeſtatiua, quatenus videlicèt ita fieri poſſit, ut non appareat impoſita à confeſſario, ſed ſponte electa prò ſua deuotione à faciente.

5. Concluſio, *Poteſt imponi pœnitentia implenda per alium, non ſolùm ut inſtrumentum pœnitentis, ſed etiam ut cauſam principalem illius, non tamen ſine conſenſu confeſſarij*. Ita Suar. diſp. 38. ſect. 9. cum D. Tho. in 4. d. 20. q. 1. ar. 2. quæſtiun. 3. Sylueſtro, Alenſi, Paludano, & alijs.

Prima pars admittitur ab omnibus, iuxta illud, qui per alium facit, per ſe ipſum facit, mediante alio. Et ideo qui per famulum facit pauperi eleemoſinam, ipſe

facit.

facit. Difficultas eſt in ſecunda; & quoad hanc dico, pœnam medicinalem non poſſe per alium fieri, ut eſt ieiunium, ad cōprimendum ſenſum rebellantem; poſſe verò pœnam ſatisfactoriam, ut eſt purè pœnalis, ſicut eſt peregrinatio, dummodò accedat conſenſus confeſſarij. Et probatur, quia ſatisfactio ſacramentalis debet taxari, ad arbitrium confeſſarij, qui eſt iudex à Deo deputatus. Ergo ſi hìc & nunc id expediens iudicauerit, poterit ita pœnitentiam imponere, ut per alium, non ſolum quoad partem, ſed etiam quoad totum expleatur. Hoc autem non poteſt facere, ſine cauſa rationabili, & ſi purè faceret, ut indulgeret pœnitenti, ob fines humanos, peccaret, eò quia ex ſe, ſicut peccata ſunt perſonalia, ita & ſatisfactio debet eſſe perſonalis.

Vnde patet reſponſio ad obiecta. Ad primam illationem ſecundi, concedo, etiam actum coniugalem poſſe aliquando venire in pœnitentiam. Si enim aliquis uxoratus, totus profuſus in concubinam, diù debitum uxori negauerit, poteſt confeſſarius illi imponere prò pœnitentia, ut in ſignum reconciliationis cum uxore, & dimiſſionis concubinæ, rem cum illa habeat coniugalem, qui actus cùm ſit ſacramentalis, & meritorius, eleuatur à ſacerdote, ad eſſe etiam ſatisfactorium, non quidem per modum pœnæ compenſantis

ex ſe pęnam debitam peccatis, ſed per modum operis meritorij, eleuati virtute clauium, ad eſſe partem intrinſecam ſacramenti pęnitentiæ. Et hinc patet reſponſio ad 2. Quamuis enim oratio contemplatiuorum non ſit pęnalis, ſed voluptuoſa, tamen oratio pęnitentium, qua gemunt, ſuſpirant, & conteruntur, eſt pęnalis, quia macerat carnem. Et idem proportionaliter dico de comeſtione, & ſomno, non ut fiunt à delicatis deliciosè, ſed ut fiunt à pęnitentibus ſobriè, & temperatè, non ad ſenſum oblectandum, ſed ad vitam conſeruandam.

Dices, Habetur Luc. 11. *Date eleemoſinam, & omnia munda ſunt vobis.* Ergo ſola eleemoſina ſufficit ad ſatisfaciendum.

Nego conſequentiam. Et dico cum Argentina in 4. d. 15. q. 1. ar. 3. illum locum eſſe intelligendum de munditie animæ, in ordine ad diuitias, quatenus hæ non factis eleemoſinis, coinquinant animam, quæ mundatur, illis factis, ſicut accidit auaris, qui retinentes diuitias, & non ſubuenientes pauperibus, peccant, nec poſſunt mundari, niſi partem illarum pauperibus faciant.

ARTICVLVS VII.

An ſatisfactio facta in peccato mortali, recedente fictione, habeat ſuum effectum, ex opere operato?

VIdetur habere, ut docent Gonettus diſp. 13. art. 3. §. 3. Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 6. q. ult. Suar. diſp. 38. ſect. 8. nu. 5. Nauar. de pęn. d. 6. c. 1. nu. 48. Victoria, & Petrus Soto, Primò quia ſatisfactio ut pars ſacramenti, ſequitur naturam totius. Sed ſacramentum validum, & informe, recedente fictione, confert ſuum effectum. Ergo & ſatisfactio.

2. Nemo tenetur iterare confeſſionem informem, ex defectu diſpoſitionis. Ergo neque ſatisfactionem. Sicut ergo illa, accedente diſpoſitione, præſtat gratiam, ita hæc accedente gratia, præſtat compenſationem pęnæ temporalis peccatis debitæ.

3. Quamuis ſatisfactio facta in peccato, ut eſt ex ſatisfaciente, ſit opus mortuũ, tamen ut eſt pars ſacramenti, eſt ſolùm peccato mortificatum. Ergo licèt ex opere operantis, non poſſit umquam præſtare ſuum effectum, tamen id poteſt ex opere operato.

Concluſio, *Satisfactio facta in peccato mortali, quamuis valeat ad tollendam obligationem pænitentis, non tamen poteſt, etiã*

ablata fictione, ullum præſtare effectum remiſſionis pœnæ temporalis. Ita Sotus d. 19. q. 1. ar. 5. Adrian. qu. 2. de ſatisfact. Ledeſma 2. p. q. 13. ar. 3. dub. 4.

Probatur 1. Nulla eſt ratio, cur opus omninò mortuum, de ſe iterabile, recedente fictione, reuiuiſcat ad ſuum præſtandum effectum, cùm poſſit iterum fieri in gratia. Ergo ſicut alia opera mortua Deo, ſemper ſunt mortua, ita & ſatisfactio. Conſequentia patet ex paritate rationis. Antecedens probatur, quia intantum dicitur, baptiſmum, & ordinem fictè ſuſceptos, recedente fictione, cauſare gratiam, inquantum cùm ex una parte ſint ſimpliciter neceſſarij, ille ad delendum originale, & hic ad gubernationem eccleſiaſticam, & ex alia iterari non poſſint, ſi eſſent nulli ratione fictionis, plerumque nulliter ſuſciperentur, unde plerique damnarentur, & omnia in Eccleſia eſſent incerta, & confuſionibus referta. Hoc non euenit ex ſatisfactione ſacramentali, primò quia licèt illa de ſe non ſit operatiua, propter obijcem peccati, adhùc per illam in voto factum eſt ſacramentum validum, & integrum eſſentialiter, adeòque fuere ablata peccata præterita, quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ. Deinde quia nullitas ſatisfactionis, quoad effectum, poteſt ſuppleri per eius iterationem in gratia. Ergo non eſt neceſſe, quòd illa eadem, quæ facta

eſt

eſt in peccato, ſit operatiua, recedente fictione.

2. Satisfactio, ut eſt pars ſacramenti, dat augmentum gratiæ ex opere operato, & remittit pęnam temporalem, virtute clauium. Sed opus inimici Dei, non poteſt eſſe quaſi inſtrumentum ad acquirendam, vel augendam gratiam Dei. Ergo ſi fiat in peccato, numquam poteſt fieri apta, ad talem effectum producendum. Neque obſtat, quòd abſolutio facta in peccato, conferat gratiam ex opere operato. Siquidem cùm ſacramenta ſint ordinata ad bonum ſuſcipientium, non debent pendere à ſtatu miniſtrorum; & ideo quia Chriſtus Dominus per illos operatur, aliquando tolerat etiam miniſtros prauos. Hoc non valet de ipſis ſuſcipientibus, quibus gratiam non vult conferre, etiam per ſacramenta, niſi ad illam diſponantur. Verùm de hoc plura dicemus, cum agemus de effectu huius ſacramenti.

3. Euertendo fundamentum ſententiæ oppoſitæ, Non poteſt hoc ſacramentum eſſe validum, & informe, ut infra probabimus. Ergo neque partes, quæ ſequuntur naturam totius, poſſunt eſſe validæ, & informes. Vnde ſequitur, ſatisfactionem in re factam in peccato, non eſſe partem ſacramenti, quod proinde redditur mancum, ex defectu partis integralis. Ex quo aliqui probabiliter inferunt, taliter ſatis-

facientes peccare mortaliter, quia ponunt obicem gratiæ ſanctificanti, & non integrant ſacramentum, niſi materialiter, nempe ponendo opus præceptum, ſecundum ſuam entitatem materialem, non autem ut formaliter ſatisfactivum.

Vnde patet reſponſio ad primum.

Ad 2. Nego antecedens. Siquidem confeſſio, ex defectu diſpoſitionis, eſt nulla. Ergo eſt iteranda.

Ad 3. Nego ſuppoſitum antecedentis. Et dico, ſatisfactionem factam in peccato, non eſſe partem ſacramenti, & intantum non inducit in illud nullitatem, inquatum non ſpectat ad eius conſtitutionem eſſentialem, ſicut eſt ſatisfactio in voto: Ergo neque eſt operatiua ex opere operantis, neque ex opere operato.

Dices, fruſtra quæritur, an ſatisfactio in re cum peccato præſtet ſuum effectum, cùm nullus effectus illi correſpondeat, licèt fiat in gratia. Ergo eſt quæſtio inutilis.

Nego antecedens. Et dico, ſatisfactionem ſacramentalem, non ſolùm operari ad remiſſionem pęnæ temporalis, ex opere operantis, ut voluere Ledeſma, Sotus, & Adrianus, ſed etiam, & multò magis ex opere operato, ut docent D. Tho. Caiet. Suar. Sotus, cum communi. Et hoc patet ex eo, quia ſacramenta nouæ legis, cùm ſint ſigna practica, efficiunt quod ſignificant. Ergo cùm hæc ſatisfactio, ut eſt quę-

dam

dam punitio ſcelerum, ſignificet commutationem pęnæ purgatorij in temporalem, illam efficit. Licet enim hoc conueniat omnibus ſacramentis, tamen nulli conuenit ex ſe, & ex propria inſtitutione, niſi huic, & tali huius parti. Præterea operatur etiam gratiam, ut docet Suar. diſp. 38. ſect. 2. n. 3. cum D. Tho. q. 90. ar. 2. ad 2. Caietano, & Soto, contra Palacium, aliosque dicentes, non operari niſi primum effectum.

Quòd autem operetur etiam gratiam, probo 1. Quia omnia ſacramenta nouæ legis conferunt gratiam. Sed hæc eſt pars ſacramenti. Ergo ex ſe confert aliquam gratiam. Deinde quia hæc pars eſt etiam medicinalis. Sed hoc præſtare non poteſt ſine gratia. Ergo illam confert, nempe (ut explicat ibi Suar.) aliquod auxilium præſeruans à peccatis futuris, & coadiuvans ad emendanda præterita. Cùm enim ſit ad hunc finem inſtituta, non debet illo fraudari. Ex hoc tamen non ſequitur, quòd ipſa ſola poſſit ex attrito, facere contritum, quia hic effectus correſpondet toti ſacramento, ad quem ipſa ſe habet ut cauſa partialis, ſicut ſe habet ad gratiam ſanctificantem, ut infra videbimus.

Dices 2. Hæc ſatisfactio non conſiſtit in indiuiſibili, ut docent Scotus, & Maior, Primò quia eius taxa fit humano modo, qui non poteſt cognoſcere, quæ ſit

æqualis delicto ſatisfactio. Et deinde quia ſicut eſt pars ſacramenti, ſiue ſit maior, ſiue minor, ita quia operaretur ex opere operato, ſemper haberet eundem effectū, quod videtur abſurdum, cùm minori, & maiori cauſæ non poſſit correſpondere idem effectus, ut videmus in effectu, qui illi correſpondet ex opere operantis. Ergo nullus effectus poteſt illi ut proprius correſpondere, ex opere operato.

Nego antecedens cum Suar. diſp. 38. ſect. 5. & Petro Soto ſect. 1. de ſatisf. Et ratio ipſorum eſt, quia Deus non iudicat, niſi taxando pęnam, in numero, pondere, & menſura. Ergo ſacerdos, qui iudicat ut eius miniſter, debet ſe eius iudicio ſubordinare, taxando peccatis pęnas conueniētes. Quamuis enim non poſſit cognoſcere adamuſſim eius æqualitatem, debet nihilominùs, quantum poteſt, illi appropinquari, ut pęna delicto proportionetur, ſicut docet Tridentinum ſeſſ. 13. c. 8. Vnde ſequitur, quòd ſatisfactio hæc non habeat ſuum effectum, niſi attingat menſuram ſtatutam à Deo; & ideo meliùs eſt illam excedere, ut medium attingatur, & eſt certiſſimum, quò eſt maior, vel minor ſatisfactio, eò illi correſpondere maiorē, vel minorem effectum, & numquam remitti totam pęnam peccatis debitam, niſi poſita ſatisfactione, quæ adæquet, vel excedat menſuram à Deo taxatam, & hinc

pa-

patet reſponſio ad fundamenta Scoti, & Maioris.

DISPVTATIO XI.

De Abſolutione.

EXplicatis actibus pœnitentis, qui conſtituunt materiam proximam huius ſacramenti, ſupra quam cadit abſolutio, quæ eſt eius forma, agendum eſt de ipſa abſolutione, ut de omnibus eius intrinſecis partibus notitia habeatur. Quærenius ergo 1. An debeat fieri ſemper per hæc verba, *ego te abſoluo?* 2. An omnia, quæ ſolent adhiberi in eius traditione, ſint illi eſſentialia? 3. An poſſit idem ſimul plures abſoluere, vel à pluribus abſolui? 4. An poſſit tradi abſolutio conditionata? 5. An poſſit tradi etiam abſenti?

ARTICVLVS PRIMVS.

An abſolutio ſacramentalis debeat fieri per hæc verba, ego te abſoluo à peccatis tuis?

VIdetur non eſſe neceſſarium, quòd abſolutio tradatur per voces mini-

ſtri. Sicut enim confeſſio & matrimonium poſſet fieri per nutus, voces, & ſcripturam, ita & abſolutio, præſertim cùm poſſit accidere caſus, quòd ſacerdos, audita confeſſione, amittat loquelam, & niſi poſſet abſoluere per nutus, vel ſcripturam, confeſſus crimina, fraudaretur abſolutione.

2. Videtur, poſſe tradi alijs verbis, nempe lingua vernacula, per verba deprecatiua, ſeu imperatiua. Ergo non eſt determinata ad hæc verba.

3. Multa ſunt ſuperflua in hac forma, nempe ly *ego*: *a peccatis tuis*: *miſereatur tui &c.* Ergo hæc verba non ſunt de neceſſitate huius formæ.

1. Concluſio, *forma huius ſacramenti debet fieri per verba, ſacerdotis ore prolata, non autem per nutus, aut ſcripturam*. Eſt communis, ut docent hic Suar. diſp. 19. ſect. 1. & Gonetus diſp. 12. ar. 4. §. 2. exceptis Paludano, Soto, Medina, & Nauarro.

Probatur 1. In formis ſacramentorum, non debemus recedere à praxi Eccleſiæ. Cùm ergo praxis Eccleſiæ ſit, ut abſolutio ſacramentalis tradatur per voces miniſtri, ita debet tradi. Imò Card. De Lugo hic diſp. 13. ſect. 5. n. 118. docet, aliter traditam neque eſſe licitam, neque validam. 2. Definitum eſt in Florentino, ſacramenta nouæ legis conſtare rebus, &

ver-

verbis, & de hoc ait, *forma huius ſacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cum dicit, ego te abſoluo &c.* Sed hæc non poſſunt conuenire, niſi vocibus ore prolatis, ut patet. Ergo &c. 3. Non aliter eſt valida abſolutio, quàm fuerit à Chriſto D. inſtituta. Sed fuit inſtituta, ut tradenda per vera, & propria verba, ore proferenda, ſicut communiter exponunt Doctores, & Patres. Ergo non eſt valida, niſi taliter tradatur. Vnde ſequitur, non poſſe tradi per nutus, ſcripturam, aut internuncium, ut fusè probat Suar. hic diſp. 19. ſect. 1., & ſequentibus.

2. Concluſio, *Valida eſt hæc forma, ego tibi remitto, vel condono peccata tua, non tamen eſt licita.* Ita Caiet. ex D. Tho. q. 84. ar. 3. Card. De Lugo diſp. 13. ſect. 6. n. 141. Scotus in 4. d. 14. q. 4. Diana in ſum. V. *Abſolutio* n. 1.

Probatur prima pars 1. cum Caietano, quia virtus ſacramentalis, non eſt ita alligata iis verbis, ut etiam æquipollentibus conferri non poſſit. 2. Quia Chriſtus D. dando facultatem abſoluendi, uſus eſt varijs verbis idem ſignificantibus; nam Io. 20. dixit, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: & Matth. 16. *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum &c.* Ergo ſignum eſt, noluiſſe, formam abſolutionis ligare tàm rigorosè illis verbis, ut tradi non poſſit etiam per alia æquiua-

lentia; adeòque etiam verba æquiualentia conformantur cum voluntate primi inſtitutoris, ut docet D. Tho. loc. cit. ad 3. Quamuis enim per illa verba, *quodcumque ſolueris &c.* propriè, & immediatè fuerit collata poteſtas clauium, abſoluendi à cenſuris, ut vidimus diſp. 3. ar. 2. quia tamen Chriſtus promiſit etiam poteſtatẽ abſoluendi à peccatis per ly *dabo etc.* ideo talia verba poſſunt etiam referri ad poteſtatem ſacramentalem, quæ fundatur in poteſtate clauium. Et hæc eſt ratio, cur Eccleſia utatur verbo *abſoluo*, ut oſtendat, poteſtatem abſoluendi à peccatis, haberi per virtutem clauium, traditam à Chriſto Petro, per tale verbum.

Probatur ſecunda pars, quia in formis ſacramentorum, non debent miniſtri recedere à praxi Eccleſiæ. Ergo cùm Eccleſia præceperit in Florentino, abſolutionem eſſe ita tradendam, ſi aliter tradatur, ſit contra eius præceptum, quo verba formæ determinauit, adeoque peccatur.

3. Concl. *Abſolutio facta per verba deprecatiua, neque eſt licita, neque valida.* Ita D. Tho. q. 84. ar. 3. ad 1. Eſparſa q. 94. ar. 2. Diana &c.

Probatur 1. Abſolutio debet ſignificare rem de præſenti, hoc eſt nunc abſolui pęnitentem à peccatis. Sed verba deprecatiua, cuiuſmodi ſunt, *miſereatur*, vel *parcat tibi Deus*, vel *te Deus abſoluat &c.*

non

non ſignificant, rem nunc fieri, ſed ſolùm fieri deprecationem, ut fiat abſolutio. Ergo non ſunt ſufficentia. Deinde verba abſolutionis debent exprimere ſententiam deciſiuam ipſius confeſſarij, qui gerit perſonam Chriſti iudicantis. Sed verba deprecatiua non exprimunt ſententiam deciſiuam, ut patet. Ergo non ſufficiunt.

Dices, ſolus Deus remittit peccata. Ergo non debet eius miniſter dicere per verbum indicativum præſens, *ego te abſoluo*, quia hoc eſſet ſibi arrogare auctoritatem ſui principalis, ſed *abſoluat te Deus*.

Diſtinguo antecedens, ſolus Deus remittit peccata, propria auctoritate, & ut cauſa principalis, concedo: in virtute alterius, & ut cauſa inſtrumentalis, nego. Sicut ergo per poteſtatem ſibi à Chriſto collatam Matth. vlt. dicit ſacerdos, *ego te baptizo*, ita per poteſtatem ſibi traditam ab eodem Io. 20. debet dicere, *ego te abſoluo*, hoc eſt ut miniſter Chriſti.

Vrgebis, ideo poteſt dicere, *ego te baptizo*, quia hæc verba non ſignificant deſtructionem peccati originalis, ſed ſolùm illam materialem ablutionem, per quam Deus delet originale. Sed ly *te abſoluo*, ſignificat actum remiſſivum peccati. Ergo nulla eſt paritas.

Nego maiorem. Nam ly *ego te baptizo*, penès fideles, ſignificat, *ego te abluo, ſeu mundo à ſordibus peccati*. Ergo non ſigni-

ſignificat ſolùm illam ablutionem materialem, ſed cum illa etiam ſpiritualem internam, per quam anima mundatur à labe originali, expreſſam per illud ſignum ſenſibile ablutionis materialis aquæ, quæ repreſentat ſpiritualem ablutionem, factam per ſanguinem Chriſti, detergentem peccata. Idem dico de illo ſigno ſenſibili vocalis abſolutionis, quo exprimitur abſolutio interna peccatorum, quæ prouenit inſtrumentaliter à ſacerdote, tamquã miniſtro, & principaliter à Deo, conferente abſoluendi poteſtatem.

4. Concl. *Valida eſſet abſolutio facta lingua vernacula, ſed non licita. Et idem dico de facta per verba imperatiua.*

Probo primum, quia ex una parte exprimeret actum iudicialem, & ſe conformaret verbis Chriſti, ſi diceret in quocumque idiomate, *io t'aſſoluo da tuoi peccati*: & ex alia eſſet contra præceptum, & uſum Eccleſiæ. Ergo eſſet abſolutio valida, ſed non licita. Neque valet paritas baptiſmi, quia cùm hoc ſacramentum ſit ſimpliciter neceſſarium, voluit Chriſtus D. ut omnes, etiam feminæ, in caſu neceſſitatis, poſſent eſſe illius miniſtri, quod aſſequi non valeret, ſi non poſſent baptizare etiam rudes, & ignorantes latinum idioma. Abſolutio autem quia voluit, non poſſe conferri, niſi à ſacerdotibus, qui tenentur officium recitare, & aliquid ſcire,

re, potuit reſtringi ad certa quædam verba latina. Sicut ergo extra caſum neceſſitatis, non poteſt à proprio miniſtro conferri baptiſmus, niſi conſueta forma latina, vel alia ſibi permiſſa, ita & abſolutio.

Probo ſecundum, cum Scoto in 4. d. 14. q. 4. Diana in ſum. V. *abſolutio* n. 1. & alijs pluribus, aduersùs Caietanum, quia toties eſt valida abſolutio, quoties fit per verba exprimentia actum iudiciarium, & ſententiam deciſiuam abſolutionis à peccatis. Sed hæc, *abſolueris*, vel, *abſoluere à peccatis tuis*, eſt huiuſmodi, ut patet. Ergo eſt valida. Quia tamen in collatione ſacramentorum (ut dixi) non debent miniſtri recedere à praxi Eccleſiæ, cum periculo nullitatis, ideo eſſet illicita. Et ratio eſt, quia cum ex una parte, exiſtenti in peccato ſit ſimpliciter neceſſaria pœnitentia, & ex alia ſit ſolùm probabile, eſſe validam talem formam non conſuetam, non debet miniſter, in re tanti momenti, exponere animas pœnitentium periculo damnationis æternæ.

Dices, idem eſt dicere, *abſolueris*, ſiue *abſoluere* per verbũ imperativum, atq; dicere, *abſoluat te Deus*, cùm illud imperativum non poſſit referri ad hominem, ſed ad Deum, ita ut faciat ſenſum, *abſoluere à Deo*. Ergo ſi hoc non eſt validum, neque illud.

Nego antecedens, quia ſacerdos impe-

rando

rando abſolutionem rei, facit actum iudiciarium, quem non facit deprecando. Dùm enim Deum precatur, ut abſoluat pęnitentem, non ſe gerit ut iudicem, ſed ut amicum. Dico ergo, ly *abſoluere*, referri ad ipſum ſacerdotem, & facit ſenſum, *per poteſtatem mihi traditam abſoluere à me*, eo modo, quo iudex delegatus in humanis, dùm fert ſententiam deciſiuã, utitur aliquando ſimilibus verbis, *auctoritate mihi collata, volo ut ſuſpendaris, libereris à furca &c.* Ergo non eſt paritas.

Vnde patet ſolutio ad prima duo. Nec valet paritas confeſſionis, & matrimonij, quia cum illa ſit actus pęnitentis, & huius miniſtri ſint ipſi contrahentes, non coguntur ſeruare ullam formam, à Chriſto præſcriptam ſuis vicem gerentibus, ut ſunt ſacerdotes. In caſu allato dico, à pęnitente ſuppleri poſſe defectum abſolutionis, vel reiterando alteri confeſſionem, vel per actum contritionis. Ergo hinc nihil euincitur prò arguente.

Ad 3. Vltrò admitto, non omnia verba, quæ ſolent adhiberi in forma abſolutionis, eſſe de eſſentia illius. Quænam autem hæc ſint, videbimus in articulo ſequenti.

A R-

ARTICVLVS II.

An omnia, quæ adhiberi ſolent in abſolutione, ſint de eius eſſentia? Et an poſſit fieri aliqua additio, vel mutatio?

VIdetur 1. Omnia eſſe de eſſentia abſolutionis, Primò quia debet ſeruari praxis Eccleſiæ, ut dictum eſt. Et deinde quia quidquid tollatur ex forma conſueta, abſolutio eſſet manca.

Videtur 2. poſſe aliquid addi, ad fouendam deuotionem. Dummodò enim retineantur eſſentialia, forma per additionem non vitiatur: & præterea poſſe aliquid variari. Sicut enim poteſt variari verbum *abſoluo*, in *remitto*, & indicativum in imperativum, ut dictum eſt, ita poſſet fieri alia mutatio.

1. Concluſio, *Illæ orationes, miſereatur tui &c. & paſſio Domini noſtri &c. non ſunt de eſſentia formæ, non tamen poſſunt licitè omitti, niſi propter grauem cauſam.* Ita D. Tho. q. 84. ar. 3. ad 1. Toletus lib. 3. ſum. c. 12. Ioſeph Aug. in ſum. de pœn. n. 46. Diana, Suar. Vaſquez &c.

Probatur, primò ex Trid. ſeſſ. 14. c. 3. definiente, *quibuſquidem de Eccleſiæ ſanctæ more, preces quædam laudabiliter adiunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant.* Deinde ratione D. Tho. ſacramentum pœnitentiæ, non

con-

conſiſtit in conſecratione, ſeu uſu, ſicut Euchariſtia, ſed in remotione cuiuſdam materiæ, ſcilicet peccati, quod eſt eius materia remota. Talis autem remotio ſufficienter exprimitur per illa verba, *ego te abſoluo*. Nam peccata ſunt quædam vincula, ſecundum illud Prou. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur*. Ergo illa ſola ſufficiunt. Non tamen poſſunt omitti, extra caſum neceſſitatis, ut limitatur à Ioſepho Aug. loc. cit.; tùm propter communem uſum Eccleſiæ, cùm propter periculum nullitatis, eò quia de his non habeatur aperta reuelatio.

Vnde ſequitur, neque eſſe de eſſentia, illa verba, *à peccatis tuis*, ut docent ijdem locis citatis, & Suar. fusè probat diſp. 19. ſect. 1. n. 22.

Dices, ſi omiſſio talium verborum, fert periculum nullitatis, numquam poſſunt omitti. Reſpondeo, hoc eſſe verum, extra caſum neceſſitatis, Primò quia ea, quæ ſunt adhibita, ad reuerentiam, & decorem ſacramenti, non debent omitti ſine cauſa, præſertim cùm prima oratio præmittitur, nè ex parte pœnitentis, impediatur effectus abſolutionis, ut obſeruat D. Thom. loc. cit. ad 1. & ſecunda poſtponitur, ad ſupplendum defectum pœnitentiæ, ſi fortè leuior, quàm peccata exigunt, imponatur. Quia tamen nullum extat generale,

præ-

præceptum Eccleſiæ, de apponendis illis orationibus, niſi fiat ab Ordinarijs præceptum ſpeciale, poſſunt cum aliqua cauſa omitti, ut eſſet frequentia pœnitentium &c. & ideo relinquuntur in hoc caſu arbitrio confeſſarij, ut docet idem Ioſeph Aug.

Maior difficultas eſt, an poſſit relinqui illa particula *ego*? Aliqui affirmant, & alij negant, ſed omnes conciliantur, dicendo, illam ſemper neceſſariò inuolui in prima perſona præſentis indicatiui, ſaltem implicitè. Ergo quamuis poſſit explicitè omitti, ſaltem validè, ut aliqui opinantur, non tamen poteſt ſimpliciter omitti, & ideo eſt ſaltem implicitè neceſſaria, ut dicunt alij. Quòd ſi abſolutio fiat per ſecundam perſonam imperatiui paſſiui (quod in alio ar. concl. 4. diximus validè fieri poſſe) tunc etiam dico, illam implicitè inuolui, iuxta conſtructionem verbi paſſiui, ita ut faciat ſenſum, *abſoluere*, vel *abſoluaris à me*. An autem poſſit etiam fieri per tertiam perſonam, *abſoluatur N. N.* intelligendo indiuiduum pœnitentis ſibi præſentis? Eſt maior difficultas. Ego tamen puto, adhuc taliter poſſe fieri, ſaltem validè. Et ratio eſt, quia forma Græcorum in collatione baptiſmi, *batizetur ſervus Chriſti &c.* tamquam valida, & ſufficiens permittitur ab Eccleſia. Ergo etiam poſſet permitti forma abſolutionis ſimiliter facta, *abſoluatur*

ſer-

ſervus Chriſti à peccatis ſuis, & tunc intelligeretur, *à me*, denotando perſonam proferentis hæc verba.

2. Concl. *Quamvis de eſſentia formæ ſint ſolùm hæc verba* (*abſoluto te*) *tamen debent addi hæc alia, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vel æquiualentia.* Ita D. Tho. q. 84. ar. 3. Suar. diſp. 19. ſect. 1. n. 19. cum communi, excæpto Durando, qui in 4. d. 22. q. 2. n. 6. putat, eſſe neceſſaria ad valorem formæ, illa verba, *in nomine Patris &c.* cui adhærent Maior, & Pet. Soto, ut exprimatur, ſacerdotem abſoluere, ut miniſtrum Trinitatis.

Prima pars patet ex dictis, quibus excluſimus ab eſſentia formæ, omnia alia, præter illa verba, *abſoluo te*. Et ad fundamentum Durandi, dico cum Suar. loc. cit. non eſſe neceſſarium, quòd hoc exprimatur in forma. Et ratio ipſius eſt, *quia hoc non pertinet ad effectum, vel actionem ſacramenti, quam debent ſignificare verba formæ, ſed ad poteſtatem miniſtri, quam non oportet ſignificari in actu ſignato, ut ſic dicam, ſed ipſo exercitio talis formæ.* Aliòqui in omnibus formis ſacramentorum, eſſet hoc neceſſarium, quod eſt falſum, ut patet inductione.

Probatur ſecunda, quia licèt non ſint de neceſſitate valoris, tamen ſunt de neceſſitate præcepti, & iuxta praxim Eccleſiæ. Ergo non poſſunt licitè omitti. Neque obſtat,

ſtat, quòd D. Tho. loc. cit. in fine ad 3. dicat, vſum horum verborum relinqui arbitrio ſacerdotis. Siquidem cùm expoſuiſſet ibi plures modos illas adhibendi, iuxta plures opiniones, nempe, *auctoritate Dei*, vel *virtute paſſionis Chriſti*, vel *in nomine Patris &c.* concludit, determinationem ad unum ex his modis eſſe arbitrariam, dummodò apponatur quoad ſubſtantiam inuocatio Sanctiſſimę Trinitatis.

3. Concl. *Nulla additio debet fieri formæ obſolutionis, nec tradi per verba inſolita*. Ita Toletus lib. 3. c. 12. cum communi.

Probatur, quia licèt hæc non tollerent validitatem ſacramenti, tamen quia eſſent contra praxim Eccleſiæ, non poſſent taliter abſoluentes excuſari à graui peccato. Meritò igitur Toletus irridet ſacerdotes dicentes, *abſoluo te ab omnibus peccatis tuis confeſſis, contritis, & oblitis*, & multò magis addentes membra contradictoria, *à confeſſis, & non confeſſis, contritis, & non contritis &c.*

4. Concl. *Ad valorem abſolutionis, non eſt neceßaria manuum impoſitio, quamuis poſſit licite adhiberi*. Ita D. Thom. q. 84. ar. 4. Suar. diſp. 18 ſect. 6. Soto, Nauar., & alij communiter.

Probatur 1. Chriſtus D. dùm inſtituit hoc ſacramentum, nullam fecit mentionem de hac ceremonia. Ergo non eſt nece-

ce-

ceſſaria. Deinde, manuum impoſitio, in collatione ſacramentorum, non fit, *niſi ad deſignandum aliquem copioſum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, per quamdam quaſi ſimilitudinem, continuantur miniſtris, in quibus copia gratiæ eſſe debet*, (ut docet D. Tho. loc. cit.) *Et ideo manus impoſitio fit in ſacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus ſancti, & in ſacramento ordinis, quo confertur quædam excellentia poteſtatis in diuinis myſterijs*. Sacramentum autem pœnitentiæ, quia ordinatur ad remotionem peccatorum, ideo non exigit manuum impoſitionem, ſicut neque exigit baptiſmus, qui ordinatur ad tollendum originale peccatum. Quòd autem poſſit licitè adhiberi, probatur, quia aliquando fuit in vſu, ut probat Suar. loc. cit. n. 4. Ergo cùm ſit aliqua pura ceremonia extrinſeca, conferens ad dignitatem, & decorem ſacramenti, poteſt licitè adhiberi, ſicut de facto adhibetur ab aliquo, etiam cum laude.

Ad 1. Dico, ratione praxis, probari ſolùm neceſſitatem præcepti, ut licitè fiat, non ut validè. Ad 2. Nego ſequelam. Siquidem quæ diximus auferri poſſe à forma conſueta, non ſunt eius partes integrales intrinſecæ, & ideo eorum defectus non facit illam mancam. Ad 3. Vltrò concedo, poſſe aliquid addi ad deuotionem, abſque

eo

eo quòd forma amittat ſuum valorem. Quia tamen eſſet contra praxim Eccleſiæ, non licitè fieret.

ARTICVLVS III.

An poſſit idem ſimul plures abſoluere, vel à pluribus ſimul abſolui?

VIdetur neutrum poſſe fieri, Primò quia eadem forma non poteſt ſimul informare diuerſa ſubiecta. 2. Vel fieret unum ſacramentum, vel plura? Non plura, quia eſſet unica forma. Neque unum, quia multiplicatis partibus eſſentialibus, ut eſt confeſſio, multiplicatur ſacramentum. Ergo neque eſſet unum, neque plura, quod repugnat.

1. Concluſio, *Poſſunt plures ſimul ab eodem abſolui validè, ſed non licitè, extra caſum neceſſitatis*. Ita Card. De Lugo hic diſp. 17. ſect. 1. n. 19. Conink diſp. 7. dub. 9. n. 74. Toletus lib. 3. c. 20. n. 2. Syluester, Fagundez &c.

Probatur, valor ſacramenti, non pendet à circumſtantia ſingularitatis, vel ſimultatis, quæ ſe habet ad illum omninò per accidens. Sicut ergo poſſunt plures ſimul ab eodem baptizari, ut egimus factitatum in Indijs à S. Franc. Xauerio, ita poſſunt plures ab eodem ſimul abſolui, dummodò ſinguli ex illis præbeant mate-

riam ſufficientem, per contritam confeſſionem peccatorum. Et ratio à priori eſt, quia ad valorem pœnitentiæ ſufficit, quòd forma abſolutionis cadat ſupra materiam proximam, videlicèt actus pœnitentis. Siue ergo hi plures ſimul, ſiue ſucceſſiuè prębeant hanc materiam, poſſunt recipere formam abſolutionis, cùm ſit omninò per accidens, quòd ita ſimul concurrant. Hoc autem ſi fiat extra caſum neceſſitatis, eſt vitioſum, & illicitum, licèt validum, quia fit contra praxim Eccleſiæ, & quia non ſeruatur ſecretum confeſſionis, cùm ſinguli audiant aliorum peccata. Imminente vero naufragio in naui, quando eſt unus tantùm ſacerdos, & per tempus non licet ſucceſſiuè confiteri, & in quacumque alia ſimili neceſſitate, non ſolùm ſacerdos, poteſt licitè ſimul omnes publicè ſua peccata confitentes abſoluere, ſed tenetur, vel ex iuſtitia, ſi ad illum ſpectet onus tales confitendi, vel ſaltem ex charitate, nè tot animæ pereant.

Vnde infert Vaſq. q. 91. ar. 2. dub. 2. n. 2. in ſimilibus caſibus naufragij, incendij, peſtis, belli &c. ſi pęnitentes velint ſeorſim eidem uni confeſſario confiteri, teneri ſe expedire, exponendo aliqua peccata in particulari, & alia in generali, nè dum unus tenet ſacerdotem ſecum occupatum, tot alij careant remedio ſalutis; & ideo diſpenſari ab integritate materialis

con-

confeſſionis; & ipſum ſacerdotem teneri impendere ſimul abſolutionem omnibus præbentibus ſigna contritionis, poſt auditam publicam confeſſionem ſimultaneam ſingulorum, de aliquo peccato in particulari, & de omnibus in generali, ut omnibus pateat hoc remedium, quando aliter præſtari non poſſit. Contra verò Nauar. in ſum. c.8. n.13. & Card. De Lugo diſp. 23. ſect. 3. in fine, docent, illos confeſſarios, qui extra caſum neceſſitatis, audiunt ſimul plures pueros doli capaces, vel ſaltem de quorum capacitate poteſt prudenter dubitari, non excuſari à peccato, Primò quia illudunt confeſſionem. 2. Quia illos exponunt morali periculo reuelandi aliorum peccata. Et demum quia eſt contra præceptum, expreſſum in c. *omnis utriuſque ſexus* &c. ubi dicitur, quòd ſinguli ſoli ſacerdoti confiteantur.

2. Concl. *Poſſunt plures ſacerdotes ſimul validè abſoluere eumdem pænitentem, & aliquando etiam licitè.* Eſt Cardin. De Lugo diſp. 13. ſect. 7. n. 160.

Probatur de valore, quia omnes hujuſmodi abſolutiones eſſent veræ formæ prolatæ à legitimis miniſtris, ſuper materiam debitam, & nulla eſſet maior ratio, cur una haberet effectum, quàm alia. Sicut ergo poſſunt plures ſacerdotes eamdem ſimul hoſtiam conſecrare, ita & ſimul eumdem abſoluere. Quòd autem hoc ali-

Digitized by Google

quando ſit licitum, probatur, quia poſſunt duo ſacerdotes certatim abſoluere eumdem moribundum, qui petijt abſolutionem, uno alium præ multitudine adſtantium non aduertente. Quod idem dico, ſi aliquis in naufragio, vel in incendio pluribus ſimul ſacerdotibus cofiteatur. At extra caſum neceſſitatis, eſſet omninò illicitum, ut probat Suar. diſp. 8. ſect. 4. n. 4. quia debet ſeruari Eccleſię conſuetudo.

Neque obſtat quòd hi ſacerdotes eſſent cauſæ totales ſimultaneæ eiuſdem effectus; nam hoc in phyſicis conceſſimus, non ſolùm ut poſſibile, ſed ut defacto contingens, ut patet in conſecratione ſacerdotum. Neque quòd circa eumdem facerent duo ſacramenta. Sicut enim explicitè ſunt duæ formæ, ita confeſſio unius eſſet virtualiter duplex, nam illa confeſſio, *confiteor vobis*, æquiualeret his, *confiteor tibi Petre, & confiteor tibi Paule*. Sicut ergo poteſt idem eadem peccata ſucceſſiuè duobus confiteri, & bis abſolui, ita poteſt ſimul per confeſſionem virtualiter duplicem, eadem peccata confiteri duobus, & ab illis ſimul recipere duplicem abſolutionem.

Ad 1. Dico, quòd illa forma, *ego vos abſoluo*, eſſet virtualiter multiplex, ut docet De Lugo diſp. 13. ſect. 7. n. 164. quia æquiualeret his, *abſoluo te Petre, abſoluo*

te

te Paule &c. Ergo non una, & eadem forma informaret ſimul diuerſa ſubiecta, ſed ſingulæ formæ, ſaltem virtuales, ſingulis ſubiectis correſponderent.

Vnde patet reſponſio ad 2. Poſito enim quòd eſſent plures formæ, & plures materiæ, fierent plura ſacramenta, & non unum tantùm, ſicut diximus de pluribus abſolutionibus, cadentibus ſupra eumdem.

ARTICVLVS IV.

An poſſit tradi abſolutio conditionata?

TRipliciter poteſt dari abſolutio conditionata, nempe ſub conditione de præterito, *ego te abſoluo, ſi hoc feciſti*: vel de præſenti, *ego te abſoluo, ſi ita eſt*: vel de futuro, *te abſoluo, ſi hoc feceris*, quia conditio ſi exprimat aliquid, quod ſit in poteſtate alicuius tertiæ perſonæ, dicitur ratihabitio, e. g. *te abſoluo, ſi Epiſcopus poſtea conſenſerit*. Quæritur ergo an ſub his conditionibus poſſit dari abſolutio?

1. Concl. *Abſolutio collata, ſub conditione de præſenti, vel præterito, eſt ſemper valida, ſed illicita, extra caſum neceſſitatis*. Ita Toletus in ſum. lib. 3. c. 12. n. 3. Io. De Lugo diſp. 13. ſect. 5. n. 107.

Probatur, quia neutra conditio inducit variationem intrinſecam in ipſa abſolutione, neque ſuſpendit eius effectum.

Ergo non tollit eius valorem, & efficaciã. Quia tamen extra caſum neceſſitatis, debet ſeruari praxis Eccleſiæ, ideo ſub alterutra collata, eſt ſemper illicita, ſicut eſt illicita collatio conditionata baptiſmi, aliorúmque ſacramentorum. Quòd ſi neceſſitas urgeat, e. g. ſi ſacerdos non bene percipiat pœnitentem, propter ſermonis ruditatem, & veniat in cognitionem obſcuram de aliquo illius peccato graui, quod ſolum pœnitens confitetur, neque poſſit habere cognitionem clariorem, tũc poteſt adhibere conditionem, *te abſoluo, ſi ita eſt*. Idem dico, ſi in partibus infidelium, dubitet, an aliquis Turca, curioſitatis cauſa, acceſſerit, & periurio ſe tegat, nè agnoſcatur, poterit illum abſoluere ſub conditione, *te abſoluo, ſi es capax, & diſpoſitus*. Ita etiam, ſi dubitet, an dederit abſolutionem, poterit illam dare conditionatè, *te abſoluo, ſi non es abſolutus*, quia in his, & ſimilibus caſibus urget neceſſitas, nè ſacramentum exponatur colluſioni.

2. Concl. *Abſolutio tradita per conditionem de futuro, eſt illicita, & nulla*. Ita Toletus ibid. Lugo loc. cit. n. 118. Pallau. de pęn. lib. 7. c. 26. n. 274. Ioſeph Aug. in ſum. de pęn. n. 50.

Probatur 1. quia non poteſt ſacerdos pęnitenti bene diſpoſito differre, ſeu ſuſpendere effectum ſacramenti, Sin autem

abſol-

abſoluat, ſub conditione alicuius futuri, non ſequitur gratia, niſi purificata conditione. Ergo ſuſpenditur effectus ſacramenti, videlicèt collatio gratiæ; & ideo ſacerdos falſum dicit, cum dicit, *te abſoluo*, quia non actu abſoluit, ſed abſoluet, purificata conditione. Hoc autem manifeſtè colligitur ex eo, quòd ſi deinde non purificetur conditio, pœnitens non remanet abſolutus, & tenetur iterum confiteri, ut abſoluatur.

2. Sacerdos abſoluit, ut procurator Chriſti. Ergo non poteſt dicere nomine Chriſti, quod Chriſtus ei dicendum non commiſit. Cùm ergo non commiſerit, ut conditionatè abſoluat, ſed abſolutè, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, debet abſolutè abſoluere; aliòquin non gerit munus procuratoris Chriſti, & ideo non validè abſoluit.

3. Vel conditio cadit ſupra dictum ſacerdotis, vel ſupra rem dictam? Si primum, cùm voluntas conditionata nullam habeat vim, niſi poſita conditione, idem eſſet dicere, *volo te abſoluere, ſi fuerit hoc*, ac nihil dicere de præſenti, quia nunc non abſoluit, ſed abſolueret, ſi illud poneretur, adeòque non validè abſoluit, ſub prima conditione. Sed neque ſub ſecunda, quia cum Chriſtus commiſerit ſuis procuratoribus, ut abſolutè abſoluant pœnitentes bene diſpoſitos, non debent

abſoluere dependenter ab aliquo futuro; & ſi faciant, nulliter operantur, & faciunt contra Chriſti voluntatem.

Ex quibus patet falſam eſſe doctrinam Dianæ in ſum. V. *abſolutio* n. 2. quòd abſolutio, ſub conditione de futuro certo, ſit valida, non autem de incerto. Et ratio eſt, quia ſiue ſit certum, ſiue incertum illud futurum, ſub cuius conditione traditur abſolutio, ſemper talis abſolutio ſuſpendit effectum ſacramenti. Ergo non eſt practicè collatiua gratiæ, quam ſignificat, adeòque non eſt ſignum verum, ſed falſum, & ideo nulla.

2. Non poſſe dari abſolutionem à peccatis, ad reincidentiam, ſicut datur à cenſuris. Et ratio eſt, quia malum culpæ ſemel dimiſſum, non redit per nouam culpam, ſicut malum pęnæ. Cùm ergo cenſura ſit pęna eccleſiaſtica, poteſt ita abſolui, ut niſi fiat hoc, iterum redeat, ac ſi non fuiſſet dimiſſa; quod non valet de peccatis.

Patet 3. optimum eſſe conſilium Toleti loc. cit. quòd ſi aliquando ſint imponendæ pęnitentibus aliquæ conditiones de futuro, priùs illis imponantur, quàm abſoluantur; & ſi fuerint acceptatæ, abſolutè deinde abſoluantur, ita ut numquam in forma abſolutionis ponatur ulla conditio, niſi in caſibus ſupra exceptis, conditionum de præſenti, vel de præterito, vrgente neceſſitate.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

An poſſit tradi abſolutio abſenti per litteras, aut internuncium?

Videtur poſſe, ut plures ex Thomiſtis opinati ſunt, quorum catalogum recenſet Suar. hic diſp. 19. ſect. 3. n. 2. quibus deinde adhæſere plures ex alijs, putantes, in caſu aliquo neceſſitatis, id eſſe licitum. Eorum fundamenta poſſunt eſſe.

1. Quia S. Tho. Ep. Cantuar. dùm in Anglia detineretur in carcere ab Arrigo VIII. miſit Romam prò abſolutione ſuorum criminum, cum in Anglia non poſſet habere ſacerdotem. Ergo Romanus Pontifex Alexander III. non potuiſſet ad illũ mittere litteras abſolutorias, niſi putaſſet, id poſſe fieri, ut refert Scotus in 4. d. 17. & conſentit Baronius in annal. to. 12. ad ann. 1164. n. 6. Quid ſimile narratur factum à S. Cypriano, qui lib. 3. ep. 17. inquit, multos abſentes, à ſe ſuorum criminum abſolutionem per litteras petijſſe, quibus probabile iudicatur, non defuiſſe, ſed eodem medio miſiſſe abſolutionem.

2. Poteſt fieri confeſſio abſenti, ut probauimus diſput. 8. art. 3. & idem dico de matrimonio, quod plerumque à Principibus fit per procuratores. Ergo etiam abſolutio.

3. In foro fori ſæpe fertur ſententia in reos abſentes, illos abſoluendo, ſeu damnando. Ergo etiam in foro conſcientiæ poteſt fieri abſolutio alicuius abſentis, cognita per litteras eius cauſa, cum ille adeſſe non poteſt, ut fit à cenſuris.

4. Potuit Chriſtus D. ita inſtituere hoc ſacramentum, ut etiam abſentibus conferretur. Ergo cum pęnitens adeſſe non poteſt, vel quia detinetur in carcere, vel quia ægrotat, conueniens eſt, quòd indulgeat, ut ita fiat.

Concl. *Neque licitè, neque validè poteſt abſolutio ſacramentalis tradi abſenti, per litteras, aut internuncium.*

Probatur 1. Cùm materia pęnitentiæ ſint actus pęnitentis, non poteſt confeſſarius tradere abſolutionem per modum formæ, niſi habeat certitudinem de eorum exiſtentia, aliòquin exponeretur euidenti periculo, ponendi formam ſine materia. Sed non poteſt habere certitudinem de actibus pœnitentis abſentis, quia poſſet accidere, quòd poſt petitam per litteras abſolutionem, retractet contritionem de peccatis ſcriptis, redeundo ad complacentiam de illis. Ergo debet illum habere præſentem, ut per ſigna externa, cognoſcat ſtatum internum illius, & habeat materiam certam.

2. Clemens VIII. die 20. Iunij 1602. hanc propoſitionem, ſcilicèt, *licere per lit-*

litteras, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente, abſolutionem obtinere, ad minùs uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam, damnauit, ac prohibuit, præcepitque, nè deinceps iſta propoſitio publicis, priuatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur. Ergo nunc non eſt materia diſputabilis, ſed determinata, adeòque ut certa habenda eſt. Et nè unquam poſſit in dubium reuocari, ſubduntur pęnæ, *Quòd ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea diſputatiuè tractauerit, niſi forſan impugnando, vel ad praxim deduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, & à qua non poſſit, præterquàm in articulo mortis, ab alio, niſi à prò tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui, alijs etiam pænis arbitrio infligendis ſubiaceat.* Ergo nullus remanet locus diſputandi de hoc.

Ad 1. Nego conſequentiam, non quia factum non ſit certum, ut aliqui ſuſpicantur, nec quia patierit abſolutionem canonicam, nempe à cenſuris, ut docuit Gonettus hic diſp. 12. ar. 4. n. 66., ſed quia illam per litteras non obtinuit, ut patet ex reſponſione Alexandri Tertij, tunc Romanam Eccleſiam gubernantis, qui conceſſit quidem facultatem, ut poſſet à ſacerdote præſente abſolui, non tamen ipſe ab-

ſoluit, niſi à cenſuris, ſeu ab alijs erroribus, vel defectibus, quibus ſe fuiſſe obſtrictum ſanctus ille martyr formidabat. Affero exemplum talis epiſtolæ, deſumptum ab ipſo Gonetto, & eſt huiuſmodi, *Si te recolis aliquid, de quo propria te debeat conſcientia remordere, quidquid ſit, ſacerdoti, qui diſcretus, & prouidus habeatur, tibi conſulimus per pœnitentiam confiteri*. Atqui per pęnitentiam non potuit ſacerdoti confiteri, niſi peccata. Ergo petijt abſolutionem à peccatis, ad quam obtinendam, dedit ei Pontifex facultatem, ut à quocumque illum audiente, de quocumque peccato poſſet abſolui. Et ideo ſubdit, *Quo facto, miſericos Dominus, qui multò amplius ad cor reſpicit, quàm ad actus, tibi conſuetę pietatis ſuę miſeratione dimittit*. Quoad alia, quæ non cadebant ad forum conſcientiæ, ſed ad forum fori, ipſe Pontifex abſoluit, ſubdens, *Et nos de beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius meritis confidentes, te ab eo, quod eſt commiſſum abſoluimus, & idipſum fraternitati tuæ authoritate Apoſtolica relaxamus*.

Ad locum D. Cypriani, reſpondeo cũ Suario diſp. 20. ſect. 3. n. 8. ex eius reſponſione pateſcere, non fuiſſe rogatum de abſolutione ſacramentali à peccatis, ſed de aliqua reconciliatione, ad publicam pœnitentiam pertinente. Et ideo reſcripſit, quòd illam poſſent ab aliquo

præ-

præſente præsbitero obtinere, vel in eorum defectu, etiam à diacono, qui cùm non poſſit ſacramentaliter abſoluere, ut videbimus, probat, cum illo non eſſe ſermonem de abſolutione ſacramentali, ut patet ex eius verbis, *Siqui infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quin apud præsbiterum quemcunque præſentem, vel ſi præsbiter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque ex omologeſim facere delicti ſui poſſit.* Ergo hinc nihil euincitur prò ſententia oppoſita.

Ad 2. Nego conſequentiam, & attulimus loc. cit. diſparitatem inter confeſſionem, & abſolutionem. Quoad matrimonium dico, hoc poſſe fieri per procuratorem, quia ut tale non excedit limites ciuilis contractus, qui non eleuatur ad rationem ſacramenti, niſi quando à præſentibus contrahentibus ratihabetur. Abſolutio verò conſtituit verum ſacramentum, & ideo non currit paritas.

Ad 3. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia in foro fori non tollitur reitas, ſed punitur, vel abſoluitur, pròut apparet probata per teſtes præſentes. At in hoc ſacramento idem penitens eſt reus, & accuſator ſui, cui omninò credendum eſt. Ergo quia debet eſſe ſpontaneus ſui accuſator, & teſtis, debet ſe coram Iudice præſentare, ut reitas auferatur.

Ad

Ad 4. Nego conſequentiam; nam potuit etiam inſtituere, ut per ſacrificia tollerentur peccata, ſicut erat in lege veteri. Cùm ergo determinauerit hoc ſacramentum, & ex eius forma *abſoluo te*, appareat eſſe neceſſariam præſentiam abſoluendi, & ex definitione, & praxi Eccleſiæ conſtet, Chriſtum prò abſentibus non diſpenſaſſe, ex eo quòd potuerit, non valet conſequentia quòd diſpenſauerit.

Nec valet paritas de cenſuris, quia cùm cenſura ſit vinculum eccleſiaſticum, aliquando etiam innodatum abſque delicto, in pęnam alicuius præſuppoſiti, quamuis verè non ſit, non requirit retractationem ex parte cenſurati, ſed poteſt tolli per ſolam extrinſecam condonantionem illius, à quo fuit inflictum. Vinculum autem peccati non tollitur, abſque retractatione peccatoris, per quam remoueat diuinam offenſam, & ideo non poteſt fieri per ſolam condonationem extrinſecam ipſius Dei, ut ſuo loco probabimus. Hoc poſito, quia ſacerdos vicem gerit Dei, non poteſt reum abſoluere, niſi ſibi conſtet, ſaltem moraliter, quòd ſuum peccatum retractauerit, de quo dùm abeſt, certitudinem dare non poteſt.

Vnde ſequitur, abſolutionem debere moraliter ſubſequi peccatorum confeſſionem; aliòquin non haberet cum illa moralem connexionem ſufficientem, ut

poſſit

poſſit illam per modum formæ, veluti informare, & perficere rationem unius ſacramenti. Ex quo deducitur, eſſe falſam doctrinam Ochogauiæ relatam, & approbatam à Diana in ſum. V. *Abſolutio* n. 3. quòd videlicèt ſacerdos poſſit ritè diſpoſitum penitentem dimittere abſque abſolutione, illumque deinde abſoluere aliquãtulum remotum, & aliud agentem. Hic enim non eſſet moraliter præſens. Et ideo vel deberet (ſi poſſet abſque ſcandalo) illum reuocare, vel relinquere ſub bona fide, ut per aliam deinde confeſſionem abſoluatur, directè quidem ab illis, quæ tunc confitebitur, & indirectè ab alijs confeſſis non abſolutis.

Demum patet quàm abſonè operentur illi confeſſarij, qui poſt auditam peccatorum confeſſionem, inſtituunt confabulationes cum pęnitentibus, antequàm illis conferant abſolutionem, quam ita diſiunctam à confeſſione tradere non deberent, niſi prius pęnitentes interrogarent, an doleant de peccatis confeſſis, & an aliorum recordentur, ut videlicèt illa iterum, ſaltem in genere, confiteantur.

DIS.

Digitized by Google

DISPVTATIO DVODECIMA.

De Miniſtro Pœnitentiæ.

QVia forma huius ſacramenti eſt actus miniſtri, expreſſus per illa verba, *te abſoluo*, ſicut materia ſunt actus pœnitentis, ideo ut illa ſit valida, videndum eſt quis debeat eſſe legitimus eius miniſter, & quibus conditionibus ornatus. Quæremus ergo. 1. An hoc conueniat ſolis ſacerdotibus? 2. An omnes ſacerdotes ſint miniſtri? 3. An debeant ab Epiſcopis approbari, & ab illis recipere iuriſdictionem? 4. An debeant eſſe probi, & ſapientes, & in actu ſacramentalis abſolutionis, habere intentionem abſoluendi? Et demum alias conditiones examinabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſolus ſacerdos ſit miniſter huius ſacramenti?

Videtur non eſſe, ut cõtendunt VVi-clephus, & Lutherus, qui putarunt, etiam laicos poſſe eſſe miniſtros. Primò quia D. Tho. in ſupplem. 3. p. q. 8. ar. 2. in corp. apertè ait, *In neceſſitate etiam laicus vicem ſacerdotis ſupplet, ut ei confeſſio fieri poſſit*: & ad 1. *Confeſſio laico, ex ſacerdotis deſiderio facta, ſacramentalis eſt quodammodo, quamuis non ſit ſacramentum perfectum*: & ad 2. *Quamuis laicus non ſit iudex eius, qui ſibi confitetur abſolutè, tamen ratione neceſſitatis, accipit iudicium ſuper eum*: & ad 3. *Quamuis ille laico confeſſus in articulo neceſſitatis, conſecutus ſit veniam à Deo, eò quod propoſitum confitendi, ſicut potuit impleuit, non tamen adhùc Eccleſiæ reconciliatus eſt*: & ar. 4. eiuſd. q. ad 5. *Quòd ſi licentiam habere non poſſit, idem eſt iudicium, quod de illo, qui non habet copiam ſacerdotis, unde magis debet eligere laico confiteri*. Et nè fortè aliquis dubitet de hoc ſupplemento, tamquam de opere alieno à ſcriptis D. Tho. idem docet in 4. d. 17. q. 3. ar. 3. quæſtiunc. 2. ad 1. Vnde non poteſt dubitari, hanc fuiſſe mentem S. Doctoris.

2. Magiſter in 4. d. 17. lit. E. ait, *Si defuerit ſacerdos, proximo, vel ſocio eſt facienda confeſſio.* Et infra, *Tanta vis confeſſionis eſt, ut ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo.* Et inferius, *ſi forte defuerit ſacerdos, confiteri debet ſocio.*

3. Beda in illum locum Iacobi 5. *confitemini alterutrum &c.* inquit, *coæqualibus quotidiana, & leuia, grauiora verò ſacerdoti pandamus.* Super quem locum ſubdit Magiſter, *venialia verò, etiam ſacerdotum oblata copia; licet confiteri coæquali, & ſufficit.*

4. S. Cyprianus lib. 3. ep. ep. 17. docet, *Siquis oppreſſus infirmitate, non potuerit expectare aduentum ſacerdotis, reconcilietur per diaconum, facta priùs confeſſione.* Et Victoria de confeſs. n. 142. & alij, ſuppreſſo nomine, relati à Lugo diſp. 18. ſect. 1. n. 5. dicunt, confeſſionem factam laico, non ut ſacramentum, ſed ut aliquod ſacramentale, ex opere operato prodeſſe, ad remiſſionem venialium.

5. Iacobi 5. dicitur, *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Sed hoc non poteſt referri ad alios Apoſtolos, ſuper quibus Iacobus non habebat poteſtatem. Ergo debet extendi indifferenter ad omnes, etiam laicos.

6. Sicut ad collationem baptiſmi, non requiritur iuriſdictio, eò quia cùm ſit de neceſſitate medij, debet poſſe ubique, &

ab

ab omnibus conferri; ita abſolutio ſacramentalis, quæ lapſis poſt baptiſmum eſt de neceſſitate medij, debet eſſe ab omnibus conferibilis, ſupplente Deo in caſu neceſſitatis, defectum poteſtatis in miniſtro.

7 Quamuis ſimplex ſacerdos non habeat poteſtatem proximam abſoluendi, vel ſimpliciter, vel quoad reſeruata, ex defectu iuriſdictionis, tamen poteſt in articulo mortis, validè ab omnibus, & omnes indifferenter abſoluere, nè morienti deſit remedium ſalutis. Ergo etiam laicus, vel clericus non ſacerdos, poteſt in tali articulo, abſoluere confitentes peccata ſua.

Concl. *Solus ſacerdos eſt miniſter huius ſacramenti, & in nullo caſu poteſt non ſacerdos conferre abſolutionem ſacramentalem.* Eſt communis.

Probatur 1. ex Trid. ſeſs. 14. c. 6. ubi dicitur, *circa miniſtrum huius ſacramenti, declarat ſancta Synodus, falſas eſſe, & à veritate Euangelij penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes, clauium miniſterium pernicioſè extendunt.* Et can. 10. eiuſd. ſeſſ. *Siquis dixerit, non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum, quæcumque ligaueritis &c. & quæcumque ſolueritis &c. quorum verborum*

vir-

tute, quilibet abſoluere poſſit peccata, anathema ſit. Quod etiam in alijs Concilijs fuit damnatum in VVicleffo, ut videre eſt penès Suar. diſp. 24. de pęn. ſect. 1. & Vaſq. q. 93. ar. 1., & alios plures.

2. Abſolutio ſacramentalis eſt actus iudicialis. Ergo non poteſt fieri, niſi à legitimo iudice, habente poteſtatem, & iuriſdictionem; poteſtatem quidem ad ferendam ſententiam, & iuriſdictionem; quia ſententia non poteſt ferri, niſi in ſubditum. Sed ſolus ſacerdos habet poteſtatem abſoluendi, ut Eccleſia interpretatur illud Io. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* & iuriſdictionem, quia ille ſolus delegatur à ſummo Paſtore, mediantibus alijs locorum ordinarijs, ad populum chriſtianum, tamquam ad proprias oues, quoad hoc. Ergo ſolus ſacerdos poteſt abſoluere à peccatis.

3. Ex praxi totius Eccleſiæ, in qua nullus uſquam laico confitetur, & ex traditione immemorabili, quòd ſemper ita fuerit factitatum, quidquid garriant hæretici. Immò neque omnes Sacerdotes poſsunt abſoluere, ex defectu iuriſdictionis. Ergo multò minùs laici, qui ſi poſſent omnes abſoluere, orirentur exinde infinita ſcandala. Ergo erroneum eſt dicere, quòd illi poſſint.

4. Poteſtas clauium non datur, niſi per conſecrationem, ut patet ex verbis Epi-

ſcopi

ſcopi ordinantis Sacerdotes, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Ergo non eſt in laicis. Et ideo ait Toletus in ſum. lib. 3. c. 13. n. 1. *Nullo modo laicus debet abſolutionis verba impendere; & ſi impendat, peccat, & nihil facit, & contrahit irregularitatem.*

Demum, ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ſunt datæ claues regni cęlorum. Sed laici non ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. Ergo illis non ſunt datæ hæ claues, adeòque non poſſunt abſoluendo cęlum aperire.

Dices, eadem eſt poteſtas abſoluendi, atque ligandi; Et ideo Chriſtus dedit ſimul utramque poteſtatem. Sed plures non ſacerdotes, ut electi, officiales, archidiaconi &c. poſſunt per cenſuras ligare. Ergo poſſunt abſoluere.

Reſpondeo, maiorem eſſe veram, ſi poteſtas abſoluendi, & ligandi referatur ad idem forum, falſam autem, ſi ad diuerſum. Cum ergo ligare, vel abſoluere poſſit fieri in foro conſcientiæ, & in foro cõtentioſo, ideo duplicem requirit poteſtatem, unam, quæ dicitur ordinis in foro conſcientiæ, & aliam, quæ dicitur, iuriſdictionis, in foro contentioſo. Sicut ergo unum forum non confunditur cum alio, ita neque actus circa illa; adeòque habens poteſtatem ligandi per excommunicationem in foro contentioſo, non neceſ-

ceſſariò habet poteſtatem abſoluendi in foro conſcientiæ, & viceuerſa, ſed ſolùm in eodem foro. Et ratio eſt, quia ligare, vel abſoluere à cenſura, non eſt per ſe, & directè actus clauium, ſed ſolùm diſpoſitiuè, & indirectè, quatenùs videlicèt mediante Eccleſia militante, itur ad triumphantem. Cùm ergo ligare, vel abſoluere à cenſuris, ſit excludere, vel reuocare ad Eccleſiam militantem, ideo non poteſt eſſe directè, & per ſe actus clauium, quę excludunt, vel introducunt ad triumphantem. Quia tamen excommunicare, vel abſoluere diſponit ad uſum clauium, ideo non poteſt pertinere, niſi ad illum, qui poteſt eſſe ſacerdos. Et hæc eſt ratio, cur Abbatiſſa, & alia quæcumque fęmina non poſſit excommunicare, vel abſoluere, ut habetur extra de maio. & obed. c. *dilecta*, & de pœn. & rem. c. *nona*.

Vrgebis, etiam ad uſum clauium requiritur iuriſdictio, ut dictum eſt. Ergo hæ poteſtates non diſtinguuntur. Nego conſequentiam. Aliud enim eſt poteſtas clauium, & aliud earum uſus. Dico ergo, iuriſdictionem non requiri ad poteſtatem clauium, ſicut requiritur ad poteſtatem in foro contentioſo, quæ numquam eſt ſine iuriſdictione, fundata in prælatura, vel beneficio eccleſiaſtico, ſed ſolum ad eius uſum, ut exerceatur in ſubditos. Ergo ſunt diuerſæ.

Di-

Dices 3. Etiam hoſtiarijs tradũtur claues, cum ordinantur. Ergo poſſunt abſoluere. Nego conſequentiam, quia cùm hæ claues ſint materiales, non habent uſũ, niſi ad claudendum, vel reſerandum templum materiale. Claues autem pęnitentiæ ordinantur ad cęlum, & ideo ſunt ſpirituales.

ARTICVLVS II.

Solvuntur obiecta.

AD prima quattuor dico, allatas auctoritates eſſe intelligendas de confeſſione materialiter facta, ad excitandum ruborem in pœnitente, non autem de ſacramentali, ad obtinendam peccatorum remiſſionem, niſi quatenus huiuſmodi rubor, & confuſio poſſunt diſponere confitentes ad virtutem pœnitentiæ, per quam obtineant veniam peccatorum. Neque obſtat, quod huiuſmodi confeſſio facta laico, dicatur aliquando quid ſacramenti; ſiquidem etiam hoc debet intelligi materialiter, quatenus cùm confeſſio ſit pars ſacramenti, verè poteſt dici eſſe aliquid ſacramentale, non quidem formaliter, ut conſtitutiua ſacramenti de facto, ſed materialiter, ut potens illud conſtituere. Nam ſi explicentur in ordine ad verum, & proprium ſacramentum pœnitentiæ, eſ-

lent

ſent omninò ut falſæ reijciendæ, propter auctoritatem irrefragabilem Eccleſiæ oppoſitum definientis. Præterquamquòd poſſunt etiam exponi de confeſſione publica delictorum, ratione quorum fuerunt peccatores à corpore Eccleſiæ militantis ſeparati. Et ideo quia huiuſmodi confeſſio debebat fieri ſacerdotibus, ut pœnitentes reconciliarentur Eccleſiæ militanti, per ablationem pęnalitatis, in eorum defectu, poterat ſuccedere diaconus, vel unus ex laicis deputatis. Ergo non loquuntur de confeſſione, quę ordinetur immediatè, & per ſe ad reconciliationem cum Eccleſia triumphante.

Ad 5. ductum ex auctoritate D. Iacobi, dico tria. Primum eſt, illum non fuiſſe inſtitutorem huius ſacramenti, ſed Chriſtum D. ut probauimus diſp. 3. ar. 1. Ergo nullam potuit laicis conferre poteſtatem abſoluendi. Aliud eſt, hæc verba, *confitemini alterutrum*, non eſſe imperatiua, ſed adhortatoria, & ideo potuerunt referri ad alios coapoſtolos, quos hortabatur, ad frequentandas confeſſiones, iuxta inſtitutionem factam à Chriſto. Cùm ergo inſtitutio Chriſti fuerit in ſolis ſacerdotibus, non potuit adhortatio cadere, niſi ſupra confeſſiones faciendas ſacerdotibus; aliter fuiſſet inordinata. Tertium eſt, D. Iacobum voluiſſe illis verbis ſignificare, etiam ipſos ſacerdotes indigere confeſſio-

ne

Digitized by Google

ne ſacramentali? Cùm enim & ipſi labantur in errores, debent illos alijs manifeſtare, non tamen laicis, ſed ſacerdotibus, ita ut idem ſacerdos, qui abſoluit alios, abſoluatur ab alio ſacerdote. Niſi velimus dicere, illud verbum *alterutrum*, non eſſe accipiendum rigorosè, ita ut ſignificet cõfeſſionem mutuam, quoad indiuiduum, ſed ſolùm quoad ſpeciem, ita ut ſicut homo alteri confitetur, ita debeat abſoluens alteri confiteri, licèt non ſemper eidem, ſed eiuſdem ſpeciei, & poteſtatis.

Ad 6. Nego paritatem, Primò quia baptiſmus eſt ſimpliciter neceſſarius, & ideo eius defectus ſuppleri non poteſt; at pœnitentiæ ſacramentum, poteſt per virtutem pœnitentiæ ſuppleri. Neque obſtat, quòd etiam baptiſmus in re, poſſit ſuppleri baptiſmo in voto, nõ ſolùm quia hoc de pueris verificari non poteſt, ſed etiam quia adultis nõ ſufficit baptiſmus in voto, cum poſſunt in re baptizari. Deinde quia baptiſmus eſt inſtitutus, aduersus peccatum originale, quod cùm ſit unum, & idem in omnibus, non requirit ſcientiam, & prudentiam in eius miniſtro, ſicut in miniſtro pœnitentiæ, inſtitutæ aduersùs actualia, quæ cùm ſint tot, & ſub tot ſpeciebus, non poſſunt iudicari, niſi à iudice docto, & prudente, cuiuſmodi ſupponuntur ſacerdotes. Quod ſi aliquando etiam laici ſint docti, & prudentes, adeòque ex hoc capite

non excludantur, excluduntur tamen ex alio, nempe ex defectu iuriſdictionis, quam probabimus infra eſſe neceſſariam in miniſtro.

Ad 7. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ſacerdos ex vi ordinis, accipit poteſtatem indefinitam abſoluendi à quocumque peccato, quæ tolli non poteſt per ullam poteſtatem eccleſiaſticam, utpote quæ fundatur in charactere indelebili. Reſeruatio igitur facta à ſuperiore alicuius peccati, non tollit à Sacerdote poteſtatem illud abſoluendi, ſed ſolùm impedit eius uſum quoad illud, per ſubtractionem materiæ, ſubtrahendo ſuas oues ab eius iuriſdictione, quoad tale peccatū, cuius iudicium ſibi reſeruat. Cum ergo Eccleſia non intendat, impedire uſum talis poteſtatis cum morientibus, ideo impedimentum non extenditur ad talem caſum. Laicus verò quia nullo modo habet facultatem abſoluendi, ideo neque poteſt in tali caſu. Et idem dico de Sacerdote non approbato, vel reprobato, quia eius non approbatio, vel reprobatio, ſicut non tollunt poteſtatem clauium, ſed ſolùm impediunt exercitium, poteſt illam exercere cum moribundo, in ordine ad quem ceſſat reprobatio, & approbatur ab Eccleſia, quod de laicis verificari non poteſt.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

An omnes Sacerdotes poſſint abſoluere? Vbi, an, & quomodo requiratur approbatio Epiſcopi?

VIdetur quòd omnes Sacerdotes poſſint ex vi ordinis, independenter ab Ordinarijs, abſoluere omnes, & ſingulos Chriſtianos à quocumque peccato. Primò quia poteſtas accepta à ſuperiore, non poteſt ab inferiore tolli, vel limitari. Sed omnes Sacerdotes acceperunt à Chriſto, qui eſt caput Eccleſiæ, poteſtatem abſoluendi omnes indifferenter. Ergo non poteſt ab ullo homine eorum poteſtas tolli, vel limitari.

2. In Trid. ſeſſ. 14. c. 5. expreſsè dicitur, *D. noſter Ieſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad cælos, ſacerdotes ſuiipſius vicarios reliquit, tamquam præſides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, qui prò poteſtate clauium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient.* Sed hic nulla apponitur clauſula modificatiua poteſtatis. Ergo cùm Tridentinum aſſerat, omnes ſacerdotes habere indefinitam, & illimitatam poteſtatem clauium ad omnia peccata, non eſt cur Epiſcopis limitanda ſubijciatur.

1. Concluſio, *Ad hoc ut ſacerdos, etiam regularis, poſſit licitè, & validè abſoluere pœnitentes ſæculares, debet eſſe ad hoc ſpecialiter ab Epiſcopo approbatus.* Eſt communis.

Probatur 1. ex Trid. ſeſſ. 23. c. 15. Vbi expreſsè dicitur, *Quamuis præsbiteri, in ſua ordinatione, à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam regularem, poſſe confeſſionem ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen (ſi illis videbitur eſſe neceſſariũ) aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineant, priuilegijs, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Ergo de hoc amplius dubitari non poteſt.

2. Ad licitam, & validam abſolutionem requiritur iuriſdictio, ut patebit infra. Sed Eccleſia legitimè coacta Tridenti non vult dare iuriſdictionem, niſi approbatis ab Epiſcopo, vel habentibus parochiale beneficium, quod eſt inſtar approbationis; eò quia ad illud obtinendum, requiratur examen. Ergo ſine tali approbatione, neque licitè, neque validè, poteſt ſacerdos abſoluere, ex defectu iuriſdictionis. Hoc autem decretum extenditur quidem ad omnes ſacerdotes, etiam regulares (quorum videntur per hoc ab-

lata

lata priuilegia) non tamen in ordine ad omnes pœnitentes, quia explicitè loquitur de confeſſionibus ſæcularium. Quare quilibet regularis, de licentia ſui Prælati, poteſt abſolui à quolibet ſimplici ſacerdote, etiam ſæculari, ut infert Card. De Lugo diſp. 21. ſect. 1. n. 2., non tamen Prælati, & Epiſcopi ſæculares, quibus licèt non ſit ablatum priuilegium, eligendi ſibi confeſſarium idoneum, tamen determinatur quis ſit idoneus.

2. Concl. *Non quoties approbatur ſacerdos, confertur illi iuriſdictio.* Ita De Lugo ibid. n. 4.

Probatur, quia approbatio ſolùm declarat idoneitatem, ad iuriſdictionem accipiendam. Ergo illam non confert, & ideo ſe habet ad illam, ut conditio *ſine qua non*, ſicut ſe habet approbatio per examen, ad collationem beneficij. Sicut ergo poſita approbatione ad beneficium, poteſt non ſequi eius collatio, ita ad iuriſdictionem.

3. Concl. *Prælati regulares, non poſſunt, abſque approbatione Epiſcopi, audire ſæcularium confeſſiones.* Ita Suar. diſp. 28. ſect. 4. n. 21. Lugo loc. cit. & Rodriguez in explic. Bullæ §. 9. dub. 1. n. 4.

Probatur, quia talis prælatura non eſt propriè beneficium curatum, ſeu parochiale. Ergo non excuſat ab examine, præſertim cum in regularium prælatos eligan-

28. ſect. 6. n. 6.

Probatur 1. Sacra Congregatio Concilij, penès eumdem ibid. hæc definiuit, *SS. D. N. declarauit, tempore Iubilæi, poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua ſacerdotibus approbatis ab Ordinario, ad audiendas confeſſiones. In bulla enim non ſit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, non autem de Ordinario pęnitentium.* Quòd ſi in bulla iubilæi, illa verba, *approbatus ab Ordinario*, debent exponi, non de Ordinario pęnitentis, ſed confeſſarij, cùm eadem verba ſint in Concilio, debent exponi eodem modo. Deinde quia approbatio eſt actus iuriſdictionis. Ergo non poteſt exerceri, niſi in ſubditum. Sed confeſſarius non eſt ſubditus Epiſcopi pęnitentis, ſed proprij. Ergo debet ab hoc, & non ab illo approbari. Quamuis enim Regularis ſit nullius dięceſis, quia tamen quoad hoc, fuerunt à Concilio ſubiecti Epiſcopis, in quorum dięceſi morantur, ideo & ipſi quoad hoc, habent proprium Epiſcopum.

7. Concluſ. *Requiritur approbatio Epiſcopi ipſius ſacerdotis, non quoad originem, ſed quoad domicilium.* Ita Suar. loc. cit. Lugo diſp. 21. ſect. 2. n. 25.

Prima pars ſequitur ex dictis. Et prætereà probatur, quia hæc approbatio, non ſolùm requiritur, ut teſtimonium idoneitatis, ſed etiam ut teſtimonium ſubiectionis

nis

Digitized by Google

nis, quam præſtare debet hic ſacerdos ſuo Prælato, de cuius tantùm licentia, vult Tridentinum illi cōferri iuriſdictionem. Sed confeſſarius nō debet ſubijci, niſi ſuo Prelato. Ergo ab illo ſolo debet approbari. Neque obſtat, quòd Romanus approbatus Romæ e. g. non poſſit Venetijs audire confeſſiones, abſq; licentia Veneti Ordinarij, quia hæc licentia requiritur, non ad approbationem, ſeu iuriſdictionem, quam iam habet, ſed ad aſſignationem talium ouium, quæ abſque licentia ſui proprij paſtoris, non poteſt fieri, & ſine quibus, non poteſt exercere ullum actum iuriſdictionis. Quòd ſi talis ſacerdos, ponat domicilium Venetijs, requiritur noua approbatio Epiſcopi Veneti, cui factus eſt ſubditus, ut mox patebit.

Probatur ſecunda pars, quia ſi Gallus moretur Venetijs, non debet approbari ab Epiſcopo Pariſino e. g. ſed à Veneto, cuius oues vult ſacramentaliter abſoluere, ut praxis tenet Eccleſiæ. Ergo non ſufficit approbatio Epiſcopi quoad originē, ſed requiritur approbatio Epiſcopi, quoad domicilium. Et ratio eſt, quia iuriſdictio accepta ab Epiſcopo originis, non poteſt extendi extra ſuam diœceſim. Ergo ut extendatur ad Venetos, requiritur licētia Epiſcopi Veneti, à quo approbatus recipiat iuriſdictionem in eius oues. Quòd ſi retento domicilio Pariſijs, moretur ali-

Digitized by Google

28. ſect. 6. n. 6.

Probatur 1. Sacra Congregatio Concilij; penès eumdem ibid. hæc definiuit, *SS. D. N. declarauit, tempore Iubilæi, poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua ſacerdotibus approbatis ab Ordinario, ad audiendas confeſſiones. In bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium.* Quòd ſi in bulla iubilæi, illa verba, *approbatus ab Ordinario*, debent exponi, non de Ordinario pœnitentis, ſed confeſſarij, cùm eadem verba ſint in Concilio, debent exponi eodem modo. Deinde quia approbatio eſt actus iuriſdictionis. Ergo non poteſt exerceri, niſi in ſubditum. Sed confeſſarius non eſt ſubditus Epiſcopi pœnitentis, ſed proprij. Ergo debet ab hoc, & non ab illo approbari. Quamuis enim Regularis ſit nullius diœceſis, quia tamen quoad hoc, fuerunt à Concilio ſubiecti Epiſcopis, in quorum diœceſi morantur, ideo & ipſi quoad hoc, habent proprium Epiſcopum.

7. Concluſ. *Requiritur approbatio Epiſcopi ipſius ſacerdotis, non quoad originem, ſed quoad domicilium.* Ita Suar. loc. cit. Lugo diſp. 21. ſect. 2. n. 25.

Prima pars ſequitur ex dictis. Et præterea probatur, quia hæc approbatio, non ſolùm requiritur, ut teſtimonium idoneitatis, ſed etiam ut teſtimonium ſubiectio-

nis

nis, quam præſtare debet hic ſacerdos ſuo Prælato, de cuius tantùm licentia, vult Tridentinum illi cōferri iuriſdictionem. Sed confeſſarius nō debet ſubijci, niſi ſuo Prælato. Ergo ab illo ſolo debet approbari. Neque obſtat, quòd Romanus approbatus Romæ e. g. non poſſit Venetijs audire confeſſiones, abſq; licentia Veneti Ordinarij, quia hæc licentia requiritur, non ad approbationem, ſeu iuriſdictionem, quam iam habet, ſed ad aſſignationem talium ouium, quæ abſque licentia ſui proprij paſtoris, non poteſt fieri, & ſine quibus, non poteſt exercere ullum actum iuriſdictionis. Quòd ſi talis ſacerdos, ponat domicilium Venetijs, requiritur noua approbatio Epiſcopi Veneti, cum factus eſt ſubditus, ut mox patebit.

Probatur ſecunda pars, quia ſi Gallus moretur Venetijs, non debet approbari ab Epiſcopo Pariſino e. g. ſed à Veneto, cuius oues vult ſacramentaliter abſoluere, ut praxis tenet Eccleſiæ. Ergo non ſufficit approbatio Epiſcopi quoad originē, ſed requiritur approbatio Epiſcopi, quoad domicilium. Et ratio eſt, quia iuriſdictio accepta ab Epiſcopo originis, non poteſt extendi extra ſuam diœceſim. Ergo ut extendatur ad Venetos, requiritur licētia Epiſcopi Veneti, à quo approbatus recipiat iuriſdictionem in eius oues. Quòd ſi retento domicilio Pariſijs, moretur ali-

Digitized by Google

28. ſect. 6. n. 6.

Probatur 1. Sacra Congregatio Concilij; penès eumdem ibid. hæc definiuit, *SS. D. N. declarauit, tempore Iubilæi, poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua ſacerdotibus approbatis ab Ordinario, ad audiendas confeſſiones. In bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, non autem de Ordinario pęnitentium.* Quòd ſi in bulla iubilæi, illa verba, *approbatus ab Ordinario*, debent exponi, non de Ordinario pęnitentis, ſed confeſſarij, cùm eadem verba ſint in Concilio, debent exponi eodem modo. Deinde quia approbatio eſt actus iuriſdictionis. Ergo non poteſt exerceri, niſi in ſubditum. Sed confeſſarius non eſt ſubditus Epiſcopi pęnitentis, ſed proprij. Ergo debet ab hoc, & non ab illo approbari. Quamuis enim Regularis ſit nullius diœceſis, quia tamen quoad hoc, fuerunt à Concilio ſubiecti Epiſcopis, in quorum diœceſi morantur, ideo & ipſi quoad hoc, habent proprium Epiſcopum.

7. Concluſ. *Requiritur approbatio Epiſcopi ipſius ſacerdotis, non quoad originem, ſed quoad domicilium.* Ita Suar. loc. cit. Lugo diſp. 21. ſect. 2. n. 25.

Prima pars ſequitur ex dictis. Et præterea probatur, quia hæc approbatio, non ſolùm requiritur, ut teſtimonium idoneitatis, ſed etiam ut teſtimonium ſubiectio-

nis

nis, quam præſtare debet hic ſacerdos ſuo Prælato, de cuius tantùm licentia, vult Tridentinum illi cõferri iuriſdictionem. Sed confeſſarius nõ debet ſubijci, niſi ſuo Prelato. Ergo ab illo ſolo debet approbari. Neque obſtat, quòd Romanus approbatus Romæ e. g. non poſſit Venetijs audire confeſſiones, abſq; licentia Veneti Ordinarij, quia hæc licentia requiritur, non ad approbationem, ſeu iuriſdictionem, quam iam habet, ſed ad aſſignationem talium ouium, quæ abſque licentia ſui proprij paſtoris, non poteſt fieri, & ſine quibus, non poteſt exercere ullum actum iuriſdictionis. Quòd ſi talis ſacerdos, ponat domicilium Venetijs, requiritur noua approbatio Epiſcopi Veneti, cum factus eſt ſubditus, ut mox patebit.

Probatur ſecunda pars, quia ſi Gallus moretur Venetijs, non debet approbari ab Epiſcopo Pariſino e. g. ſed à Veneto, cuius oues vult ſacramentaliter abſoluere, ut praxis tenet Eccleſiæ. Ergo non ſufficit approbatio Epiſcopi quoad originẽ, ſed requiritur approbatio Epiſcopi, quoad domicilium. Et ratio eſt, quia iuriſdictio accepta ab Epiſcopo originis, non poteſt extendi extra ſuam diœceſim. Ergo ut extendatur ad Venetos, requiritur licẽtia Epiſcopi Veneti, à quo approbatus recipiat iuriſdictionem in eius oues. Quòd ſi retento domicilio Pariſijs, moretur ali-

28. ſect. 6. n. 6.

Probatur 1. Sacra Congregatio Concilij; penès eumdem ibid. hæc definiuit, *SS. D. N. declarauit, tempore Iubilæi, poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua ſacerdotibus approbatis ab Ordinario, ad audiendas confeſſiones. In bulla enim non ſit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, non autem de Ordinario pęnitentium.* Quòd ſi in bulla iubilæi, illa verba, *approbatus ab Ordinario*, debent exponi, non de Ordinario pęnitentis, ſed confeſſarij, cùm eadem verba ſint in Concilio, debent exponi eodem modo. Deinde quia approbatio eſt actus iuriſdictionis. Ergo non poteſt exerceri, niſi in ſubditum. Sed confeſſarius non eſt ſubditus Epiſcopi pęnitentis, ſed proprij. Ergo debet ab hoc, & non ab illo approbari. Quamuis enim Regularis ſit nullius diœceſis, quia tamen quoad hoc, fuerunt à Concilio ſubiecti Epiſcopis, in quorum diœceſi morantur, ideo & ipſi quoad hoc, habent proprium Epiſcopum.

7. Concluſ. *Requiritur approbatio Epiſcopi ipſius ſacerdotis, non quoad originem, ſed quoad domicilium.* Ita Suar. loc. cit. Lugo diſp. 21. ſect. 2. n. 25.

Prima pars ſequitur ex dictis. Et prætereà probatur, quia hæc approbatio, non ſolùm requiritur, ut teſtimonium idoneitatis, ſed etiam ut teſtimonium ſubiectionis

nis

nis, quam præſtare debet hic ſacerdos ſuo Prælato, de cuius tantùm licentia, vult Tridentinum illi cōferri iuriſdictionem. Sed confeſſarius nō debet ſubijci, niſi ſuo Prelato. Ergo ab illo ſolo debet approbari. Neque obſtat, quòd Romanus approbatus Romæ e. g. non poſſit Venetijs audire confeſſiones, abſq; licentia Veneti Ordinarij, quia hæc licentia requiritur, non ad approbationem, ſeu iuriſdictionem, quam iam habet, ſed ad aſſignationem talium ouium, quæ abſque licentia ſui proprij paſtoris, non poteſt fieri, & ſine quibus, non poteſt exercere ullum actum iuriſdictionis. Quòd ſi talis ſacerdos, ponat domicilium Venetijs, requiritur noua approbatio Epiſcopi Veneti, cui factus eſt ſubditus, ut mox patebit.

Probatur ſecunda pars, quia ſi Gallus moretur Venetijs, non debet approbari ab Epiſcopo Pariſino e. g. ſed à Veneto, cuius oues vult ſacramentaliter abſoluere, ut praxis tenet Eccleſiæ. Ergo non ſufficit approbatio Epiſcopi quoad originē, ſed requiritur approbatio Epiſcopi, quoad domicilium. Et ratio eſt, quia iuriſdictio accepta ab Epiſcopo originis, non poteſt extendi extra ſuam diœceſim. Ergo ut extendatur ad Venetos, requiritur licētia Epiſcopi Veneti, à quo approbatus recipiat iuriſdictionem in eius oues. Quòd ſi retento domicilio Pariſijs, moretur ali-

1. Concluſio, *Ad hoc ut ſacerdos, etiam regularis, poſſit licitè, & validè abſoluere pœnitentes ſæculares, debet eſſe ad hoc ſpecialiter ab Epiſcopo approbatus.* Eſt communis.

Probatur 1. ex Trid. ſeſſ. 23. c. 15. Vbi expreſsè dicitur, *Quamuis præsbiteri, in ſua ordinatione, à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam regularem, poſſe confeſſionem ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen (ſi illis videbitur eſſe neceſſariū) aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineant, priuilegijs, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Ergo de hoc amplius dubitari non poteſt.

2. Ad licitam, & validam abſolutionem requiritur iuriſdictio, ut patebit infra. Sed Eccleſia legitimè coacta Tridenti non vult dare iuriſdictionem, niſi approbatis ab Epiſcopo, vel habentibus parochiale beneficium, quod eſt inſtar approbationis; eò quia ad illud obtinendum, requiratur examen. Ergo ſine tali approbatione, neque licitè, neque validè, poteſt ſacerdos abſoluere, ex defectu iuriſdictionis. Hoc autem decretum extenditur quidem ad omnes ſacerdotes, etiam regulares (quorum videntur per hoc ab-

lata

lata priuilegia) non tamen in ordine ad omnes pœnitentes, quia explicitè loquitur de confeſſionibus ſæcularium. Quare quilibet regularis, de licentia ſui Prælati, poteſt abſolui à quolibet ſimplici ſacerdote, etiam ſæculari, ut infert Card. De Lugo diſp. 21. ſect. 1. n. 2., non tamen Prælati, & Epiſcopi ſæculares, quibus licèt non ſit ablatum priuilegium, eligendi ſibi confeſſarium idoneum, tamen determinatur quis ſit idoneus.

2. Concl. *Non quoties approbatur ſacerdos, confertur illi iuriſdictio.* Ita De Lugo ibid. n. 4.

Probatur, quia approbatio ſolùm declarat idoneitatem, ad iuriſdictionem accipiendam. Ergo illam non confert, & ideo ſe habet ad illam, ut conditio *ſine qua non*, ſicut ſe habet approbatio per examen, ad collationem beneficij. Sicut ergo poſita approbatione ad beneficium, poteſt non ſequi eius collatio, ita ad iuriſdictionem.

3. Concl. *Prælati regulares, non poſſunt, abſque approbatione Epiſcopi, audire ſæcularium confeſſiones.* Ita Suar. diſp. 28. ſect. 4. n. 21. Lugo loc. cit. & Rodriguez in explic. Bullæ §. 9. dub. 1. n. 4.

Probatur, quia talis prælatura non eſt propriè beneficium curatum, ſeu parochiale. Ergo non excuſat ab examine, præſertim cum in regularium prælatos eligan-

tur interdum omnium imperitiſſimi. E ideo videmus in praxi, huiuſmodi præla tos requirere ab Epiſcopis approbatione quamuis aliquando, etiam ſine examine conferatur, ad libitum Epiſcoporum. E ratio eſt, quia hæc prælatura reſtringitu ad regulares ſubditos, & non extenditu ad ſæculares, & quamuis aliquando exten datur quoad dominium, non tamen ex tenditur quoad hoc, niſi Prælati ſint Ab bates mitrati, qui cùm veniant ſub nomi ne Epiſcoporum, habent etiam iuriſdi ctionem eccleſiaſticam, in ſæculares ſib ſubiectos, & de his non loquimur hic.

4. Concl. *Non ſufficit approbatio uni Epiſcopi, ut poſſit in diœceſi alterius, aud re confeſſiones.* Ita Suar. diſp. 28. ſect. Vaſq. q. 93. ar. 3. dub. 4.

Probatur 1. Extat decretum Vrban VIII. editum anno 1628. quo reuocan omnes facultates audiendi confeſſiones abſque approbatione Epiſcopi Diœceſa ni, & Ordinarij. Sed unius Epiſcopu neque eſt Diœceſanus, neque Ordinarius reſpectu alterius. Ergo eius approbati non ſufficit in alterius Diœceſi. Deinde ſi approbatio unius Epiſcopi, valeret in Diœceſi alterius, unus Epiſcopus poſſe approbare omnes ſacerdotes totius mun di, qui poſſent audire confeſſiones ubi que locorum, & gentium, etiam inuiti diœceſanis; & ordinarijs, unde multa

ſcan-

ſcandala orirentur. Ergo iuſtiſſimum eſt, ut qui velit exercere actus iuriſdictionales, in oues alicuius diœceſis, id faciat de conſenſu proprij paſtoris.

5. Concluſio, *Ad audiendas confeſſiones diœceſanorum illius Epiſcopi, à quo fuit ſacerdos approbatus, non requiritur approbatio Epiſcopi illius loci, in quo fit confeſſio.*

Probatur praxi totius Eccleſiæ, per quã Epiſcopi, & Parochi poſſunt ſuos diœceſanos abſoluere ſacramentaliter, ubicumque illos inuenerint; & ſi Indus inueniret Venetijs, vel Neapoli ſuum Epiſcopũ, vel Parochum, poſſet ab illo ſacramentaliter abſolui, abſq; licentia Epiſcopi Veneti, vel Neapolitani. Et ratio eſt, quia approbatio, & conſenſus Epiſcopi loci, non requiruntur, niſi in ordine ad proprias oues. Sed Indus non ſpectaret ad ouile talium Epiſcoporum, ſed ipſius Epiſcopi, vel Parochi indicarum regionum. Ergo non requirerentur approbatio, & conſenſus talium Epiſcoporum. Quòd ſi Indus poſuiſſet ſuum domicilium Venetijs, quia tunc reliquiſſet diœceſim indicam, & factus eſſet Venetæ diœceſis, ſequeretur conditionem Venetorum, nec poſſet ampliùs abſolui ab indico Epiſcopo, vel Parocho, niſi de licentia Epiſcopi Veneti.

6. Concluſ. *Non requiritur approbatio Epiſcopi ipſius pœnitentis.* Ita Suar. diſp.

28. ſect. 6. n. 6.

Probatur 1. Sacra Congregatio Concilij, penès eumdem ibid. hæc definiuit, *SS. D. N. declarauit, tempore Iubilæi, poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua ſacerdotibus approbatis ab Ordinario, ad audiendas confeſſiones. In bulla enim non ſit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, non autem de Ordinario pęnitentium.* Quòd ſi in bulla iubilæi, illa verba, *approbatus ab Ordinario*, debent exponi, non de Ordinario pęnitentis, ſed confeſſarij, cùm eadem verba ſint in Concilio, debent exponi eodem modo. Deinde quia approbatio eſt actus iuriſdictionis. Ergo non poteſt exerceri, niſi in ſubditum. Sed confeſſarius non eſt ſubditus Epiſcopi pęnitentis, ſed proprij. Ergo debet ab hoc, & non ab illo approbari. Quamuis enim Regularis ſit nullius dięceſis, quia tamen quoad hoc, fuerunt à Concilio ſubiecti Epiſcopis, in quorum dięceſi morantur, ideo & ipſi quoad hoc, habent proprium Epiſcopum.

7. Concluſ. *Requiritur approbatio Epiſcopi ipſius ſacerdotis, non quoad originem, ſed quoad domicilium.* Ita Suar. loc. cit. Lugo diſp. 21. ſect. 2. n. 25.

Prima pars ſequitur ex dictis. Et prætereà probatur, quia hæc approbatio, non ſolùm requiritur, ut teſtimonium idoneitatis, ſed etiam ut teſtimonium ſubiectio-

nis

mis, quam præſtare debet hic ſacerdos ſuo Prælato, de cuius tantùm licentia, vult Tridentinum illi cōferri iuriſdictionem. Sed confeſſarius nō debet ſubijci, niſi ſuo Prelato. Ergo ab illo ſolo debet approbari. Neque obſtat, quòd Romanus approbatus Romæ e. g. non poſſit Venetijs audire confeſſiones, abſq; licentia Veneti Ordinarij, quia hæc licentia requiritur, non ad approbationem, ſeu iuriſdictionem, quam iam habet, ſed ad aſſignationem talium ouium, quæ abſque licentia ſui proprij paſtoris, non poteſt fieri, & ſine quibus, non poteſt exercere ullum actum iuriſdictionis. Quòd ſi talis ſacerdos, ponat domicilium Venetijs, requiritur noua approbatio Epiſcopi Veneti, cum factus eſt ſubditus, ut mox patebit.

Probatur ſecunda pars, quia ſi Gallus moretur Venetijs, non debet approbari ab Epiſcopo Pariſino e. g. ſed à Veneto, cuius oues vult ſacramentaliter abſoluere, ut praxis tenet Eccleſiæ. Ergo non ſufficit approbatio Epiſcopi quoad originē, ſed requiritur approbatio Epiſcopi, quoad domicilium. Et ratio eſt, quia iuriſdictio accepta ab Epiſcopo originis, non poteſt extendi extra ſuam diœceſim. Ergo ut extendatur ad Venetos, requiritur licētia Epiſcopi Veneti, à quo approbatus recipiat iuriſdictionem in eius oues. Quòd ſi retento domicilio Pariſijs, moretur ali-

quandiù Venetijs, iam habet duos Ordinarios, domicilij, & loci. Ergo debet ab utroque approbari, ut utrobique poſſit abſoluere.

Ad 1. Concedo totum, quod non infringit aſſertas concluſiones, in quibus nuſquam diximus, eſſe neceſſariam approbationem, ad conferendam abſoluendi poteſtatem, ſed ſolùm ad illam exercendam. Quia ergo non poteſt exerceri, niſi per modum iudicij, & iudicium non cadat, niſi in ſubditos, ideo ad hoc ut ſacerdos poſſit abſoluere ex vi ordinis, debet acquirere ſubditos. Atque adeo quia omnes Chriſtiani ſunt ſubditi Romani Pontificis, qui eſt Paſtor uniuerſalis, & cũ hic diſtribuerit ſuas oues regendas ab Ordinarijs, ideo ut aliquis ſacerdos exerceat iuriſdictionem abſolutionis in aliquas oues, requiritur facultas illius Paſtoris, ad cuius curam ſpectant, & cuius cuſtodiæ ſunt commiſſæ, qui proinde illum approbando, non dat, ſeu limitat poteſtatem clauium, ſed conſignat oues abſoluẽdas, per quarum ſubtractionem, vel limitationem, non tollitur, ſeu limitatur poteſtas, ſed ſolùm exercitium.

Ad 2. Nego conſequentiam. Quamuis enim in tali loco Tridentinum non afferat neceſſitatem approbationis, illam tamen affert in alijs locis, & præcipuè ſeſſ. 14. c. 7. ubi inquit, *Quoniam natura, &*

ratio

ratio iudicij illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos tantùm feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe hæc Synodus confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe, quam ſacerdos in eum, profert, in quem non habet ordinariam, aut ſubdelegatam poteſtatem. Vnde patet, quòd ſacerdotes non habentes ordinariã abſoluendi poteſtatem proximam, ſicut habent Epiſcopi, & parochi, debeant habere ſubdelegatam ab iiſdem, ſine qua non validè abſoluerent, ex defectu iuriſdictionis, omninò neceſſariæ ad iudicandum, ut docent Vaſq. q. 93. ar. 1. dub. 2. Antonin. Maior, Angel. & Catherinus, quibus videtur accedere Paludanus.

Dices cum Gonetto diſp. 9. ar. 2. n. 18. Ergo ſi ſacerdotes per approbationem, non habent ab Eccleſia poteſtatem, quam completam habuerunt à Chriſto, ſed ſolam materiam, poſſent etiam non approbati abſoluere validè, licèt illicitè, ſicut Epiſcopi titulares poſſunt validè, ſed illicitè conferre ſacramenta confirmationis, & ordinis, quo ductus, inuehitur contra Vaſquez.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia collatio talium ſacramentorum non fit per modum iudicij, ſicut fit abſolutio ſacramentalis. Ergo iuriſdictio non requiritur ad valorem illorum, ſicut ad hujus valorẽ, cùm ſit eſſentiale iudicij, quòd

feratur in ſubditum. Atque adeo quia traditio ſubditi, non poteſt fieri, niſi ab habente in illum ordinariam poteſtatem, ideo optimè concludit Vaſquez loc. cit. n. 26. quòd debeat fieri, arbitrio ſummi Chriſti Vicarij, & aliorum Epiſcoporum, ſine qua ſacerdotes ſubdelegati, non haberent proximam abſoluendi poteſtatem, quæ completur per ſubditorum aſſignationem. Neque per hoc inciditur in ſententiam Armacani, ut contendit Gonetus, quia hic docet, quemlibet ſacerdotem, ex vi ordinis, habere facultatem completam validè abſoluendi, quamuis non poſſint licitè abſoluere, niſi illos, qui velint, abſolui ab illis. Nos autem dicimus, neque validè, neque licitè poſſe abſoluere, niſi quos illis Eccleſia ſubditos aſſignauerit, & huiuſmodi aſſignationem vocamus iuriſdictionem, quam dicimus eſſe omninò neceſſariam, ad valorem abſolutionis, ut patebit ar. ſequenti. Ergo toto cęlo diſtamus ab Armacano.

ARTICVLVS IV.

An ad valorem abſolutionis, requiratur iuriſdictio in abſoluente? Et quid illa ſit.

VIdetur non requiri, Primò quia poteſtas abſoluendi habetur iure diuino, ex vi ordinis. Ergo non pendet ab

Ec-

Eccleſia. 2. Si eſſet indiſpenſabiliter neceſſaria iuriſdictio, Papa, qui nullius eſt ſubditus, à nullo poſſet abſolui. 3. In articulo mortis conſtitutus, quilibet à quolibet ſacerdote poteſt abſolui. 4. Quilibet ſimplex ſacerdos poteſt abſoluere quoslibet à venialibus, quòd non eſſet, ſi requireretur iuriſdictio. Ergo non requiritur.

Prò reſolutione, nomine iuriſdictionis intelligimus in præſenti, poteſtatem ad imperandum in foro interiori conſcientiæ. Hæc autem eſt triplex, videlicèt ordinaria, delegata, & iure conceſſa. Ordinaria eſt illa, quæ reſultat ex officio, ſeu beneficio, cui eſt eſſentialiter anneχa, ut eſt illa, quam habent Parochi, Epiſcopi, & Papa, quibus ex officio incumbit animarum cura. Delegata eſt illa, quæ habetur ex commiſſione, ſeu licentia horum. Et hæc poteſt conferri, vel expreſsè, ut cum Ordinarius manifeſtè concedit alteri, ut in ſua diœceſi poſſit audire confeſſiones; vel tacitè, ut cum Epiſcopus, aut Parochus, videns aliquem audire confeſſiones in ſua diœceſi, tacet. A iure conceſſa eſt illa, quæ confertur ab ipſo iure, ut eſt illa, quæ reſultat ſacerdoti, ex priuilegio, quod habet pœnitens, eligendi ſibi confeſſarium.

1. Concl. *Ad valorem abſolutionis requiritur iuriſdictio, non tamen ſufficit delegata tacitè collata, ſed debet eſſe, vel ordinaria,*

ria, vel delegata expreſsè collata.

Probatur prima pars, primò quia nemo poteſt abſoluere à peccatis, niſi qui habet poteſtatem, imperandi aliquid in eorum ſatisfactionem. Sed imperium non cadit, niſi in ſubditos. Ergo neque poteſt abſoluere, niſi ſubditos, in quos habeat iuriſdictionem. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Maior probatur, *ſacerdotis abſolutio non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annunciandi euangelium, vel declarandi, remiſſa eſſe peccata* (ut docet Trid. ſeſſ. 14. c. 6.) *ſed ad inſtar actus iudicialis, quo ab ipſo velut à iudice, ſententia pronunciatur*. Sed nemo poteſt ſententiam pronunciare, niſi in ſubditos. Ergo neque abſoluere à peccatis, niſi ſubditos. Deinde idem ibid. c. 7. docet, *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quā ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem*. Ergo iuriſdictio requiritur, non ſolùm ut licitè, ſed etiam ut validè abſoluatur.

Probatur ſecunda pars ex eod. Trid. ſeſſ. 14. c. 15. ubi decernitur, *nullum poſſe ſæcularium confeſſiones audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneſi-*

neficium, aut ab Epiſcopis approbationem obtineat, per quam expreſsè recipiat iuriſdictionem. Ergo non ſufficit ſubdelegata tacitè collata. Vnde remanet probata tertia pars, quòd ſit neceſſaria iuriſdictio, vel ordinaria, vel delegata expreſsè à delegante collata.

2. Concl. *Non poteſt Parochus in ſua diœceſi conferre iurisdictionem ſimplici ſacerdoti ſæculari ab Epiſcopo non approbato.* Ita Suar. diſp. 28. ſect. 4. n. 7. De Lugo diſp. 21. ſect. 1. n. 6. Facundez, Villalobos, Faij, & alij plures.

Probatur, quia decreto illo toties citato Tridentini ſeſſ. 23. c. 15. nulla ſit mentio parochorum, ſed ſolùm Epiſcoporum, in ordine ad collationem huius iuriſdictionis per illa verba, *aut ab Epiſcopis per examen &c.* Ergo cùm Concilium loquatur vniuerſaliter, nullum eſſe aptum ad audiendas confeſſiones ſæcularium, niſi fuerit parochus, vel approbatus, non quidem à parocho, ſed ab Epiſcopo, ſequitur, non poſſe parochum huiuſmodi iuriſdictionem conferre.

Dices, parochis non fuit ablata facultas ſubdelegandi, quam priùs habebant. Ergo poſſunt adhùc in ſua diœceſi, conferre alijs hanc iuriſdictionem.

Card. De Lugo loc. cit. n. 7. reſpondet, admiſſo antecedenti, negando conſequentiam, non ex defectu iuris in delegante,

ſed

ſed ex defectu capacitatis in delegandis. Cùm enim Concilium reddiderit incapaces, ad percipiendam hanc iuriſdictionẽ, omnes illos, qui non ſunt approbati ab Epiſcopo, non remanet parochis cui conferant iuriſdictionem ſubdelegatam, ex pura ſubtractione materiæ. Sed hæc doctrina non videtur vera, quia cùm datio, & acceptio ſint correlatiua, ablato uno, aufertur & aliud. Sicut ergo ablata poteſtate dandi, aufertur poteſtas recipiendi, ita ablata poteſtate recipiendi, aufertur indirectè poteſtas dandi, ſaltem eius impeditur exercitium. Quare nego antecedens, & dico per tale decretum fuiſſe parochis demptam hanc facultatem indirectè, vel ſaltem impeditum eius exercitium. An autem illam expeditam retineant, in ordine ad Regulares, examinabimus articulis ſubſequentibus.

2. Concl. *Parochus, abſque approbatione Epiſcopi, poteſt audire confeſſiones exiſtentium in alienis diœceſibus, cum ſolo conſenſu proprij parochi.* Ita Delugo ibid. n. 8. Suar. diſp. 28. ſect. 4. n. 16. Vaſq. q. 93. ar. 3. dub. 4. n. 2. Henriq. Facundez &c.

Probatur 1. Quia Parochi habent iuriſdictionem ordinariam in ſuis diœceſibus. Ergo poſſunt ſe inuicem ſubdelegare, in mutuum auxilium. Deinde, concilium reliquit Parochos, quoad hoc, in poſſeſſione ſui iuris, ſicut reliquit Epiſcopos.

pos. Ergo cùm ante Concilium hoc poſ-ſent, poſſunt etiam nunc. Quòd ſi ali-quis parochus dimittat parochiale benefi-cium, redigitur in ordinem cæterorum; adeòque abſque approbatione Epiſcopi iterum obtinenda, non poteſt audire ſæ-cularium confeſſiones, etiam de conſenſu eorum parochi. Et ratio eſt, quia cùm iuriſdictio ordinaria, quam habuit, fuerit annexa beneficio, illo depoſito, amittitur. Ergo non poteſt ampliùs iudicare, niſi per iuriſdictionem delegatam.

3. Concl. *Parochus poteſt eligi, tam-quam approbatus ab ordinario, tempore iubilæi, vel ab habentibus bullam cruciatæ.* Ita De Lugo diſp. 21. ſect. 1. n. 14. Hen-riquez, Facundez, Bonaccina &c.

Probatur, quia Parochus accipit bene-ficium à Papa, vel à ſuo Epiſcopo, vel à Legatis, Nuncijs &c. Sed omnes hi com-prehenduntur nomine Ordinarij, ut pro-bat Sanchez de mat. diſp. 28. Ergo cenſe-tur approbatus ab Ordinario.

4. Concl. *Si aliquis abſoluat, non ha-bens iuriſdictionem, ſed communiter cen-ſeatur habere, & ut talis toleretur ab Or-dinarijs, validè abſoluit, ſed illicitè.* Ita Diana in ſum. V. *Confeſſarius* n. 9. qui ci-tat pro ſe Pontium, & alios.

Probatur, quia error communis, ac titulus coloratus, ob bonum commune, videntur eſſe admiſſa conditio, ſub qua

Eccle-

Eccleſia conferat iuriſdictionem, ſalte tacitè. Ergo talis ſacerdos cenſetur hab re iuriſdictionem ſufficientem, ad valid abſoluendum, quamuis grauiter peccet propter contumaciam, & inobſeruantia præcepti Eccleſiaſtici, & propter pruder periculum nullitatis, cui exponit confe ſiones pęnitentium, quibus ipſe imperti tur abſolutionem. Quòd ſi inuincibilite putet, ſe habere iuriſdictionem, qua verè non habet, excuſatur à peccato.

Ad 1. Diſtinguo conſequens, poteſta abſoluendi non pendet ab Eccleſia quoad ſubſtantiam, concedo: quoad modu exercitij, nego. Quia ergo non poteſt re duci ad actum, niſi ſupra ſubditos (ut di ctum eſt) & ſubditi debeant aſſignari a Eccleſia, cui commiſſa eſt cura totius ou lis Chriſti, ideo quoad modum exerciti pendet ab Eccleſia, à qua traditur iuri dictio. Neque obſtat, quòd Apoſtol fuerit tradita etiam iuriſdictio, cum po teſtate abſoluendi; nam hoc fuit, non præcisè ex vi ordinis, ſed e ſpeciali priui legio, quo Chriſtus Apoſtolos condeco rauit.

Ad 2. Nego antecedens. Quamuis enim Papa de iure nullius hominis ſit ſubditus tamen cum eligit confeſſarium, illique exponit ſua peccata, facit ſe eius ſubditum quoad hoc, & illi tradit iuriſdictionem in ſe, in ordine ad hunc actum. Et ide

Papa

Digitized by Google

Papa genuflectit coram confeſſario ſedente, ut ſe oſtendat illi ſubiectum.

Ad 3. Dico, Eccleſiam ſemper conſueuiſſe, omnibus ſacerdotibus tradere iuriſdictionem in omnes, qui in mortis articulo ſunt conſtituti, reſpectu quorum nulla eſt criminum, aut cenſurarum reſeruatio, ut declarat Trid. ſeſſ. 14. c. 7. *Nè hac occaſione aliquis pereat, in Eccleſiæ Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atq; adeo omnes ſacerdotes quoslibet penitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.*

Ad 4. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia cùm ad venialium confeſſionem non detur præceptum Eccleſiaſticum, ut patet ex Lateran. & Trid. non poſſunt fideles cogi ad illorum confeſſionem. Ergo cùm iuriſdictio ſit neceſſaria ad hoc, ut qui tenentur poſſint cogi, ad hoc ut ſuæ obligationi ſatisfaciant, ad venialium confeſſionem non requiritur iuriſdictio. Neque obſtat, quòd etiam ipſa abſoluantur per actum iudicialem. Siquidem cùm Paſtores Eccleſiæ eorum iudicium ſibi nō reſeruauerint, reliquerunt arbitrio cuiuſlibet ſacerdotis, ut poſſint illos abſoluere, qui ſponte ſe illis tradiderint iudicandos. Vnde ſequitur, quòd ad illorum abſolutionem, ſufficiat priuata illa ſubiectio penitentium, ut docet Caietanus tom. 1. opuſc. trac. 7. & in ſum. V. *abſolutio* n. 2.

licèt

licèt Suar. diſp. 26. ſect. 5. n. 4. hanc ſententiam reijciat, ut improbabilem) quæ licèt dici non poſſit iuriſdictio Eccleſiaſtica, utpote quæ non prouenit ab Eccleſia, quæ ſe habet ad hunc actum merè permiſſiuè, tamen vocari poteſt iuriſdictio acquiſita, ex vi ſpontaneæ ſubiectionis, qua ſe reus ſubmiſit iudicandum tali Iudici, ut faciunt eligentes compromiſſarios, qui licèt non habeant à Principe facultatem iudicandi, illam acquirunt ad illum actum, ab ipſis eligentibus, Principe tacite conſentiente.

ARTICVLVS V.

An ſit neceſſarium confiteri proprio confeſſario?

Videtur non eſſe neceſſarium. Primò quia quod eſt neceſſarium ad ſalutem, non debet uni homini coarctari. Sed hoc ſacramentum lapſis poſt baptiſmum, eſt neceſſarium ad ſalutem. Ergo non debet ſoli proprio coarctari. 2. Hoc ſacramentum eſt adæquatè inſtitutum in bonum pœnitentium. Sed magis promouetur eorum bonum, ſine tali reſtrictione. Ergo non debet poni. 3. Multi ſunt, qui non habent proprium ſacerdotem, ut Papa, Epiſcopi, & Regulares. Ergo ſi tenerentur proprio confiteri, non poſſent

ulli confiteri.

1. Concluſio, *Omnes tenentur proprio confeſſario confiteri, nec poſſunt alteri confiteri, niſi per priuilegium, vel de licentia proprij.* Ita D. Tho. in ſuppl. q. 8. ar. 4. & eſt communis.

Probatur prima pars. Nemo poteſt iudicari, ſecundùm legem communem, niſi ab eo, qui habet in ſe ordinariam iuriſdictionem. Sed pœnitentes iudicantur à ſacerdotibus, dum abſoluuntur in foro pœnitentiæ. Ergo non poſſunt abſolui, niſi ab illis, qui habent in ſe iuriſdictionem, qui dicuntur confeſſarij proprij, quorum nomine intelligimus illos, qui habent poteſtatem ordinariam, ut Papa, Epiſcopus, Parochus, nã habens iuriſdictionem delegatã, non dicitur proprius, niſi impropriè.

Probatur ſecunda pars, quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Ergo cenſetur Parochus abſoluere quando alius de eius licentia abſoluit. Priuilegium autem quia venit à poteſtate ſuperiore, eximit priuilegiatum, quoad hoc, à ſubiectione ſui ordinarij, & conſtituit illum ſub alterius poteſtate. Ergo hic, reſpectu illius, cenſetur proprius. Atque adeo cùm Regulares habeant priuilegiũ, omnium confeſſiones excipiendi, poſſunt omnes, illis tamquam proprijs confiteri, dummodò habeant requiſita ad abſoluendum.

2. Con-

2. Concluſ. *Excommunicatus vitandus, quamuis eſſet approbatus, & proprius, illicitè, & inualidè abſoluit; ſi tamen non ſit vitandus, illicitè quidem, ſed validè abſoluit.*

Probatur prima pars, quia excommunicatus vitandus priuatur omni iuriſdictione Eccleſiaſtica, in utroque foro. Ergo non ſolùm illicitè, ſed inualidè abſoluit, ob defectum iuriſdictionis, ut docent Suar. de cenſuris diſp. 11. ſect. 2. Valentia diſp. 3. puncto 3. Ioſeph Aug. de pœn. n. 8. Toletus in ſum. lib. 3. c. 10. n. 3.

Probatur ſecũda, quia excõmunicatus nõ vitandus, non amittit iuriſdictionem, ſed illam retinet ligatam præcepto Eccleſiaſtico, nè exeat in actum. Ergo abſoluendo, peccat quidem, quia facit contra præceptum, tamen validè, abſoluit, quia poteſt ſimpliciter abſoluere, ut docent Figliuccius to. 1. trac. 14. c, 3. n. 70. Ioſeph Aug. & Toletus ibidem.

3. Concl. *In articulo mortis, omnes ſacerdotes, licèt excommunicati, hæretici, ſchiſmatici, immò & degradati (ſi alius deſit) poſſunt validè, & licitè abſoluere.* Ita Toletus loc. cit. Diana in ſum. V. *Confeſſarius* nu. 14. Mendoza volum. 1. de fide diſp. 84. ſect. 8. §. 139. & alij ſatis communiter.

Probatur ex Trid. ſeſſ. 14. c. 7. ubi dicitur, *omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes*

tes

tes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt, ubi ſicut particula *quoslibet*, comprehendit omnes pœnitentes, ita per ly *omnes ſacerdotes*, comprehenduntur omnes ſacerdotes cuiuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtant. Nomine autem articuli mortis, non intelligitur tantùm ille ſtatus, in quo deſperata eſt ſalus ægroti, ſed etiam cum adeſt probabiliter periculum proximum mortis, ut eſt prima dies morbi periculoſi, uſque ad ultimam, ſecũdùm Sancium diſp. ſelect. 12. nu. 5. Celeſtin. trac. 1. cap. 13. q. 1. quod explicant exemplo pleuritidis, doloris lateris &c. Inſuper in tali ſtatu dicuntur eſſe damnati ad mortem, naufragantes, remigas, & nautæ, cum eſt adeunda nauigatio periculoſa, prægnantes vicinæ partui, præſertim primo, & quando ſunt arctæ, banniti pęna capitali, milites mox pugnaturi &c. nam hi omnes, tamquam in mortis articulo, ſeu periculo proximo conſtituti, poſſunt abſolui ab omnibus ſacerdotibus, & ab omnibus, ſiue cenſuris, ſiue peccatis, ut fusè probat Diana in ſum. V. *abſoluere à reſeruatis* n. 23.

4. Concl. *Taliter abſoluti à reſeruatis à ſimplici ſacerdote, non tenentur poſtea, ſi periculum euadant, illa iterum confiteri habenti in illa facultatē, ſicut tenentur abſoſoluti ab excommunicatione.* Ita Diana loc. cit. n. 28. cum Marcero in 3. p. q. 9. ar. 6.

Gra-

Granado in 3. p. controu. 7. trac. 10. diſp. 4. ſect. 2. n. 13.

Probatur, quia reſpectu talis pęnitentis taliter conſtituti, nulla peccata erant reſeruata, ut vidimus ex Trid. Ergo cùm fuerit validè abſolutus, non tenetur illa iterum confiteri. Excommunicatio verò, quia fuit ſolùm ablata in foro interiori, remanſit in foro exteriori. Ergo debet tolli ab habente poteſtatem, ut recuperetur communio fidelium. Et ideo prudentes abſolvunt in talli caſu, cum obligatione ſe præſentandi, ſub pęna reincidentiæ, etiam in foro interiori.

5. Concl. *Ad audiendas confeſſiones Regularium, non eſt neceſſaria approbatio Epiſcopi.* Ita Gonettus diſp. 9. ar. 2. n. 42.

Probatur cum communi, quia Concilium expreſsè loquitur de confeſſionibus ſæcularium ſeſſ. 23. c. 15. *Decernit, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi &c.* Ergo non comprehendit Regulares, qui cùm relinquantur, quoad hoc, in poſſeſſione ſuorum priuilegiorum, poſſunt de licentia ſui Pręlati, abſolui à quolibet ſimplici ſacerdote, etiam ſæculari, ut ſæpe uſuvenit cum itinerantibus; non tamen ipſi poſſunt abſoluere ſacerdotes ſæculares, niſi fuerint approbati.

6. Concl. *Quilibet Sacerdos Regularis, à*

ſuis

Digitized by Google

ſuis Prælatis approbatus, abſque approbatione Epiſcopi, etiam non petita, poteſt audire confeſſiones omnium ſæcularium, qui ſunt de familia ſui Conuentus, & eorum, qui mox ſunt ſuam Religionem ingreſſuri.

Probo primam partem, primò ex declaratione S. Congregationis, relata à Caſſaing. trac. 5. c. 1. prop. 1. his verbis, *S. Congregatio cenſuit, Regulares, ſeu alios Religioſorum confeſſores, poſſe audire confeſſiones ſæcularium, qui ſunt de familia, aut aliàs deſeruiunt in eorum monaſterijs; ſi tamen ſint continui commenſales, abſque licentia, ſeu approbatione Epiſcoporum.* Deinde quia huiuſmodi viri, propter aſſiduum contubernium, & vitæ conſuetudinem, participant in priuilegijs cum Regularibus. Ergo non veniunt ſub nomine ſæcularium. Secùs autem dico de alijs, qui non ſunt de familia, quamuis dormiant, & viuant in monaſterijs, ut ſunt iuſtitiæ contumaces; quia hi nullo modo participant de priuilegijs Regularium, in quorum monaſterijs degunt ut hoſpites, & peregrini, neque faciunt unum cum illis. Vnde ſequitur, Somaſchos, Bonfratellos, & alios, qui regunt hoſpitalia, non poſſe excipere confeſſiones ægrotantium ſæcularium, in illis degentium, niſi fuerint ab Epiſcopis approbati, vel habeant ad hoc ſpeciale priuilegium.

Probo ſecundam partem (quam expreſ-

Digitized by Google

sè tenet Diana in ſum. V. *Confeſſar. Reg.* n. 2. ubi prò ſe citat Vecchium) quia proximè accingendus, habetur prò accincto, ut communi fertur adagio. Ergo proximè ingreſſurus Religionem, habetur prò Regulari in fauoralibus, quoad forum conſcientiæ. Atque adeo poteſt etiam illum abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, iuxtà reſponſionem factam à Clemente VIII. ut refert Vecchius ibidem. Immò addit Diana ibid. quòd ſi Regularis ſit approbatus ab Ordinario, poſſit etiam *illum* abſoluere à cenſuris Epiſcopalibus, & à caſibus Papalibus occultis, virtute ſuorum priuilegiorum, quæ ad horum abſolutionem, requirunt approbationem in abſoluente, quæ non requiritur ad alia.

Ad 1. Nego maiorem, ſi illud non poſſit eſſe ſufficiens ad ſalutem, niſi taliter coarctatum. Hoc enim non eſt arctare viam ſalutis, ſed potiùs illam medijs congruentibus aperire, ut docet D. Tho. in ſuppl. q. 8. ar. 4. ad 6. Cùm ergo abſolutio ſacramentalis non poſſit fieri, niſi ab habente iuriſdictionem, ut probatum eſt, hæc non eſt coarctatio, ſed neceſſitas. Docet tamen ibi D. Tho. proprios confeſſarios debere eſſe faciles, ad licentiam ſubditis concedendam, ut alijs confiteantur, nè multis damnationis loqueum inijciant.

Ad 2. Nego minorem, cùm ſit impoſſibile, promoueri bonum exiſtentium in

pec-

peccato, per ablationem abſolutionis ſacramentalis, quæ ſine tali reſtrictione, non eſſet ſufficiens, ad tollenda vincula peccatorum, utpote miniſtri non idonei.

Ad 3. Patet reſponſio ex dictis ar. 4. ad 2., & hic in 3. concl. in quibus ſtatuimus, reſpectu omnium poſſe aſſignari proprium confeſſarium.

ARTICVLVS VI.

An iniuſtè reprobatus poſſit abſoluere?

VIdetur poſſe, ſaltem Confeſſarius Regularis, ut docent Nauarra in ſum. c. 27. n. 264. Fagundez lib. 7. de 2. præcepto Eccl. c. 2. n 14. Bruno Caſſaing de priu. Reg. tr. 5. c. 2. prop. 3. Rodericus in bulla cruciatæ §. 9. n 30. Diana 3. p. tr. 2. de dub. reg. reſol. 14. ubi affert prò hac op. 15. auctores, & auctor eius ſum. V. *Confeſſ. reg.* n. 5. Villalobos, Rodriguez, Peyrinus, Layman, Zanardus, Portellius, Gamachæus, & Henriquez, qui aſſerit, hanc opinionem teneri ab Vniuerſitatibus Pariſienſi, Salmaticenſi, & Complutenſi. Fundamenta ſunt.

1. Ex iure communi Benedicti XI. Extrauag. *inter cunctas de priuil.* ubi hæc habentur, *Quòd ſi denegent* (loquendo de Epiſcopis) *vel intra triduum non concedant, ex tunc ijdem fratres nihilominus au*

ctoritate eadem, huiuſmodi officium exequã-tur, nempe audiendi confeſſiones. 2. Ex Bonifacio VIII. in extrauag. *ſuper cathedram de ſepulturis*, ubi conceditur, quòd Regulares Epiſcopo præſentati, approbatione petita, & non obtenta, habeantur prò admiſſis, Pontifice eos ex tunc admittente. 3. Ex confirmatione eiuſdem priuilegij, facta à Clemente V. in Concilio Vienn. relato in Clementina *Dudum de ſepulturis*, facta à Clemente VII. 4. Ex ipſa Clementina *Dudum*, in qua dicitur, *Si verò ijdem Prælati fratribus ad audiendas confeſſiones electis, eiuſmodi licentiam exhibere recuſauerint, nos ex nunc ipſis ut confeſſiones ſibi confiteri volentium, liberè, licitèque audire valeant, gratiosè concedimus de plenitudine poteſtatis*. 5. Ex huius Clementinæ explicatione, & extenſione, facta in Lateranenſi ſub Leone X. his verbis, *ſacro approbante Concilio, poſſint Regulares per Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem huius ſacramenti peritia dumtaxat examinari, talibuſque præſentatis, admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, conſtitutioni, quæ incipit, Omnis utriuſque ſexus, quoad confeſſiones dumtaxat, ſatisfaciſſe cenſeantur. Omnia, & ſingula ſupradicta ad reliquos Religioſos Ordinum quorumcumque extendi volumus, atque decernimus.*

6. Per

6. Per Tridentinum non requiritur in Regulari approbatio Epiſcopi, niſi ad iudicandam eius idoneitatem, qua iudicata, ſummus Pontifex dat illi iuriſdictionem, in diœceſi talis Epiſcopi. Si ergo iniuſtè negetur ab Epiſcopo tale iudiciũ, illum iniuſtè reprobando, vel non admittendo ad examen, quia per iniuſtam ſententiam nullum tollitur ius, cenſetur Regularis remanere in ſuo priuilegio, adeòque habetur prò approbato.

7. Sicut habens reſeruata, ſi præſentatus iniuſtè repudietur à reſeruante, poteſt ab omnibus abſolui, quia ſatisfecit ſuæ obligationi ſe præſentandi; ita & Regularis in ordine ad confeſſionem, debet eſſe idoneus, & petere ab Epiſcopo, ut per examen eius idoneitas iudicetur. Si ergo iniuſtè negetur hoc iudicium, iam ille fecit quod debuit; atque adeo iudicata per litteras teſtimoniales ſuorum Superiorum, eius idoneitate, nihil obſtat, quòminùs poſſit audire confeſſiones, ſupplente ſummo Pontifice collationem iuriſdictionis, iniuſtè denegatam ab Ordinario.

1. Concl. *Non poteſt Epiſcopus, abſque rationabili cauſa, reijcere ſacerdotem ab examine, vel admiſſum, & inuentum ſufficientem non approbare, ad audiendas confeſſiones.*

Probatur, quia Epiſcopi ſunt deputati ab Eccleſia, ut tamquam iudices ferant

ſententiam, de idoneitate ſacerdotum. Iudex autem non poteſt, abſque cauſa, dignum repudiare, quod eſſet inſtar pœnæ negatiuæ, illi abſque ulla culpa inflictę. Ergo ſi faciant, faciunt actum iniuſtitiæ, in re graui, adeòque grauiter peccant. Dixi *ſine cauſa*, quia cùm ad idoneitatem, non ſolùm requiratur ſcientia, ſed etiam bona fama, & mores recti, ut poſſint abſque ſcandalo, immò cum ædificatione, audire confeſſiones, omnes dicunt, poſſe, immò & debere Epiſcopos reijcere indignos, ſiue indignitas proueniat ex ignorantia, ſiue ex prauis moribus; & de hac reiectione, utpote iuſta, hic non loquimur, ſed ſolùm de ea, quæ prouenit ex odio, vel alio fine prauo, unde verè dicatur iniuſta.

2. Concl. *Sacerdos ſæcularis iniuſtè reprobatus, neque licitè, neque validè poteſt abſoluere.* Eſt communis.

Probatur, quia ſententia iniuſta, ſicut nullum tollit ius, ita neque dat. Sed ſacerdos ſæcularis ante reiectionem, nullum habebat ius, diſtinctum ab ordine, ad audiendas ſæcularium confeſſiones, quia neque habebat iuriſdictionem à Papa, neque ab alio inferiori. Ergo non poteſt illud acquirere per iniuſtam reiectionem. Tota ergo difficultas reducitur ad ſacerdotem Regularem, prò quo ſit.

3. Concl. *Probabile eſt, & tutum in-*

fra-

Digitized by Google

praxi, quòd neque ſacerdotes Regulares iniuſtè reprobati, poſſint audire ſæcularium confeſſiones, quamuis etiam oppoſitum ſua probabilitate non careat. Ita expreſsè Gonettus hìc diſp. 9. ar. 2. n. 44. & 45. cum pluribus alijs infra referendis.

Probatur prima pars Primò ex Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. in quo expreſsè ſtatuitur, *nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis approbationem obtineat, non obſtantibus priuilegijs, & conſuetudine.* Atqui reprobatus, etiam iniuſtè, non obtinet approbationem. Ergo non eſt idoneus. Atque adeo poteſt quidem conqueri de iniuſtitia apud S. Sedem, non tamen poteſt audire ſæcularium confeſſiones.

2. Alexander VII. die 24. Septembris 1665. in Congregatione S. Officij, damnauit; ut ſcandaloſam, & minimè docibilem, ſub pęna excommunicationis ſibi reſeruatæ, hanc propoſitionem, quæ inter alias eſt 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato.* Nulla autem eſt alia ratio, cur tali confitentes non ſatisfaciant, niſi quia confeſſio eſt nulla, ob defectum idoneitatis in miniſtro. Ergo quamuis reprobatio ſit notoriè iniuſta, ita ut nulla poſſit ratione excuſari, non tamen proinde poteſt Regula-

ris cenſeri idoneus, ad audiendas ſæcularium confeſſiones, ut docent Card. De Lugo diſp. 21. ſect. 3. n. 52. Suar. diſp. 28. ſect. 5. n. 13. Vaſq. q. 93. ar. 3. dub. 3. Conink diſp. 28. dub. 7. n. 58. Figliuc. trac. 7. c. 9. n. 257. Salmatic. trac. 6. c. 11. punc. 7. Layman, Palaus &c. immò De Lugo loc. cit. ait, hanc opinionem eſſe communem, & damnat oppoſitam, tamquàm cōtrariam ſenſui, & praxi fidelium, & repugnantem menti Tridentini.

Ad prima quinque Dico cum *iiſdem*, huiuſmodi priuilegia, vel eſſe reuocata, quoad hoc, ut docet Gonettus loco cit. per illam clauſulam generalem, *priuilegijs, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus*; vel ſaltem eſſe limitata, ut docet Vaſquez loc. cit., ita ut non habeant vim, niſi accedat approbatio Epiſcopi, non ad collationem iuriſdictionis, ſed ad purificandam conditionem, ſub qua ſummus Pontifex concedit Regularibus iuriſdictionem. Verum quia hoc multi reuocant in dubium, ideo examinabimus in probatione ſecundæ partis.

Ad 6. Nego conſequentiam. Ad cujus probationem. Dico, quòd ſicut Papa potuit de plenitudine poteſtatis, concedere hæc priuilegia Regularibus, ita poſſet, iuſta de cauſa, illa reuocare, vel modificare. Atque adeo quia obligauit per

Con-

Concilium, Regularem à ſe priuilegiatum, ut in poſterum illis non utatur quoad hoc, niſi obtenta Epiſcopi approbatione, & hoc ſub pœna nullitatis, quamuis admittatur, quòd per iniuſtam reprobationem nõ ſpolietur ſuis priuilegijs, quia tamen non acceſſit approbatio, nõ poteſt illis uti; & ideo remanet, ac ſi non eſſet priuilegiatus, quoad hoc. Immò (ut obſeruat Vaſq.) non debuit relinqui iudicio ipſius Regularis, iurenè, an iniuria ab Epiſcopis reprobetur. Aliter cùm intenderit Concilium quoad hoc, ſubmittere Epiſcopis Regulares, ſequeretur oppoſitum. Siquidem cùm ſententia non feratur, niſi in ſubditum, Epiſcopi ſubderentur Regularibus, ſi ipſorum eſſet, de iuſtitia, vel iniuſtitia reprobationis per Epiſcopos factæ, iudicare.

Ad 7. Nego antecedens, & paritatem, Primò quia Concilium non dicit, quòd petatur approbatio, ſed quòd obtineatur, ut patet ex illis verbis, *& approbationem obtineat*. Deinde quia reſeruatio peccati non obligat reum, niſi ut ſe ſiſtat coram reſeruante, & humiliter petat abſolutionem, quo facto, tollitur reſeruatio. At in miniſtro abſolutionis, requiritur iuriſdictio, quam non poteſt habere, niſi per approbationem. Ergo non eſt par ratio, cùm ad primum ſolùm ſit remouenda reſeruatio, & ad ſecundum ſit acquirenda iuriſdictio.

Probatur ſecunda pars (de qua ait Gonettus loc. cit. *Non caret probabilitate, pluresque habet illuſtres patronos, ac defenſores, nempe Nauarrum, Dianam, Rodriquem, Layman, Henriquem, qui ait, illam communiter receptam eſſe à Doctoribus Salmaticenſibus, & Complutenſibus, fuiſſeque in Academia Pariſienſi publicè propugnatam, & ex Doctoribus Pariſienſibus illam expreſsè docet Gamachæus tr. de pæn. c. 18.*) Primò quia non eſt credibile, Concilia, & Pontifices (ut idem proſequitur) voluiſſe fauere iniuſtitiæ Prælatorum, & aliquorum odijs, aduersùs Regulares. Deinde quia, (ut ex Arcidiacono, & Felino docet Nauarrus in ſumma c. 27.) ut Concilij generalis decreto cenſeatur derogatum, requiritur expreſſa eius derogatio, & non ſufficit reuocatio generalis. Cùm ergo Clem. V. & Leonis X. conſtitutiones in Concilijs generalibus Viennenſi, & Lateranenſi editæ ſint, illis non videtur Tridẽtinum derogare voluiſſe. Quia tamen hæc eſt res magni momenti, ideo placet illam exactiùs examinare, quod præſtabimus ar. ſequenti, ſoluendo obiectiones.

ARTICVLVS VII.

Solvuntur obiectiones, & examinantur decreta Tridentini, & Alexandri Septimi.

CArdinalis De Lugo loc. cit. aduerſus hanc probabilitatem arguit 1. Si Regulari ſufficeret præſentatio, etiam iuſtè reprobato, valeret priuilegium audiendi confeſſiones ſæcularium, quod eſt abſurdum. 2. Cùm decretum Tridentini ſit lex Conciliaris, & Pontificia, habet vim corrigendi legem ſuperiorem, quamuis in iure contineatur, nec fiat de illa mentio ſpecialis. Ergo corrigit quoad hoc priuilegia Regularium. 3. Approbatio Epiſcopi ponitur à Trid. ut conditio neceſſaria ex parte ſacerdotis, ut fiat capax recipiendi iuriſdictionem à Pontifice. Ergo licèt quoad collationem iuriſdictionis à Papa, non fuerit reuocatum priuilegium, non tamen ex vi illius, Papa vult conferre iuriſdictionem Regulari, niſi approbato. 4. In Clementina *Dudum* non debent Epiſcopo præſentari, niſi quot ſint neceſſarij in ſua diœceſi. Ergo quia iudicium de tali neceſſitate relinquitur Epiſcopo, licèt Regulari ſufficeret præſentatio, non tamē poſſet audire cōfeſſiones, inuito Epiſc. qui ſemper poſſet illū reijcere, ut non neceſſarium. His poſſet addi quintum, ductum

ex prohibitione Alexandri VII. qui declarando, confitentes Regulari iniuſtè reprobato, non ſatisfacere præcepto annuæ confeſſionis, declarat, illam eſſe nullam, ex defectu iuriſdictionis in miniſtro. Ergo ad illam habendam, requiritur approbatio.

Hæc argumenta, quamuis magnum põdus addant alteri parti, quam proinde reddunt probabiliorem, & tutiorem in praxi, nihilominus tamen quia viri doctiſſimi, adhùc illis non obſtantibus, putant non adimere probabilitatem ab oppoſita, ideo eorum pondus ad trutinam reuocabimus.

Ad 1. Nego antecedens, quia ad bonum regimen populi Chriſtiani ſpectat, quòd Paſtores ordinarij, deſtinati ad curam animarum, habeant in ſuas oues talem poteſtatem, ut nullus, abſque eorum conſenſu, poſſit ſe intromittere, in actibus iudicialibus, circa eorum oues, quarum ratio ab ipſis reddenda eſt ſummo Paſtori. Ergo obligatio ad ſe præſentandum Ordinarijs, eſt obligatio petendi ab illis conſenſum, ad audiendas confeſſiones talium diœceſanorum, quod neceſſariò ſupponit in Ordinario indifferentiam, ad præſtandum, vel negandum conſenſum, prout expediens ſuis ouibus iudicauerit. Atque adeo ſi iuſtis de cauſis aliquem repudiauerit, nullo modo poteſt hic, illo inuito, in

tali

tali diœceſi audire confeſſiones. Aliter orirentur ingentia ſcandala, ut aduertit Eſparſa q. 93. ar. 3. Hoc non militat de reprobatione iniuſta, quia cùm hæc oriatur ex odio præſentati, vel ex alio prauo fine repudiantis, non poteſt ordinari ad bonum diœceſanorum, & ideo videtur, quòd præſentatus priuilegiatus, habeat ius ſibi conceſſum à Papa, adiuvandi tales oues per actus ſacramentales, etiam inuito Ordinario, qui iniuſtè operans in præiudicium ſuarum ouium, non ſe gerit ut paſtorem, ſed ut lupum; adeòque ſe facit dignum, ut eius iniuſtum iudicium irritetur, ita ut nullum effectum ſortiatur.

Ad 2. Nauarrus in ſum. c. 27. Negat antecedens, quia probat ex Archidiacono, & Felino, ad hoc ut reuocetur decretum Concilij generalis, requiri ſpecialem, mẽtionem, ſine qua non intelligitur comprehenſum, ſub reuocatorijs generalibus. Cùm ergo Clementis V. & Leonis X. decreta, in fauorẽ Regularium, fuerint edita in Concilijs generalibus Viennenſi, & Lateran., non cenſentur reuocata per reuocatoriam generalem Tridentini, ut expreſsè declarat oraculum Pij V. qui fuit immediatè poſt Trid. bulla, quæ incipit, *Etſi mendicantium*, his verbis, *Quòd verò in ſeſſ. 23. c. 15. circa confeſſiones audiendas ſtatuitur, hoc etiam dictorum Ordinum, videlicèt mendicantium fratres, à præfatis*

ſuis

ſuis Generalibus, vel miniſtris prouincialibus, ad audiendas confeſſiones utriuſque ſexus fidelium approbatos, ut præmittitur, minime comprehendat. Et affert rationem, *quòd quorumdam locorum ordinarij quoſdã religioſos probos viros, & idoneos, etiam à ſuis ſuperioribus approbatos ad confeſſiones audiendas, admittere nullo modo volunt*.

Neque obſtat, quòd idem Pius V. in bulla, quæ incipit *Rom. Pontif. prouidentia*, reuocauerit quod in alia conceſſerat, ſtatuens, omnes Regulares examinandos eſſe iuxta Trid. Nam imprimis hæc ſecunda bulla non reuocat declarationem factã illius capitis Trid. aliòquin Pontifex ſibi contradiceret, ſed ſolùm facit nouam legem, ſeu ſtatutum de hoc, reuocando ſolùm alia priuilegia à ſe conceſſa. Ergo ſtante eius declaratione, facta in prima bulla, per illud caput Trid. non comprehenduntur Regulares mendicantes. Statutum autem ab eo factum in 2. bulla, fuit reformatum à Greg. XIII.

Dices, Declaratio illius cap. Trid. facta à Pio V. fuit reuocata à Greg. XIII. in bulla, quæ incipit, *In tanta*; in qua reformauit eius decreta. Ergo nihil valet.

Nego antecedens, Primò quia hæc bulla Greg. non fuit publicata. Et deinde quia quamuis concedatur promulgata, non poteſt reuocare, niſi priuilegia conceſſa in bulla Pij, declaratio verò non eſt

pri-

priuilegium, ſed doctrina, quæ non poteſt reuocari, niſi declareretur ut falſa, quod eſſet falſum facere Romanum Pontificem, in declarandis rebus fidei, eiuſque infallibilem auctoritatem infringere, unde corrueret fides. Præterquamquòd idem Nauarrus in cap. *placuit de pœn.* ait, *lex poſterior generalis ſæpe limitatur per ſpeciale ius antiquum.* Cùm ergo fuerit ſpeciale ius antiquum, eximens Regulares ab onere, recipiendi approbationem ab Epiſcopis, per illud lex generalis Concilij Tridentini limitatur. Et ideo ſubdit, *iura iuribus concordantur, etiam aliquando cum quadam improprietate verborum, nè ius antiquum, niſi ratione urgentiſſima, & expreſſione verborum incompatibilium iuris noui, cum eo abrogetur.* Sicut ergo potuit Pius V. declarare, per tale decretum non comprehendi Regulares, ita hoc dicere, non eſſet alienum à veritate. Neque obſtat, conſtitutionem poſteriorem abrogare priorem, ut habetur cap. *licèt Romanus* de conſt. in 6. Nam id intelligitur de lege à ſolo Pontifice condita, non autem de conſtitutionibus in iure inſertis, vel conditis in Concilio. Multò minùs obſtat reuocatio facta ab Vrbano VIII. omnium priuilegiorum Regularium quoad hoc, conſtit. quæ incipit, *Cùm ſit*, edita 13. Septemb. 1627. Primò quia per illam non derogatur iuri communi. Et deinde quia cùm

cùm emanauerit in fauorem Card. de Sandoual Epiſcopi Gennenſis, non habet locum, niſi in tali diœceſi.

Inſuper addo, quòd Concilia, & Pontifices non intendunt tollere ius acquiſitũ, niſi clarè id exprimant per clauſulas reuocatorias iuris communis, quas ſuſtinent ut omninò neceſſarias Io. Dela cruz lib. 2. de ſtatu relig. c. 6. dub. 1. conc. 2. & communiter iuris periti in leg. *Hæres abſens* ff. de re iudicata, Felinus c. 1. de reſcript. n. 12. Bartolus V. *vel diues*, & in authentico *quis in prouincia*, Henriq. lib. 6. c. 6. n. 4. Nauar. lib. 3. conſil. conſ. 7. tit. de Regul. cum multis alijs, relatis à Layman, & Roderico in re præſenti.

Ad 3. Nego antecedens, Primò quia capacitas ad recipiendam iuriſdictionem, non habetur per approbationem Epiſcopi, ſed per idoneitatem ſacerdotis. Ergo non potuit Concilium facere, quòd habeatur per approbationem Epiſcopi, quæ ad ſummum eſt pura declaratio talis idoneitatis, adeòque illam ſupponens, & non conſtituens. Deinde quia quamuis ſupponeretur conſtitutiua, adſummum conſtitueret idoneitatem, ad recipiendam iuriſdictionem ab Epiſcopo approbante, & non à Papa. 3. Cùm tot Rom. Pontifices contulerint hæc priuilegia, ante Tridentinum, non potuerunt ponere prò conditione idoneitatis neceſſariæ ad iuriſdictio-

ctionem, approbationem Epiſcopi, ſtatutam à Tridentino, de qua nullam planè faciunt mentionem. Si ergo (ut Lugo ſupponit) non fuerunt reuocata priuilegia, quoad collationem iuriſdictionis à Pontifice, utique ad illam recipiendam, non poteſt eſſe neceſſaria approbatio.

Ad 4. Nego conſequentiam. Quamuis enim Epiſcopus poſſet allegare ſuperfluitatem Regularium, tamen ex numero pœnitentium, illorum opera ſupplicantium argueretur oppoſitum. Et ratio eſt, quia licèt adeſſent Parochi, alijque ſacerdotes ſæculares, qui poſſent abſolutè ſufficere, quia tamen parochiales de eorum prudentia, & ſcientia minimè confiſi, ijs ſua crimina confiteri recuſant, non ſunt cogendi, ut illos adeant. Sicut ergo iniuſtè reiectus Regularis, habetur prò approbato, ita iniuſtè declaratus ſuperfluus, habetur prò neceſſario.

Ad 5. ductum ex prohibitione Alexandro VII. quam retulimus ar. 6. concl. 3. Aliqui dicunt, illam propoſitionem, *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato*, non fuiſſe damnatam ut falſam, ſed ut minimè docibilem, ad tollendos aliquorum Regularium abuſus, qui ſuperbia ducti, & nimium de ſe præſumentes, quoties ab Epiſcopis, iuſtis de cauſis, ab audiendis ſæcularium

con-

confeſſionibus reijciebantur, ſe ab illis iniuſtè reiectos proclamantes, adhùc temerè ſe audiendis confeſſionibus applicabant. Alij dicunt, fuiſſe quidem damnatam ut ſcandaloſam illam propoſitionem, non tamen ſcandalo actiuo, proueniente à doctrina in illa contenta, ſed ſolùm paſſiuo, quatenus non ſolùm ipſi Epiſcopi iniuſtè reijcientes, ægrè ferentes, ſe inuitis, Regulares audire confeſſiones ſuorum diœceſanorum, Pontificum in illos indulgenciam ſugillabant, qua ſe apud Regulares fieri cõtemptui querebantur; verùm etiam alij, non penetrantes vim priuilegiorum, quod fieri videbant à Regularibus perperam interpretantes, in contumacem refundebant temeritatem. Vtrique autem mouentur ex eo, quia illa propoſitio prout iacet, elicitur ex Clementina *Dudum de ſepulturis*, quam confirmauit, & approbauit Leo X. in Concilio Lateran. ut retulimus initio ar. 6. his verbis, *Sacro approbante Concilio, poſſint Regulares per Epiſcopos ſuper ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem huius ſacramenti peritia dumtaxat examinari, talibuſque præſentatis, admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, conſtitutioni, quæ incipit, Omnis utriuſque ſexus, quoad confeſſiones dumtaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur*. Vnde inferunt, quòd ſi talis propoſitio fuiſſet damnata ut falſa, & actiuè ſcandaloſa, cenſura caderet in

Cle-

Clementem V. Concilium Vienn. Clementem Septimum, Leonem Decimum, & Concil. Lateran., quod non eſt dicendum. Et ideo alij dicunt cum Vaſq. q. 93. ar. 2. dub. 6. n. 21. quod ſicut alij Pontifices, qui conceſſerunt priuilegia Regularibus audiendi confeſſiones, exceperunt diē, & tempus Paſchale, ita Alexander VII. voluerit, quòd ſaltem in tali tempore, pœnitentes ſuis parochis confiteantur, nec ſatisfaciant præcepto annuæ confeſſionis, ſi iniuſtè reprobatis confiteantur, quia hī ut reprobati, licèt iniuſtè, neque ſunt parochi, neque abſolvunt de eius licentia, & multò minus Epiſcopi, à quo fuerunt reprobati.

Hæc dicunt defenſores huius opinionis, quibus multò plura addunt Bruno Caſſaing. lib. de priuil. Reg. & Virginius Aluiſet in lib. *Murenulæ ſacræ veſtis*. Sed quia huiuſmodi libri fuerunt prohibiti, & plura Regularium priuilegia fuerunt vel reuocata, vel modificata, ideo puto, eſſe multò tutius in praxi, & etiam probabilius, Regulares non poſſe ſæcularium audire confeſſiones, niſi obtenta approbatione Epiſcoporum, iuxta decretum Tridentini, nec illis prodeſſe præſentationem, quamuis iniuſtè, ſiue indebitè reprobentur, cuius reprobationis iudicium non ſpectat ad ipſos Regulares, ſed ad S. Sedē Apoſtolicam Romanam, ad quam, tam-

quam

quam ad fidei patrem debēt confugere, qui ſenſerint, ſe ab Epiſcopis grauatos; relicta tamen in ſuo robore probabilitate ſententiæ oppoſitæ.

ARTICVLVS VIII.

An poſſit Epiſcopus approbatum reprobare?

HVrtadus diſp. 10. de Sacram. diffic. 19. reſpondet affirmatiuè, quomodocumque facultas fuerit conceſſa, ſiue ad certum tempus, ſiue ſimpliciter, & ad beneplacitum. Eius fundamentum eſt, quia hæc eſt facultas ex natura ſua reuocabilis, & nullo iure prohibetur eius reuocatio, etiam in ordine ad Regularem.

Card. De Lugo diſp. 21. ſect. 3. videtur ſibi contradicere; nam n. 63. ait, approbationem ad beneplacitum poſſe reuocari, licitè cum cauſa, & validè ſine cauſa, etiam Regulari. Fundamentum eſt, quia approbatio data ad certum tempus, illo tranſacto, ceſſat iure ſuo. Sed approbatio data ad beneplacitum, eſt ad certum tempus, determinandum ab Epiſcopo. Ergo quandocumque illi placuerit, poteſt imponere terminū tempori talis approbationis, adeòque facere, quòd illa ceſſet. Et n. 64. inquit, non poſſe licitè reuocari approbationem ſemel collatam, & hoc di-

dictum nulla conditione modificat. Fundamentum eſt, quia ſi non poteſt licitè, abſque cauſa negari approbatio, multò minùs poteſt auferri. Deinde concludit, *Vnde ſatis probabile eſt, reuocationem talem approbationis, ſine cauſa, iam priùs ſine limitatione collatæ, non eſſe validam, quia cùm ſit ſententia Iudicis iniuſta, non videtur poſſe reipſa auferre ius, quod iam confeſſarius habebat, ex approbatione priùs facta, & per conſequens reuocatio nullum ſortitur effectum.* Et n. 65. ait, etiam approbationem abſque limitatione collatã, ex aliqua rationabili cauſa poſſe reuocari, non ſolùm validè, ſed etiam licitè. Fundamentũ eſt, quia ſi poteſt dari cauſa, ad auferendum beneficium, quod eſt ius magis radicatum, poteſt etiam dari, ad reuocandam approbationem, quia poteſt aliquis hodie eſſe aptus, & cras fieri ineptus, ob morum corruptelam, & ſcientiæ obliuionem.

Suar. diſp. 28. ſect. 8. n. 3. & Conink diſp. 8. dub. 7. n. 49. dicunt, poſſe approbationem reuocari, etiam Regulari, ex iuſta cauſa; non poſſe autem abſque cauſa licitè, & fortaſſe neque validè. Fundamenta ſunt ſimilia allatis.

1. Concl. *Poteſt Epiſcopus reuocare approbationem, ſiue ad tempus, ſiue ad beneplacitum, factam ſacerdoti ſæculari, ſine cauſa validè, & cum cauſa, etiam licitè.*

Pro-

Probo primum, approbatio determinata ad aliquod tempus, illo tranſacto, ceſſat. Ergo ſicut fuit in arbitrio Epiſcopi, illam primò dare, vel non dare, ita potest non confirmare. Sicut ergo illicitè primò non contulit, abſque cauſa, ita illicitè non confirmat, validè tamen. Probo ſecundum, cùm ſacerdos ſæcularis accipiat iuriſdictionem ab Epiſcopo, poteſt ob eodem cum cauſa ſpoliari, ſicut poteſt priuari beneficio, propter delictum. Quod ſi nulla ſit cauſa, illicitè quidem, ſed validè priuat. Et ratio eſt, quia ius ad audiendas confeſſiones, ſequitur ex idoneitate, & iuriſdictione. Sed ſæcularis utramque accipit ab Epiſcopo. Ergo poteſt ab eodem ſpoliari. Illis autem ſpoliatus, non retinet ius per illas acquiſitum. Ergo poteſt validè, quamuis illicitè, etiam ſine cauſa hoc priuari.

2. Concl. *Approbatio Parochi, nullo modo poteſt reuocari*. Ita Lugo diſp. 21 ſect. 3. n. 63.

Probatur, quia approbatio Parochi, quamuis fiat per Epiſcopum, non tamen fit ab eo, ſed à Concilio, & ab Eccleſia, quæ poſita conditione beneficij parochialis, ſtatim ei confert approbationem uniuerſalem, ut ubique poſſit audire confeſſiones, ubi illi iuriſdictio conferatur. Ergo quoadusque non priuetur, vel ſuſpendatur à beneficio, intelligitur approbatus.

Ergo

Ergo Epiſcopus non approbat Parochum, ſed per examen illum declarat idoneum, adeòque ab Eccleſia approbatum, ut patet ex Trid. ſeſſ. 23. c. 15. toties citato.

3. Concl. *Reuocatio iniuſta tenet ſolum in foro externo, non autem in interno.*

Probatur, quia ſententia iniuſta numquam in foro interno priuat iure acquiſito, ut omnes fatentur. Ergo huiuſmodi ſacerdotes, citra ſcandalum, in loco priuato, poſſunt validè abſoluere, & cenſentur approbati, eo modo, quo iniuſtè excommunicatus, non eſt excommunicatus in foro interno, ſed ſolùm debet ſe habere ut talem in foro externo, ob reuerentiam Prælati excommunicantis.

4. Concl. *Reuocatio iniuſta, antequam ſpiret tempus conceſſionis, eſt nulla, etiam reſpectu ſæcularis. Reuocatio autem conceſſionis ad beneplacitum, eſt valida, licet iniuſta.*

Probatur cum Suar. diſp. 28. ſect. 8. n. 7. quia hæc reuocatio eſt ablatio iuris acquiſiti ad tantum tempus, & reuocatio ſententiæ iuſtæ. Sed neutrum poteſt validè fieri, ſine cauſa, ut omnia iura clamant. Ergo eſt nulla. Præterea talis habet omnia requiſita à Trid. ad hoc ut ſit approbatus prò tanto tempore. Ergo niſi mutetur intra id tempus, ſemper eſt approbatus. Demum ſententia iniuſta, non poteſt irritare ſententiam iuſtam, manentibus iiſdem

cauſis,

cauſis, unde hæc orta eſt. Ergo cùm hic ſacerdos per iuſtam ſententiam fuerit poſitus in poſſeſſione tanti temporis, ad abſoluendum, non poteſt per ſubſequentem iudicis iniuſtitiam ab illa deturbari. Hoc non valet de conceſſione ad beneplacitũ, quia cùm hæc ſit duratura tantùm, ad arbitrium concedentis, poteſt ad eius arbitrium contrahi, licitè cum cauſa, & validè ſine cauſa, eò quia facta à concedente determinatione temporis, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, ceſſet conceſſio.

5. Concl. *Sacerdos Regularis approbatus ab aliquo Epiſcopo, non poteſt ab eodem ſine cauſa reprobari.* Ita Diana in ſum. V. Conf. Reg. n. 7. Vbi excipit approbatum ad beneplacitum, quem ait, poſſe ad libitum reprobari, ut declarauit S. Cong. in una Papienſi, ſub die 12. Martij 1614. apud Barboſam V. *Regular. Confeſſor*, & V. *Approbare*.

Probatur 1. cum Vaſq. q. 93. ar. 3. dub. 5. n. 4. quia cùm Epiſcopus approbauit Regularem, ille iure cenſetur idoneus. Ergo illi ab Epiſcopo non poteſt impediri iuriſdictio, quæ confertur à Papa. Sed ſi reuocaret approbationem, impediret iuriſdictionem. Ergo non poteſt illam reuocare. 2. Cum Suar. diſp. 18. ſect. 3. n. 7. Approbatio non eſt gratia, ſeu fauor, ſed iuridica declaratio, tamquàm iuſta ſententia, debita ex iuſtitia. Sed iuſta declaratio,

Digitized by Google

tio, ſeu ſententia reuocari non poteſt, ſine cauſa. Ergo neque approbatio. Et ratio eſt, quia poſita ſemel approbatione, iam ſacerdos eſt idoneus, & habet omnia requiſita ad abſoluendum. Ergo niſi ipſe mutetur, per ſolam mutationem extrinſecam Epiſcopi, non deijcitur e ſuo ſtatu, & ideo ſemper eſt idoneus, & approbatus, quod non valet de ſæculari, ut dictum eſt. Et hanc rationem approbat Diana in ſum. V. *Conf. Reg.* n. 7. ubi citat prò hac ſent. declarationem S. Cong. & concludit, *Vnde non obſtante tali reuocatione iniuſta, poterit confeſſarius Regularis confeſſiones excipere.*

3. Pius V. in bulla citata, loquens de Regulari inquit, *ſtatuimus, quòd ille, qui ſemel in una diœceſi admiſſus fuerit, ſemper in eadem diœceſi habeatur prò admiſſo, nec amplius examinari, vel preſentari in eadem diœceſi debeat.* Neque obſtat, quòd hæc conſtitútio videatur à Greg. XIII. reuocata. Siquidem cùm non adhibuerit, niſi clauſulas generales, illam non comprehendit, ut apertè docent Henriq. lib. 3. c. 6. n. 6. in annot. Emanuel Sa. V. *Confeſſor* n. 15. Villalobos in ſum. & to. 2. trac. 3. diff. 53. n. 5. Alphonſus à Caranza in conſil. 29. Franc. Salgado in trac. de ſupplic. ad 55. 1. p. c. 4. n. 40. Martinus à S. Ioſeph in compendio facul. confeſſ. ſæcul. V. *Conf.* n. 1. Et ideo extat declaratio S.

Cong. *Fratres mendicantes ſemel examinati, non debent iterum ab ordinario, nec etiam per ſucceſſorem examinari*, ut referunt Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. V. *Confeſſarij* & Io. de la cruz de ſtatu relig. lib. 2. c. 6. dub. 4. concl. 3.

Vnde ſequitur, quòd neque poſſit ſine cauſa, à ſucceſſore reprobari. Cùm enim in cit. cap. Trid. nulla fiat mentio huius ſecundi examinis, faciendi à nouo Epiſcopo, per quod habeatur ab illo noua approbatio, relinquitur approbatus in ſuo iure. Atque adeo cum Regulares poſſideant ius, accipiendi iuriſdictionem, immò & approbationem à Papa, ſub conditione præſentationis factæ Epiſcopo, non debet hæc conditio bis purificari, ſed ſufficit prò tali diœceſi, quòd ſemel fuerit purificata. Neque obſtat, quòd poſſit novus Epiſcopus ſui Vicarium ſuſpendere, & officio priuare; ſiquidem Vicarius in utroque foro accipit iuriſdictionem ab Epiſcopo, à quo pendet in fieri, & conſeruari. Multò minùs quòd poſſit ſibi aliqua peccata reſeruare; Siquidem reſeruatio non eſt reſtrictio iuriſdictionis in confeſſario, ſed eſt pœnalitas addita peccato, per quam reus obligatur, ad ſe præſentandum, coram ſuo Prælato, quo facto, licèt ab illo non abſoluatur, poteſt abſolui à Regulari approbato, reſpectu cuius cenſetur ablata reſeruatio, quod indicat,

licat, non fuiſſe ab illo ablatam, ſeu con-
ractam iuriſdictionem. Præterquamquòd
ion eſt adeo certum, non poſſe Regula-
em approbatum, abſoluere ab Epiſcopo
eſeruatis. Quòd ſi novus Epiſcopus ha-
eat cauſam rationabilem, tunc poteſt nè
lùm aliquos, ſed omnes ſuſpendere, etiā
Regulares, non tamen Capitulum, aut
Vicarius, ſede vacante, ut docet Diana
in ſum. V. Conf. Reg. n. 8. cum Miranda
& S. Cong. in una Alban. 1619. apud Bar-
boſam in Collect. v. Appellare. Hæc ta-
men ſuſpenſio generalis debet exprimere
Regulares, ut illos comprehendat.

Ad argumentum Hurtadi, ductum ex
reuocabilitate talis facultatis, reſpondeo,
illam eſſe quidem reuocabilem, non ta-
men ab Epiſcopo, ſed à ſolo Papa, à quo
proceſſit, cùm non poſſit inferior reuo-
care priuilegium ſuperioris.

Ad 1. fundam: Card. De Lugo, dico,
illud valere in ordine ad ſacerdotem ſæ-
cularem, cui confertur ab Epiſcopo iuriſ-
dictio, non autem in ordine ad Regula-
rem, cui datur à Papa.

Ad 2. Dico, ideo poſſe ab Ep. ſpoliari
Parochum beneficio, quia quoad hoc eſt
eius ſubditus. Quia tamen non eſt ſubdi-
tus, in ordine ad approbationem, & ad-
miniſtrationem ſacramentorum, ideo ſicut
non poteſt illum non approbare, ita neque
poteſt reprobare, poſito quòd remaneat

in ſui poſſeſſione beneficij. Regularis autẽ, neque eſt ſubditus, in ordine ad forum contentioſum, neque in ordine ad uſum ſacramenti pęnitentiæ, poſita eius approbatione. Ergo non eſt paritas. Ad alia, quæ addit de ſuperuenientia ineptitudi- tudinis, patebit reſponſio ex mox dicendis.

ARTICVLVS IX.

An poſſit Epiſcopus approbare Regularem ad tempus, vel beneplacitum, & limitatè?

VIdetur non poſſe, ut docent Vega in ſum. to. 1. c. 62. caſu 7. Portell. in dub. Reg. V. *Confeſſor* nu. 13. Villalobos in ſum. to. & tr. 9. diffic. 33. n. 2. cum pluribus alijs. Primò quia beneplacitum non poteſt cadere ſupra debitum, ſed ſupra priuilegium, quod ſit ſub dantis poteſtate. Sed iuriſdictio Regularis non eſt ſub libera Epiſcopi poteſtate, quia illi confertur à ſupremo Paſtore. Ergo non poteſt conferri ad beneplacitum. Atque adeo licèt ponatur particula *ad beneplacitum*, tamen quoad Regularem, debet intelligi eius approbatio illimitata. Vnde inferunt, huiuſmodi limitationes *ad annum* &c. eſſe nullas.

2. Vix poteſt concipi, quomodo ille, qui

Digitized by Google

qui hodie eſt idoneus, cras ceſſet eius idoneitas. Vel enim ceſſat ex delicto, vel ex obliuione ſcientiæ? Non primum, quia iudicium Regularium ſpectat ad eius Superiores, quorum eſt iudicare, an talis delinquens ſit adhuc dignus Pontificis priuilegio, conceſſo Religioni. Neque ſecundum, quia hoc non poſſet accidere, niſi ob phrænesim, vel ſtultitiam, in quo caſu fieret irregularis, eiuſque ſuſpenſio prouenirct ab Eccleſia. Ergo numquam poteſt accidere caſus, quòd hodie Regularis ſit dignus approbatione Epiſcopi, & cras indignus. De ſæculari eſt alia ratio, quia cùm ſpectet ad Epiſcopum, iudicare de eius delictis, poteſt, ſaltem ex iſto capite, fieri non idoneus, ratione ſcandali, & illi poteſt approbatio limitari.

Concluſio, *Poteſt Epiſcopus approbare Regularem ad tempus, vel beneplacitum, cum reſeruatione loci, criminum, & perſonarum.* Ita Lezana in ſum. c. 19. n. 8. Suar. diſp. 28. ſect. 7. n. 19.

Probatur 1. ex praxi totius Eccleſiæ, in qua Epiſcopi poſt Tridentinum, ſunt in pacifica poſſeſſione, approbandi ad confeſſiones ſæcularium, etiam Regulares, ad ſex menſes, ad annum, & beneplacitum, prout illis expediens viſum fuerit, & omnes acquieſcunt huiuſmodi approbationibus, quarum tempore elapſo, redeunt ad eoſdem, ut confirment approba-

tionem. Sed niſi poſſent id facere, ha
praxis non toleraretur, & ſaltem Regu
lares reclamarent. Ergo ſignum eſt eui
dens, quòd id poſſint.

2. Ita determinatur in Clem. *dudum d*
ſepult. nec hoc fuit reuocatum per Trid
dummodò tamen id fiat ex iuſta cauſa;
aliter reſtrictio eſt nulla, ut docent ibid
Lezana, & Henriquez Immò Miranda af
fert declarationem S. Cong. ſub die 2. Iu
lij 1587. quam refert ibid. Lezana per ex-
tenſum, aduerſus talem irrationabilem
reſtrictionem.

3. Quia idoneitas ad abſoluendum,
non ſolùm requirit ſcientiam, ſed etiam
prudentiam, & probitatem, ut videbimus.
Ergo quia unus poteſt eſſe aptus ad au-
diendas confeſſiones ruſticorum, & non
curialium, virorum, & non mulierum,
ideo Epiſcopus conſcius de tali ſtatu ſa-
cerdotis, poteſt illum approbare prò viris,
& non mulieribus, prò uno pago, & non
prò Vrbe &c. habita ratione ætatis, do-
ctrinæ, & experientiæ, ut docet Suar. loc.
cit.

Ad 1. Nego minorem. Quamuis enim
Epiſcopus non conferat iuriſdictionem
Regulari, quia tamen Papa illam non con-
fert, niſi ut approbato ab Epiſcopo, ideo
quia approbatio eſt illi arbitraria (ut di-
ctum eſt) extenſio iuriſdictionis, quæ ſe-
quitur approbationem, pendet ab eius vo-
lun-

luntate. Atque adeo ſicut approbatus in uno loco, non acquirit iuriſdictionem in alio, quia ad illum non extenditur approbatio, quæ non poteſt excedere limites approbantis, ita iuriſdictio acquiſita prò una parte loci, non extenditur ad aliam, quia non poteſt excedere limites approbationis. Sicut enim ſe habet locus ad locum, ita una pats loci, ad aliam partem. Ergo ſicut iuriſdictio prò una diœceſi, quæ habet rationem loci, reſpectu orbis Chriſtiani, non valet in alia diœceſi, ita iuriſdictio prò una parte diœceſis, non valet in alia eiuſdem diœceſis. Et ratio eſt, quia ſicut Paſtor uniuerſalis habet poteſtatem diſtribuendi ſuas oues, paſcendas Epiſcopis, ut ſuis coadiutoribus, ita Epiſcopi habent poteſtatem diuidendi oues ſibi cōmiſſas ſubdelegatis, ut ſuis coadiutoribus, quot, & quos voluerint, in ordine ad confeſſiones ſacramentales, cum reſtrictione ſibi placita criminum, temporis, locorum, & perſonarum, non conferendo iuriſdictionem, ſed purificando conditionem à ſe pendentem, ſub cuius ſola purificatione, confertur iuriſdictio à Papa ſubdelegatis.

Ad 2. Nego antecedens. Cùm enim idoneitas confeſſarij requirat etiam prudentiam, & bonitatem, poteſt Epiſcopus ex aduenïente cognitione imprudentiæ, vel prauitatis in miniſtro, illum ſuſpen-

dere ab exercitio. Et quia ſæpe boni fiunt praui, ideo ut miniſtri ſint conſtantes in bonitate, expedit, ut Epiſcopus approbet illum, cum temporis limitatione, ut videlicèt faciliùs, cum minore ſcandalo, poſſit illum factum deteriorem, deijcere ab exercitio talis ſacramenti. Neque obſtat, quòd iudicium Regularium ſpectet ad eorum moderatores, Primò quia ſi deliquerint extra clauſtra, poſſunt Epiſcopi, ut delegati à S. Sede, in illos procedere. Et deinde quia licèt non habeant iuriſdictionem in illos, poſſunt habere notitiam prauitatis, qua ſe reddunt indignos tali munere, quod ſufficit, ad hoc ut poſſint iuſtè negare confirmationem approbationis, & ex timore prudenti, nè vitam in poſterum degant ſcandaloſam, poſſunt approbationem limitare. Vnde ſequitur, quòd qui hodie eſt idoneus, poſſit cras amittere idoneitatem, vel quia incidit in ſcandalum, vel quia ſuperuenerit notitia eius prauitatis, quæ antea non habebatur.

ARTICVLVS X.

An requirantur in miniſtro probitas, intentio, & ſcientia, ad valorem abſolutionis?

VIdentur non requiri, Primò quia Trid. ſeſſ. 14. c. 6. docet, *etiam ſacer-*

cerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus S. in ordinatione collatam, tamquam Chriſti miniſtros functionem remittendi peccata exercere, eoſque malè ſentire, qui in malis ſacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Et hoc confirmat, ut articulum fidei can. 10. eiuſd. ſeſſ. Deinde, in articulo mortis, etiam ſacerdos ignarus poteſt abſoluere, quod idem euenit in caſu neceſſitatis, ut in locis infidelium, in pagis &c. Ergo ſcientia non requiritur ad valorem abſolutionis. 3. Scientia ſpectat ad ſolam integritatem ſacramenti, ut contendit Card. De Lugo diſp. 22. ſect. 4. n. 73. Ergo non requiritur ad eius valorem. 4. Si requireretur intentio abſoluendi, poſſet aliquis iniquus ſacerdos illam non habere, & ſic penitens operans bona fide deciperetur, & fruſtraretur ſuo fine. Conſequens eſt abſurdum. Ergo intentio non requiritur ad valorem.

1. Concl. *Requiritur quidem probitas, & ſtatus gratiæ, ut miniſter licitè abſoluat, non tamen ut validè.*

Probatur prima pars, 1. Quia cùm hoc ſacramentum ſit reconciliativum peccatoris cum Deo, debet priùs miniſter, ſe cum illo reconciliare. Deinde quia fit iniuria ſacramento, quòd conferatur ab inimico Dei. Ergo ſacerdos exiſtens in mortali, tenetur vel confiteri, ſi poſſit, vel ſaltem conteri, priuſquàm ſacramentum admi-

niſtret; aliter toties mortaliter peccat, quoties abſoluit, ut omnes dicunt. Probatur ſecunda, primò ex Trid. in loco cit. Et deinde quia ſacerdos non abſoluit ex opere operantis, ſed operato, virtute clauium ſibi traditarum in ordinatione. Ergo eius ſtatus impertinenter ſe habet, ad remiſſionem criminum pęnitentis, & collationem gratiæ. Quòd ſi abſolueret ex opere operantis, tunc requireretur ſtatus gratiæ, aliòquin eius opera, utpote inimici Dei, non eſſent illi accepta, & per conſequens neque eſſent remiſſiua culpæ, & collatiua gratiæ ipſi pęnitenti.

2. Concl. *Requiritur in miniſtro intentio abſoluendi, ſaltem virtualis, ad hoc ut licitè, & validè abſoluat.*

Probatur, quia ſine tali intentione non operatur ut miniſter Chriſti, eò quia non habeat animum verbis correſpondentem, quibus Chriſtus loquitur per os ipſius. Ergo eius verba non habent efficaciam, remittendi peccata. Sufficit autem, ſi habeat intentionem fungendi ſuo munere, vel faciendi quod facit Eccleſia per talia verba abſolutionis, dummodo talem animum non retractet, quæ dicitur intentio virtualis, & requiritur in collatione cujuſcumque ſacramenti, ut probatur in tr. de ſacramentis in genere.

3. Concl. *Aliqua ſcientia requiritur ad valorem abſolutionis, quæ ſit proportionata*

ſtatui

ſtatui penitentis.

Probatur, quia ſacerdos abſoluendo, fert ſententiam ſuper ſtatum pœnitentis, illique taxat pœnam proportionatam. Sed Iudex non poteſt validè ferre ſententiam, qui non poſſit cognoſcere cauſam, & ſtatum rei. Ergo qui nullam habet ſcientiam, non poteſt validè abſoluere, quia non cognoſcit cauſam iudicandam, ut docent Tolet. in ſum. lib. 3. c. 10. n. 4. (ubi ait, confeſſionem factam ignoranti eſſe iterandam) Figliuc. to. 1. tr. 7. c. 9. n. 204. Ioſeph Aug. de pœn. min. n. 6. & alij communiter. Quia tamen multò plus requiritur, ad audiendas confeſſiones mercatorum, aulicorum, & iudicum, quàm ruſticorum, & puerorum, cùm in his non ſoleant accidere caſus adeo difficiles, ſicut in illis, ideo maior ſcientia requiritur ad iudicandam illorum cauſam, quàm horum, adeòque poteſt aliquis habere ſcientiam ſufficientem, ad audiendas confeſſiones in villis, & pagis, & non in urbibus, & in his reſpectu aliquorum, & non omnium. Et ideo diximus, requiri ſcientiam proportionatam ſtatui pœnitentis, iuxta doctrinam Toleti loc. cit. c. 15. nu. 4. ubi docet, *Cum verò ignarus eſt omninò confeſſarius, habita ratione ad pœnitentes, peccatum graue committit, ſi hoc officium exerceat, extra mortis articulum, & confeſſio nulla eſt.*

4. Concl. *Non requiritur tanta ſcientia, per quam facilè poſſint diſcerni omnia mortalia à venialibus, ſed ſufficit, quod poſſint diſcerni peccata communia, reſeruata, & quibus eſt adnexa cenſura &c. reſpectiuè.* Ita Card. De Lugo diſp. 22. ſect. 4. n. 70. & Toletus loc. cit.

Probatur prima pars, quia aliquando etiam viri doctiſſimi elaborant, in faciendo tali iudicio. Ergo ſi requireretur tanta ſcientia, vix ullus eſſet aptus ad audiendas confeſſiones. Probatur ſecunda, ad hoc ut ſententia ſit valida, & iuſta, ſufficit quòd proueniat ex cauſæ cognitione, prò ut illa dicit ordinem, ad taxationem pœnæ, debitæ qualitati, & quantitati delicti. Ad hoc autem ſufficit cognoſcere, an reus grauiter, vel leuiter deliquerit, an contra hanc, vel illam legem, an exceſſerit Iudicis facultatem, an teneatur ad ſe alteri præſentandum, reſtituendum, ſatisfaciendum &c. Ergo etiam hæc ſcientia ſufficit ad iudicium ſacramentale pœnitentiæ, habita ſemper ratione pænitentium, ut ſi ſunt mercatores, habeatur notitia de contractibus, ſi coniugati, de legibus matrimonij &c.

Dices, non poteſt iuſtè taxari pæna delicti, niſi exactè eius quantitas cognoſcatur. Ergo non ſufficit hæc ſcientia, ſed requiritur ſcientia perfecta de peccatis.

Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia

eùm

cùm ſatisfactio ſacramentalis non fiat ad æqualitatem, ut probauimus diſp. 9. ſed iuxta diuinam acceptationem, eius inæqualitas ſuppletur ex meritis Chriſti, & infinitate diuinæ miſericordiæ. Et ideo non eſt neceſſe, in eius taxatione habere perfectiſſimam cognitionem quantitatis delicti, ſicut eſt neceſſarium in iudicijs humanis, in quibus pęnæ imponi debent, ad æqualitatem delictorum.

Vrgebis, Poteſt ſacerdos, cùm tali ſcientia incidere in aliquem, habentem casus valdè difficiles, quorum ſolutioni non ſufficiat eius doctrina. Ergo poteſt errare in iudicando. Sed error in iudicando, inducit nullitatem ſententiæ. Ergo hæc non ſufficit.

Nego conſequentiam. Et dico, quòd in tali caſu ſufficit, quòd ſacerdos ſciat ſaltem dubitare, adeo ut vel pęnitentem remittat ad peritiorem, vel ſuſpendat abſolutionem, quoadusque ipſe ſacerdos conſulat viros doctiores, quid debeat facere, ſuppreſſo nomine pęnitentis. Quòd ſi neque ſciat dubitare, vel dubius iudicauerit, utique non eſt ſufficienter doctus, ad audiendas confeſſiones; atque adeo ex primo capite inualidè, & ex alio illicitè abſoluet.

Vnde patet reſponſio ad 1.

Ad 2. Nego conſequentiam. Et dico, quòd in talibus caſibus, ſicut Eccleſia ſup-

plet

plet defectum iuriſdictionis, ita ſupplet defectum idoneitatis. In alijs verò caſibus, in quibus requiritur iuriſdictio, requiritur etiam ſcientia.

Ad 3. Nego antecedens. Et ratio eſt, quia ſcientia eſt conditio neceſſaria ex parte ſacerdotis, ut fiat idoneus, ad recipiendam iuriſdictionem. Sicut ergo eſt neceſſaria iuriſdictio, non ad ſolam integritatem, ſed ad valorem ſacramenti, ita & idoneitas, quæ habetur per ſcientiam.

Ad 4. Nego minorem, cùm idem, & multò plus poſſit accidere in collatione baptiſmi, qui eſt abſolutè neceſſarius ad vitam æternam. Sicut ergo putans bona fide ſe baptizatum, quamuis verè non ſit, ex defectu intentionis miniſtri, ſaluatur per baptiſmum in voto; ita qui ſufficienter diſpoſitus, recipit abſolutionem, abſque intentione abſoluentis, poteſt ſupplere hunc defectum per pœnitentiam virtutem, & deinde in prima abſolutione, quã recipit validam in alijs confeſſionibus, abſoluitur directè à peccatis tunc confeſſis, & indirectè etiam ab illis, quæ confeſſus fuerat illi ſacerdoti iniquo, adeòque adhuc poteſt conſulere ſuæ ſaluti.

AR-

ARTICVLVS XI.

An debeat confeſſarius ſequi opinionem pœnitentis, quam ipſe putat improbabilem, vel minùs probabilem?

VIdetur non debere, Primò quia nullus Iudex poteſt in foro contentioſo, iudicare ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliore, ut ſuppono ex materia de iuſtitia, & iure. Ergo neque confeſſarius in foro conſcientiæ. Deinde quia poteſt pœnitens, ſibi nimium indulgens, decipi, & errare in iudicando. Ergo ſi confeſſarius teneretur ſequi eius opinionem, teneretur errare cum ipſo, quod eſt abſurdum. 3. Quia ageret contra conſcientiam.

1. Concl. *Debet confeſſarius ſequi opinionem pœnitentis, quam ipſe putat probabilem.* Ita Suar. diſp. 32. ſect. 5. n. 4. Sotus, Nauarrus, Ledeſma, Vaſq. Sanchez, De Lugo, Henriquez, Salonius, Valentia, Salas, Diana &c.

Probatur primò quòd poſſit, quia quiſque in cauſa propria, poteſt ſequi opinionem probabilem, ut eſt in confeſſo penès omnes theologos. Ergo multò magis in cauſa aliena. Deinde quòd debeat, quia pœnitenti ſufficienter diſpoſito, non poteſt negari abſolutio. Cùm ergo cenſeatur

tur ſufficienter diſpoſitus, ſi iuxta opinionem probabilem operetur, debet abſolui. Immò Suar. loc. cit. n. 2. De Lugo diſp. 20. ſect. 2. §. 3. n. 48. Sanchez lib. 1. in decal. c. 9. n. 28. Diana to. 1. trac. de op. prob. reſol. 11. & alij docent, confeſſarium peccare mortaliter, ſi nolit abſoluere pęnitentem, nè ſequatur eius opinionem probabilem. Et ratio eſt, quia poſito quòd pęnitens ſit legitimè diſpoſitus, acquirit ius ad abſolutionem. Ergo non poteſt iuſtè negari. Sed iniuſtitia in re graui, eſt peccatum mortale. Ergo ſi negetur, peccatur mortaliter; adeòque tenetur confeſſarius ſequi eius opinionem. E. g. eſt probabilis opinio; quòd reus de aliena fama, non teneatur illam reſtituere, cum euidenti periculo ſuæ vitæ. Si confeſſarius nolit illum abſoluere, niſi promittat, ſe reſtiturum famam ablatam, & de facto pęnitentem reijciat, abſque abſolutione, quia non vult ſtare eius mandato, promittens, ſe facturum, hoc, ad quod putat, ſe non teneri, & verè probabiliter non tenetur, confeſſarius peccat mortaliter, & eſt reus de eius damnatione, ſi abſque abſolutione iniuſtè negata moriatur.

2. Concl. *Confeſſarius non poteſt ſequi opinionem pœnitentis, quam putat improbabilem.* Ita Sanchez lib. 1. in decal. c. 9. n. 30. Diana tr. de op. prob. reſol. 11. Victoria &c.

Pro-

Probatur 1. ex abſurdo, quia alioquin confeſſarius teneretur etiam ſequi opinionem erroneam pęnitentis, quam ipſe putat probabilem, quando non poteſt pœnitentem conuincere de ſuo errore; poſſet enim accidere, quòd pœnitens audierit ab aliquo (quem ipſe putat virum probum, & doctum) uſuram eſſe licitam, adeòque putet probabiliter poſſe cum diſpoſitione ſufficienti, retineri affectum ad uſuram. Conſequens eſt abſurdum, quia hoc eſſet confirmare pœnitentem in ſuo errore. Ergo & antecedens. Deinde quia nemo poteſt operari, iuxta opinionem improbabilem, cognitam ut talem. Sed in tali caſu confeſſarius cognoſceret, opinionem pœnitentis eſſe improbabilem. Ergo ſi operaretur iuxta illam, operaretur, iuxta opinionẽ improbabilẽ, adeòque peccaret.

Ad 1. Nego conſequentiam, Primò quia huiuſmodi Iudices verſantur potiùs circa ius, quàm circa factum, & ideo tenentur ad exactam diligentiam meriti, vel demeriti ipſius rei. Iudex autem ſacramentalis verſatur circa factum, & ideo illo inuento, poteſt iuxta probabilem opinionem iudicare, ut docet Card. De Lugo loc. cit. Sed quia etiam ipſe debet reſpicere ius læſum à reo, ut cognoſcat qualitatem, & quantitatem delicti, illique taxare pœnam proportionatam, ideo relicta doctrina De Lugo, Dico, Iudices hu-

manos

manos teneri ad ſequendas opiniones probabiliores, quia debent taxare præmiũ, vel pœnam de condigno, & ad æqualitatem. Iudex autem ſacramentalis non debet taxare pœnã de condigno, & ad æqualitatem, eo quia debeat commutare pœnam æternam cum temporali, ſed iuxta proportionem, vel emendationis, ſi pęna ſit medicinalis, vel ſtatus pœnitentis, ſi ſit purè pęnalis. Ergo non tenetur ad exactiſſimam diligentiam. Præterea Iudex humanus damnat, & punit inuitum; ſacramentalis autem punit volentem, & libenter pœnam acceptantem. Ergo ille tenetur ad ſummam diligentiam, nè inuitus plus iuſto puniatur; hic autem non tenetur, quia licèt exceſſerit aliquantulum, volenti non fit iniuria, cùm fuerit in eius poteſtate, pœnam intimatam repudiare, ut in aliam mitiorem commutaretur. Ergo non eſt par ratio.

Ad 2. Patet reſponſio ex 2. concluſione.

Ad 3. Nego antecedens, Primò quia (ut docet hic Suar. diſp. 32. ſect. 5. n. 3.) quamuis aliquis operetur contra ſpeculatiuam opinionem, poteſt practicè non agere contra conſcientiam, quia poteſt iudicare, hic & nunc eſſe ſibi taliter operandum. Deinde quia confeſſarius non abſoluit pœnitentem, propter talem opinionem, quæ non reddit illum ſufficienter diſpoſitum, ſed quia iudicat de eius ſuffi-

cienti

cienti diſpoſitione, & ſequitur eius opinionem ſolùm in taxatione pœnæ, non obligando illum ad id, quod ipſe probabiliter putat, non eſſe ſibi imponendum. Ergo quamuis confeſſarius iudicet probabilius, poſſe illud imponere, tamen quia iudicat etiam eſſe ſibi licitum ſequi opinionem probabilem pœnitentis, ideo non agit contra conſcientiam practicè, ſed adſummum ſpeculatiuè, quod non vitiat eius iudicium.

ARTICVLVS XII.

An poſſit abſoluere complicem ſui criminis?

VIdetur non poſſe, ut contendit Bonaccina tr. de ſac. diſp. 5. q.7.p.5. §. 5. n. 10. qui docet, hoc eſſe intelligendum de quocumque peccato, etiam non venereo, quamuis n. 12. dicat, poſſe complicem abſolui quoad alia peccata; & n. 13. ait, poſſe etiam abſolui de peccato communi, non quidem in prima confeſſione, ſed in ſecunda, poſtquàm complex fuit abſolutus de illo ab alio ſacerdote. Fundamenta ſunt. Primò quia in Concil. prouinc. 7. t. de ſac. pœn. V. *qui criminis alicuius*, hoc prohibetur expreſsè: & in Synodo diœceſana 11. t. *Monita exec. decret.* V. *Confeſſario*, non ſolum hoc prohibe-

hibetur, ſed ablata eſt iuriſdictio confeſſarijs, ita ut confeſſio facta ſacerdoti culpæ ſocio ſit irrita, & ſacerdos incidat in excommunicationem Epiſcopo reſeruatam.

2. Confeſſio debet fieri cum pudore, & verecundia. Confeſſio autem facta complici, non eſt huiuſmodi. Ergo eſt nulla. 3. Sicut fęmina tempore iubilæi, non poteſt abſolui à ſacerdote approbato ſolùm prò viris; ita, & multò minùs poteſt ſocius criminis abſolui à ſacerdote, qui non cenſetur ad illum approbatus; aliter etiam ſuſpenſus, & excommunicatus, tempore iubilæi, poſſet abſoluere, cùm ſit eadem ratio, quod eſt abſurdum.

Ex quibus infert, hanc prohibitionem non eſſe propriè reſeruationem, primò quia reſeruatio directè imponitur pœnitenti, in pęnam peccati; hæc autem imponitur ſacerdoti. Deinde quia reſeruatio fert onus ſe præſentandi ſuperiori; hæc autem non fert, cùm poſſit complex abſolui à quocumque alio.

Concluſio, *Poteſt confeſſarius validè abſoluere ſocium criminis, & aliquando etiã licitè, dummodò uterque ſit diſpoſitus ex parte ſua.*

Probatur 1. cum Diana in ſum. V. *Confeſſar. quoad examen* n. 35. Vbi hæc habet, *Sed an confeſſarius concubinarius poſſit ſuæ concubinæ confeſſionem audire? Reſpondeo*

affir-

affirmatiuè, in rigore loquendo, immò, ut obſeruat Sancius diſp. 11. n. 16. aliquando id expedit, nè apud alios diffametur, ut citiùs à peccato liberetur, vel ut conſcientiam meliùs cognitam commodiùs conciliet; idque etiam ſi publicum ſit, ſacerdotem, & fœminam in concubinatu vixiße, quia ex actione de ſe licita, nullum oritur ſcandalum actiuum. Et ratio eſt, quia ſi concubina ſæpè confiteatur peccatum commune, oſtendit ſacerdoti complici turpitudinem concubinatus, & per ipſam non ſtare, quò minùs reſcindatur. Ergo poteſt valde iuvare, ad hoc ut inducat complicem ad pęnitentiam, ita ut ambo reſipiſcant.

Deinde quia niſi hoc iure aliquo particulari vetetur in aliqua diœceſi, de iure communi non eſt prohibitum. Nam (ut ipſe ſubdit) in c. fin. 30. quæſt. 1. ſolùm decernitur, nè confeſſarius miſceatur cū fœmina, cuius confeſſionem audierat, non autem contra, ut putauit Fagundez p. 2. lib. 4. c. 3. n. 35. Ergo cùm ſacerdos habeat ius, audiendi confeſſionem talis fœminæ, quæ continetur intra ſuam iuriſdictionem, & fæmina habeat ius confitendi tali ſacerdoti, quem ſuppono eſſe propriū, vel legitimè delegatum, nulla eſt ratio, cur non poſſit hic ſacerdos illam abſoluere. Aduertit tamen Sancius penès eumdem ibid. quòd ſi eſſet periculum lapſus,

vel

vel doloris defectus, id non liceret. Et ideo addidi illam limitationem, dummodò uterque ſit diſpoſitus ex parte ſua.

Vnde ſequitur, quòd uterque debet habere dolorem de peccato commiſſo, cum propoſito ad illud non redeundi; aliter confeſſio eſſet ſacrilega, ex parte utriuſque, nec eſſet licita, neque valida, eò quia neque pęnitens eſſet diſpoſitus, ad recipiendam abſolutionem, neque ſacerdos ad illam conferendam. Si verò uterque ſit ſufficienter diſpoſitus, non video cur non poſſit fieri validum ſacramentum. Quia tamen hoc eſt valde periculoſum, ideo cenſeo, quòd extra caſum neceſſitatis, debeat omninò vitari, nè ſacramentum veniat in contemptum, & fiat occaſio maioris mali.

Ad 1. Dico, textus allatos à Bonaccina eſſe particulares, adeòque non obligare, extra illam diœceſim, prò quo ſunt facti, ut eſt proprium conciliorum prouincialium, & diœceſanorum, quæ reddunt plures actiones illicitas in talibus locis ſibi ſubiectis, non quia de ſe ſint nullæ, ſed quia prohibitæ in talibus locis.

Ad 2. Nego minorem. Quamuis enim confeſſio peccati communis, audienti materialiter ſumpta videatur non eſſe verecunda, tamen ſi conſideretur formaliter ut ſacramentalis, quatenus prouenit ex deteſtatione talis peccati, cum propoſito ad

il-

illud non redeundi, aliquando eſt magis verecunda, quàm ſi fiat alteri, non habenti notitiam confitentis, cùm ſit ex ſe materia ingentis pudoris, præſertim in rebus venereis, ut cui fuit inſtrumentum flagitij, fiat reus ad pœnam. Sicut enim fuit error communis, ita per confeſſionem illius, ſit communis exprobatio, ut mutuò erubeſcant, ſe talia perpetraſſe, quorum utrumque debeat pęnitere, cum agnitione propriæ reitatis, quod multò plus valet, cùm uterque ſit ſacerdos, & ſibi inuicem delictum confiteantur.

Ad 3. Nego ſuppoſitum, quod ſolùm habet vim in illis locis, in quibus vigent decreta talium ſynodorum, prohibentia huiuſmodi confeſſiones. Vnde corruit paritas excommunicati, vel ſuſpenſi, qui cùm fuerint priuati iuriſdictione, durante tali priuatione, non poſſunt abſoluere, quod non valet de ſacerdote, qui per hoc quòd patret cum alio ſibi ſubdito aliquod crimen, non amittit in illum iuriſdictionem.

ARTICVLVS XIII.

Ad quid teneatur ſacerdos, qui errauit in ſacramento pænitentiæ.

TRipliciter poteſt errare ſacerdos, in adminiſtratione huius ſacramenti, nem-

nempe quoad ſubſtantiam, abſoluendò ſine requiſitis: quoad annexa, ut ſi obligauit pęnitentem ad reſtitutionem indebitam, vel non obligauit ad debitam: & quoad accidentalia, ut ſi non interrogauit circumſtantias, & numerum peccatorum, & de his breuiter ſingulis concluſionibus diſſeremus.

1. Concl. *Qui abſoluit abſque intentione, vel iuriſdictione, non poteſt deinde, illa obtenta, abſoluere cum intentione pænitentem abſentem.* Ita Suar. diſp. 32. ſect. 6. n. 3. Lugo diſp. 22. ſect. 3. n. 51. cum ferè communi.

Probatur, quia probauimus diſp. 11. ar. 4. non poſſe fieri abſolutionem abſentis; immò neque poſſe pęnitentem præſentem, ſed inſcium abſolui, quia poteſt non eſſe diſpoſitus, adeòque capax abſolutionis. Cùm ergo abſolutio taliter tradita ſit nulla, tenetur id confeſſarius pęnitenti manifeſtare, ut iterum, ſaltem ſecundùm generalia, vel ſibi poſt obtentam facultatem, peccata confiteatur, vel alteri habenti facultatem. Quòd ſi iterum accedat pęnitens ad confeſſionem, tenetur procurare, ut ille doleat etiam de peccatis antea confeſſis, & ſic illum abſoluere directè à peccatis nunc expoſitis, & indirectè ab alijs.

Ex quo ſequitur, falſam eſſe opinionem Syluestri, Nauarri, & Io. Valerij, quòd confeſſarius tunc ad nihil teneatur, quia nul-

nullum poteſt præbere remedium defectui, abſque graui detrimento ſuæ famæ. Et ratio eſt, quia pluris facienda eſt ſalus æterna talis pœnitentis, qui iniuſtè ponitur in tali ſtatu, ut ſi moriatur cum ſola attritione, quam putauit ſacramentalem, pereat in æternum, quàm parua iactura honoris confeſſarij. Ergo ſi non poſſit aliter ſupplere ſuo defectui, tenetur ſubire illud incommodum, ut innocens ſubleuetur à maiori, ut docent Io. Medina cod. de confeſſ. q. 39. *de alieno &c.* Sotus, & communiter recentiores, penès Lugo ib. n. 57. qui talem obligationem modificat ad ſolum culpabiliter operantem, cùm inculpabiliter deficientem, obliget ſolùm ad hoc, abſque ſuo graui incommodo.

2. Concl. *Tenetur confeſſarius ſe retractare, & reſarcire ex proprijs, damna quæ intulit, ſiuè poſitiuè, ſiuè negatiuè, per ſuum defectum culpabilem pœnitenti.* Ita Suar. diſp. 32. ſect. 6. n. 8. Sylueſter, Gab. Nauar. Ang. Zanard. &c.

Probatur cum Lugo diſp. 21. ſect. 3. n. 62. Quiſque tenetur reponere in ſuo ſtatu (quantum fieri poteſt) quemcumque iniuſtè ab illo remouit. Sed confeſſarius conſulens reſtitutionem indebitam, vel negationem debitæ, ponit vel pœnitentem, vel dominum in ſtatu deteriori. Ergo tenetur illis reſarcire damna ex proprijs, ſi aliter non poſſit. Præterea qui dedit conſi

lium falſum culpabiliter, cùm damno alterius, tenetur ſe retractare. Ergo etiam talis confeſſarius. Quòd ſi inculpabiliter errauit, tenetur tunc ſolum, iuxta modificationem ſupra allatam. Sin autem pęnitens, cognita falſitate conſilij confeſſarij, poſſit, & velit reſtituere, tunc abſoluitur confeſſarius ab utroque. Sin verò nequeat, vel nolit, cùm priùs poſset, & vellet, ad utrumque tenetur confeſsarius, quia eius culpa pęnitens factus eſt impotens, vel nolens.

3. Concl. *Hæc obligatio prouenit ex iuſtitia, ſi defectus ſit culpabilis; ex caritate autem, ſi inculpabilis.*

Probatur quoad primam partem, Iudex damnans iniuſtè ad aliquam ſolutionem indebitam, vel iniuſtè reum abſoluens à debita, facit contra ſuam obligationem, quam habet, ſeruandi unicuique quod ſuum eſt. Ergo tenetur ex iuſtitia damnum reſarcire. Sed confeſsarius eſt iudex in foro conſcientiæ. Ergo ſi culpabiliter deliquerit, tenetur ad tantumdem in tali foro, atque teneatur alter in foro fori. Ergo cùm hic teneatur ex iuſtitia, etiam ille. Quamuis enim directè non teneatur intendere, niſi bonum pęnitentis, ut docet ibid. Lugo, quia tamen hoc eſt annexum cum bono alterius, ideo indirectè tenetur etiam ad bonum alterius. Sicut ergo Iudex temporalis, non puniens, cum poteſt

pu-

iblicos graſsatores, tenetur ex iuſtitia, n ſolùm de iniuſta abſolutione, ſed etiā directè de homicidijs, & rapinis ex illa ſultantibus; ita & confeſsarius abſol. ndo furem ab iniuſta ablatione, tenetur rectè de iniuſtitia talis abſolutionis, & directè de damno, quod ex illa reſultat omino rei ablatæ.

Probatur quoad ſecundam, inculpabi- ter errans non facit contra ſuam obliga- onem, niſi materialiter. Ergo non fa- t actum iniuſtitiæ. Atque adeo ſicut edicus inculpabiliter omittens medici- m, unde ægrotus incidit in phræneſim, l furorem, quo percitus patret homici- um, non tenetur de homicidio, ſicut neretur, ſi culpabiliter omiſiſset, ex af- ctu homicidij præuiſi; ita neque confeſ- rius, qui eſt medicus ſpiritualis. Ergo on poteſt obligari, niſi ex caritate, quæ im ſit minor, non ſe extendit, ad repa- tionem damni, utcumque ſibi poſſibi- m, ſed ſolùm ad commodè ſibi poſſibi- n.

4. Concl. *Si defectus accidat circa acci- ntalia, ſi ſit culpabilis, confeſſarius te- tur ad pœnitentiam, & nihil aliud; ſi ve- ſit inculpabilis, ad nihil tenetur.* Ita gliuccius to. 1. trac. 3. c. 12. q. 7. n. 374. ar. loc. cit. Nauarrus, Diana, Reginal- s &c.

Probatur, quia ex una parte abſolutio

fuit valida, & ex alia nulli fit damnum. Ergo ad ſummùm poteſt obligari confeſſarius, ad retractandam culpam per pœnitentiam, quæ ſi non intercesſit, ad nihil tenetur. Quia tamen poteſt accidere, quòd ex tali defectu, remaneat penitens in proxima occaſione peccandi &c. ideo poteſt per accidens obligari ex charitate, ad illum admonendum, ſi commodè fieri poſſit. Et ratio eſt, quia quiſque tenetur corrigere proximum peccantem ex ignorantia. Ergo multò magis confeſſarius, ſi viderit penitentem, ex illa omiſſione interrogationis peccaturum, tenetur illum interrogare, & docere de ſua obligatione. Cætera vide penès Suarium loco citato, nam nihil tibi ſupererit deſiderandum.

Quæres, an poſſit confeſſarius abſoluere à non reſeruatis, habentem etiam reſeruata, ſi non habeat facultatem ad reſeruata? Reſp. negatiuè cum communi. Et ratio eſt, quia confeſſio debet eſſe integra, ut videbimus, & abſolutio debet cadere ſupra omnia peccata, aliter non reconciliaret penitentem cum Deo, quod in tali caſu euenire non poſſet. An autem poſſit habens facultatem ad reſeruata, abſoluere ab illis, & non ab alijs, puto non poſſe, propter eamdem rationem. Superior verò reſeruans poteſt, auditis reſeruatis, illa ſola abſoluere, non quidem

quoad

quoad culpam, ſed quoad illam annexam pœnalitatem, ita ut illa ablata, poſſint deinde ſacramentaliter abſolui à quocumque alio.

Quæres 2. An abſoluens abſque iuriſdictione, incurrat aliquam pœnam? Reſpo. cum communi, incurrere irregularitatem, cui Suar. diſp. 32. ſect. 7. n. 1. ſuperaddit excommunicationem in bulla cœnæ. ſed quia illa fulminatur ſolum contra abſoluentes à reſeruatis caſibus, & cenſuris in tali bulla, ideo cenſeo, illam non incurri per ſolam abſolutionem à non reſeruatis, factam ſine iuriſdictione. Et ratio eſt, quia in odioſis verba non ſunt ampliianda, ſed reſtringenda. Ergo cùm in tali bulla ſolùm nominentur abſoluentes à reſeruatis ab illa, non debent comprehendi etiam abſoluentes ab alijs non reſeruatis, cum defectu iuriſdictionis.

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De Sigillo Confeſſionis.

OBligari ſacerdotem ad ſtrictiſſimum ſigillum, ſeu ſecretum eorum, quæ audiuit in confeſſione, patet, non ſolùm ex Greg. in c. *ſacerdos de pen.* d. 6. & ex c. *Omnes utriuſque ſexus* de pœn. & rem. verum etiam ex immemorabili praxi totius Eccleſiæ, per quam fractores talis ſigilli grauiſſimis pœnis puniuntur. Quare illo ſuppoſito, quod fuſè probat Suar. diſp. 33. ſect. 1. quæremus 1. quos, & de quibus obliget hoc ſigillum. Deinde, an ex vi illius, poſſit ſacerdos licitè negare, ſe audiſſe in confeſſione, quæ verè audiuit? 3. An poſſit uti notitia, quam habuit per confeſſionem, ſaltem de licentia pœnitentis?

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſemper, & in omni caſu obliget hoc ſigillum?

VIdetur non ſemper obligare, 1. Quia Conink diſp. 9. de pœn. dub. 2. n. 33. inquit, poſſe reuelari peccatum, quando eius reuelatio eſt neceſſaria, ad impediendam euerſionem totius Reipublicæ. 2. De Lugo diſp. 23. ſect. 3. n. 53. docet, poſſe, & debere ſacerdotem denunciare hæreticum, qui fictè confiteretur tentationes, & motiua, ad deſerendam fidem, animo ſeducendi ipſum confeſſarium, ſi illi conſtiterit de tali animo confitentis. 3. Diana in ſum. V. ſigillum n. 16. videtur ſentire cum Lugo, dicens, hanc non eſſe confeſſionem, ſed confuſionem, & potiùs illuſionem ſacramenti, & citat prò ſe Fagundez, & alios ſuppreſſo nomine.

Concluſio, *Nullus datur caſus, ad quem non extendatur obligatio ſigilli.* Ita D. Tho. in ſuppl. q. 11. ar. 1. Tolet. in ſum. lib. 3. c. 16. n. 3. ubi ait, hanc eſſe opinionem communem.

Probatur 1. Cùm ex una parte hoc ſacramentum ſit maximè neceſſarium lapſis poſt baptiſmum, & ex alia ſit valde durum, quòd quis ſponte ſua ſcelera alteri manifeſtet, debuit eius durities ſigillo indiſ-

penſabili mitigari, ratione cuius fideles tantam habeant confidentiam cum ſacerdote, quantam haberent cum ipſo Deo. Sed ſi aliquando liceret, frangere hoc ſigillum, amitteretur hæc confidentia, & omnes retraherentur à ſacramento. Ergo debuit eſſe ita rigoroſa hæc obligatio, ut in nullo caſu poſſit diſpenſari.

2. Hoc ſacramentum eſt adæquatè inſtitutum, in bonum pęnitentis. Ergo nullo modo poteſt ordinari ad alium finem. Sed qui uteretur notitia per illud habita, ad vitanda mala, vel promouenda aliorum bona, illud ordinaret ad alios fines. Ergo magnam iniuriam faceret ſacramẽto, adeòque ratione abuſus illius, grauiſſimè peccaret.

3. Numquam licet facere malum, propter quemcumque finem bonum. Sed infamare pœnitentem, reuelatione ſuorum criminum, eſt intrinſecè malum. Ergo nullo bono fine poteſt cohoneſtari. Et demum quia Chriſtus eſt veluti fideiiuſſor prò ſuo Vicario, in fauorem pœnitentiũ. Ergo ſi eius Vicarius proderet crimina, quæ Deus tegit per ſacramentum, iuxta illud Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, faceret fœdifragum ipſum Deum. Ergo faceret contra iuſtitiam, & committeret maximum ſacrilegium.

Ad 1. Dico, quòd ſicut ſacerdos non

poſſet

poſſet impedire euerſionem Reip., ſi tale peccatum per confeſſionem non cognouiſſet, ita ſe debet gerere, ac ſi illud non audijſſet, cùm talis notitia deduci non poſſit ad regimen Reip. Verum quidem eſt, quòd talis confeſſarius poſſet, ſecundùm generalia, admonere magiſtratum, ut diligentiùs vigilet, in cuſtodienda Republica, ut concedit D. Tho. loc. cit. ad 1. ita tamen debet ſe gerere, ut neque verbo, neque ulla alia ratione poſſit prodere pœnitentem, ſiue confitentem, licèt fictũ. Atque adeo in caſu ſimili debet confeſſarius, vel non abſoluere pœnitentem, vel illum obligare ad reuelandum, vel ut ſibi concedat facultatem reuelandi, cùm ex ſe numquam poſſit reuelare. Quamuis enim poſſit aliquando contingere, ut ipſa reuelatio cadat in bonum ipſius pœnitentis, quia tamen hic eſt caſus rariſſimus, eiuſq; utilitas eſſet minima, præ incommodo, quod ſequitur ex retractione fidelium ab uſu ſacramenti, expedit, ut nullo modo inducat diſpenſationem à ſeruando ſigillo, etiam in tali caſu, ut docent Toletus loc. cit. & Eſparſa q. 94. ar. 4.

Ad 2. Reſpondet Toletus in ſum. lib. 3. c. 16. n. 6. dicens, quòd in caſu à Lugo aſſignato, *adhùc confeſſarius obligatur ſigillo, quamuis pœnitens ſit hæreticus, & habeat animum nocendi multis, immò toti Reipublicæ.* Quòd ſi non poteſt reuelare peni-

tentem, habentem animum, nocendi toti Reipub. quamuis ſit hæreticus, quomodo poteſt reuelare habentem animum decipiendi ſolum confeſſarium? Antecedens admittitur etiam ab ipſo Lugo ead. diſp. 23. ſect. 1. n. 12. his verbis, *Vnde conſtat reſp. ad fundam. prò ſen. cont. quæ contendit, non reddi odioſam confeſſionem, licèt in illo caſu, quo pænitens non eſſet dignus, cui ſeruaretur ſecretum, eò quòd nollet deſiſtere à machinanda Reip. euerſione, confeſſarius poſſet illam reuelare. Hoc enim ipſum retorqueri poteſt; ſiquidem in fauorem confeſſionis, de facto Chriſtus prohibuit, nè illo etiam caſu reuelaretur, quia licèt ipſe pænitens de ſe non eſſet dignus, quòd ſeruaretur ſecretum, reuerentia tamen ſacramenti exigit, quòd etiam indigno ſeruetur ſecretum.* Et affert rationem, *nè cæteri timeant, quòd ſacerdos eam licentiam extendat, vel zelo, vel paſſione ductus; non eſt enim facilè diſcernere caſum veræ neceſſitatis, à caſu apparentis.* Et deinde concludit, *Facilius confeſſarij omnes ſcire poſſunt prohibitionem uniuerſalem, reuelandi prò omni caſu, quàm diſcernere unum caſum ab alio. Quare ut ille metus auferretur à pœnitentibus, oportuit, totaliter reuelationem prohiberi.* Idem aſſeritur à D. Tho. in 4. d. 21. q. 3. ar. 1. ad 1. & à Vaſq. q. 93. ar. 4. dub. 2. n. 4. Et probant, quia alioquin quoties aliquis, propter indiſpo-

ſitio-

ſitionem, non abſoluitur, poſſent eius peccata reuelari, quòd eſt abſurdum, quia licèt hæc non ſint materia abſolutionis, ſunt confeſſionis, quod ſufficit ad hoc ut maneant ſub ſigillo.

Ad 3. Patet reſponſio ex dictis. Quamuis enim illa confeſſio ſit nulla, & habeat potiùs rationem hiſtoriæ, tamen quia materialiter fit ſicut vera confeſſio, & à confeſſario acceptatur in ordine ad abſolutionem, expedit quòd inducat obligationem ſecreti, nè detur anſa confeſſarijs, vel ex malitia, vel ex ignorantia, reuelandi peccata, putantibus, hunc eſſe caſum, in quo poſſint reuelari.

ARTICVLVS II.

An ſigillum obliget ſolos confeſſarios?

VIdetur quòd ſic, Primò quia hoc ſigillum inductum eſt prò confeſſarijs. Ergo non extenditur ad alios. 2. Qui audit aliquem ſua crimina confitentem ſacerdoti non obligatur ad ſigillum. Quod idem valet de interprete, de inueniente chartam, in qua ſint ſcripta peccata, de cõſiliario, tàm ſacerdotis, quàm pœnitentis, in rebus dubijs ſpectantibus ad confeſſionem, de eo, cui ſacerdos impiè reuelauit confeſſionem alterius &c. qui non tenentur ad ſigillum. Ergo &c.

1. Concl. *Interpres, & quicumque alius notitiam criminum hauſerit ex confeſſione ſacramentali, tenetur ad ſigillum.* Eſt cõmunis penès Lugo diſp. 23. ſect. 2. D. Tho. in 4. d. 21. q. 3. ar. 1. quæſtiunc. 3. Nauar. Suar. Vaſq. Syluerium &c. aduersùs Caiet. & Sotum, qui docent, illos obligari ſolo ſecreto naturali arctiſſimo.

Probatur 1. Quæcumque peccatorum notitia, quæ habeatur per ſacramentum, vel in ordine ad ſacramentum, debet ita ſe habere ad humanum commercium, ac ſi non fuerit, quia debet pęnitens remanere in tali ſtatu poſt confeſſionem, ac ſi ſoli Deo confeſſus fuiſſet. Ergo quomodocumque habeatur talis notitia, debet eſſe omninò inutilis humano commercio. Non eſſet autem inutilis, ſi poſſent illa vti interpres, & alij. Ergo debent omnes obligari ad hoc ſigillum. Ratio à priori aſſertur à Nauarro in ſum. c. 8. & in cap. *ſacerdos de pœnit.* d. 6. quia res ad quamcumque tranſeat, tranſit cum ſuo onere, ut habetur ex c. *ex litteris de pignor.* Sed res in cõfeſſione manifeſtata, habet onus, ut debeat taceri, quod onus priùs afficit ipſam rem, & deinde perſonam. Ergo ſemper tranſit cum hoc onere. Deinde quia, omnis notitia ſacramentalis eſt adæquatè in bonum pęnitentis. Ergo debet eius voluntati ſubordinari, adeòque à nullo ſine eius conſenſu, poteſt manifeſtari.

Ex

Ex quo ſequitur primò, non habentem auctoritatem ad reſeruata, adeòque non abſoluentem de reſeruatis auditis in confeſſione, teneri illa tacere ſub ſigillo. Et ratio eſt, quia licèt illa confeſſio, utpote facta non habenti facultatem, non ſit formaliter completa, tamen eſt inchoata, & incompleta, quatenus facta eſt habenti ex vi ordinis facultatem incompletā, adeòque fuit ordinata ad abſolutionem ſacramentalem.

2. Teneri etiam ad ſigillum, Primò cui impiè confeſſarius reuelauit confeſſionē, ut aſſerunt Lugo, Suar. & Vaſquez. 2. Cōſiliarium, quem adiuit confeſſarius, dubius de aliquo ſpectante ad confeſſionem, ut docet Suar. diſp. 33. ſect. 4. n. 6. contra Vaſq. aliter ſentientem diſp. 93. ar. 4. dub. 2. nu. 10. Tertiò ſuperiorem, à quo petitur facultas prò reſeruatis, ut docent Præpoſitus, Lugo, Conink, Henriq. Victoria, Diana &c. 4. Caſu audientes aliorum confeſſiones, dùm fiunt ſacerdoti, ut docent Diana, cum Onuphrio, alijſque communiter. 5. Inuenientes chartam, ubi ſint ſcripta peccata, ut docent Diana, Fagundez, Rodriguez, Malderus, Vega, Nauarrus, & Zanardus. Et ratio eſt, quia omnes hi habent hanc notitiam per ſolā confeſſionem ſacramentalem, vel per aliquid ad illam ordinatum, ut fusè nobiſcum in his omnibus ſentiens, proſequitur

hinc

hanc materiam Toletus in ſum. lib. 3. c. 16. n. 6.

Dices, qui ſcripſit ſua crimina, potuit id facere, ut conſulat virum doctum, & prudentem. Ergo talis ſcriptio non eſt in ordine ad confeſſionem, adeòque eius inuentor non tenetur ad ſigillum. Nego conſequentiam, cùm nemo conſulat doctos ſuper peccatis, niſi ut illa ſacramentaliter confiteatur. Ergo talis ſcriptio, etiam ut immediatè relata ad conſultationem, videtur eſſe inchoata confeſſio, niſi tamen fiat ſecundum generalia, cum abſtractione à perſona particulari.

Vrgebis cum Lugo oppoſitum ſentiente diſp. 23. ſect. 2. n. 47. illa charta non eſt confeſſio, ſed materia præparata ad confeſſionem. Ergo non inducit obligationem ſigilli. Nego conſequentiam, retorquendo argumentum, eſt materia præparata ad confeſſionem. Ergo eſt confeſſio inchoata, quæ deinde oretenus abſoluetur.

6. Sequitur, teneri ad hoc ſigillum, etiam illum, qui cùm non ſit ſacerdos, vel careat iuriſdictione, fingit ſe talem, & audit alicuius confeſſionem, ut docent Tolet. ibid. & Lugo ibid. n. 40. ubi ait, hanc eſſe opinionem communem, & citat prò illa Suar. Vaſq. Gab. Palud. & Adrian. Et ratio eſt, quia licèt ex parte miniſtri, hæc confeſſio non fuerit ſacramentalis, tamen

men fuit ex parte pœnitentis, qui confeſſus eſt, cum intentione, recipiendi abſolutionem ſacramentalem. Demum ſequitur, omnes teneri ad hoc ſigillum, qui mediatè, vel immediatè: directè, vel indirectè: licitè, vel illicitè cognouerint aliorum peccata, per ſolam confeſſionem ſacramentalem, ut docet Tolet. loc. cit.

Ad 1. Nego conſequentiam. Quamuis enim ſolus confeſſarius teneatur ad ſigillũ, in foro fori, ita ut puniatur tãquam fœdifragus, ſi reuelet confeſſionem; tamen etiam alij tenentur ad ſigillum in foro conſcientiæ, ita ut grauiſſimè peccent, ſi reuelent quod audierunt per confeſſionem, quamuis regulariter non ſubiaceant pœnis, ſtatutis contra reuelantes. Ad alia patet reſponſio ex dictis.

ARTICVLVS III.

An omnia audita in confeſſione maneant ſub ſigillo?

VIdetur, quòd non, Primò quia peccata publica, quæ etiam innoteſcerent confeſſario, quamuis illa à pęnitente non audiſſet, non poſſunt eſſe materia ſigilli. Deinde reuelationes, & virtutes expoſitæ in confeſſione. 3. Pœnitentia impoſita, defectus pęnitentis, tàm phyſici, quàm morales. 4. Peccata complicum, alio-

aliorumque, quæ incidenter in confeſſione manifeſtantur. Ergo non omnia cadunt ſub ſigillum.

1. Concl. *Peccata complicum, & cuiuſcumque alterius imprudenter à pœnitente manifeſtata, manent ſub ſigillo.* Ita Lugo diſp. 23. ſect. 3. n. 68. Diana V. *Sigillum* n. 15. Malderus, Suar. Villalobos, & eſt communis, uno excæpto Io. dela Cruz in direct. p. 2. de pœn. q. 6. dub. 2. concl. 2.

Probatur 1. Sæpe ex declaratione complicum, declaratur peccatum pœnitentis. Ergo eorum peccata ſpectant ad pœnitentis confeſſionem. 2. Si hæc non eſſent ſub ſigillo, nimis dura redderetur confeſſio, cum rudes, & feminæ putantes, eſſe neceſſarium ad valorem confeſſionis, complices, aliaſque perſonas manifeſtare, ab illa retraherentur. 3. Quamuis hæc peccata aliorum, materialiter ſe habeant ad ſacramentum, tamen per illud ſolum innoteſcunt. Ergo ſicut qui audijt confitentem, quamuis non ſit miniſter, tenetur ad ſigillum, ut dictum eſt, ita & miniſter.

2. Concl. *Etiam peccata publica, expoſita per confeſſionem, manent ſub ſigillo, niſi aliunde ſint nota confeſſario.* Ita D. Tho. in 4. d. 2. q. 3. ar. 3. Suar. diſp. 33. ſect. 3. n. 7. Vaſq. Bonacc. Lugo, Gab. & eſt communis, excæpto Io. Medina.

Probatur, quia publicitas non nota confeſſario, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet.

eſſet. Ergo hæc peccata remanent illi nota per ſolam confeſſionem, unde contrahit obligationem ſigilli, nè ſemel data exceptione, arripiat frequenter occaſionem confeſſarius, reuelandi peccata, ex falſa perſuaſione, quòd illa ſint publica. Quòd ſi aliunde ſint nota confeſſario, non tenetur ad eorum ſigillum, eò quia poſſit illa reuelare, abſque notitia ſacramentali. Vt autem tollatur ſuſpicio, quòd non utatur notitia ſacramentali, ſatius eſſet dicere, unde ea ſciat. Quia tamen facillimum eſt, confundere notitiam ſacramentalem cum alia, ideo melius eſt de illis tacere.

3. Concl. *Peccatorum circumſtantiæ, & pænitentia impoſita manent ſub ſigillo.* Ita Lugo diſp. 23. ſect. 4. n. 52. & 89. Diana, Henriq. Nauarrus, & alij ſatis communiter.

Primum patet, quia huiuſmodi circumſtantiæ, ſiue mutantes ſpeciem, ſiue numerum, ſiue aggrauantes, ſunt materia confeſſionis, ut probauimus diſp. 5. ar. 7. & ſeqq. Ergo ſunt materia ſigilli. Probo ſecundum, quia ex grauitate pęnitentiæ, arguitur grauitas peccatorum, ſaltem in genere, & aliquando etiam in ſpecie, ſi ſit medicinalis, ut eſſet eiectio ancillæ, fuga commercij cum aliqua, prohibitio ludi &c. Quòd ſi pęnitentia ſit leuiſſima, unde non poſſit argui, niſi aliquod peccatum veniale in genere, non manet ſub ſigillo, ut

ut eſt recitatio unius orationis dominicæ. Et ratio eſt, quia cùm nullus poſſit abſolui, niſi de peccatis, eò ipſo quòd accedat ad confeſſarium, ſupponitur habere aliquod peccatum, ſaltem veniale. Ergo ſi per pœnitentiam non innoteſcit, niſi aliquod veniale in genere, non plus innoteſcit, quàm per acceſſum ad confeſſarium. Atque adeo ſicut hic non faceret contra ſigillum, dicendo *talis confeſſus eſt mihi*, ita neque faceret, leuiſſimam pęnitentiam illi impoſitam manifeſtando.

4. Concl. *Defectus occulti pęnitentis, tàm phyſici, quàm morales, quorum explicatio ſpectat ad explicationem peccatorum, manent ſub ſigillo, dummodo tamen illos non fuiſſet etiam pęnitens dicturus extra confeſſionem.* Eſt eiuſd. Lugo ibid. n. 55. Conink diſp. 9. dub. 1. n. 13. Suar. diſp. 33. ſect. 3. n. 5. Hurtadi, Soto, Bonacinæ &c.

Probatur, quia totum id eſt materia ſigilli, quod ſpectat ad confeſſionem, ſiue formaliter, ſiue reductiuè. Sed eiuſmodi defectuum explicatio ſpectat ad integritatem confeſſionis, ſaltem materialiter, & obiectiuè, ſiue reductiuè, eò quia ſine illis non ſufficienter explicarentur peccata. Ergo manent ſub ſigillo. Quòd ſi tales ſint, ut ex illis nulla ſit oritura pęnitenti materia ruboris, & confuſionis, adeo ut ex circumſtantijs poſſit iudicari, quòd pęnitens.

tens, ſaltem virtualiter, & interpretatiuè; non cenſeatur inuitus ad eorum manifeſtationem, quos ipſe quoque extra confeſſionem manifeſtaret, ut quòd ſit pauper, quòd vexetur à Principe &c. non manent ſub ſigillo, quia ad horum publicationem, cenſetur pęnitens aſſentiri.

5. Concl. *Omnes defectus pœnitentis à non ab ipſo in confeſſione manifeſtati, ſed immediatè, vel mediatè percæpti à confeſſario, non ſunt materia ſigilli.* Ita Nauarrus c. 8. n. 12. Lugo diſp. 23. ſect. 3. n. 60. con. Conink diſp. 9. dub. 1. n. 11.

Probatur, Non continentur ſub ſigillo, niſi ea, quæ per confeſſionem manifeſtantur à pęnitente. Sed huiuſmodi defectus non manifeſtantur per confeſſ. à pęnitente, e. g. quòd ſit graueolens, blæſus, moroſus, lippus, ſcrupuloſus &c. Ergo non continentur ſub ſigillo, quia ſunt extra ipſius confeſſionem, & pateſcunt confeſſario, ut homo eſt. Vnde ſequitur, peccata, quæ patrantur à pęnitente, dùm confitetur, non eſſe ſub ſigillo, ut ſi maledicat ſacerdoti, vel ſe urgentibus blaſphemet &c. quia hæc cùm ſint in fieri, non cadunt ſub clauibus. Quòd ſi pęnitens reſipiſcens, deinde ut patrata confiteatur, ponuntur ſub ſigillo, eò quia exponantur clauibus.

Vnde ſequitur 1. quidquid dicitur extra confeſſionem ſacramentalem, quamuis

ap

apponatur proteſtatio, quòd dicatur in confeſſione, non eſſe materiam ſigilli, ut docent Raynaud. de monit. p. 1. c. 3. q. 4. & Diana in ſum. V. *ſigillum* n. 20. Et ratio eſt, quia hæc non ordinantur ad abſolutionem ſacramentalem, nec exponuntur clauibus. Ergo ex nullo capite per illam futilem proteſtationem reducuntur ad ſigillum, ſed adſummum ponuntur ſub ſecreto naturali.

2. Quamcumque locutionem confeſſarij, unde poſſit aliquo modo reuelari peccatum, auditum in confeſſione, eſſe fractionem ſigilli. Et ratio eſt, quia ſigillum obligat, ad tacendum totum illud, quo poſſit, ſiue mediatè, ſiue immediatè, ſiue directè, ſiue indirectè, manifeſtari confeſſio. Ergo quæcumque talis manifeſtatio, eſt formaliter fractio ſigilli.

Ad 1. Patet reſponſio, ex dictis in 2. concl.

Ad 2. Dico, reuelationes, virtutes, & miracula expoſita in confeſſione, non eſſe materiam ſigilli, niſi exponantur ad manifeſtandum aliquod peccatum, ut ingratitudinem in Deum, ut docent Lugo ibid. n. 58. Sa, Bonaccina, Nauar. Henriq. &c. Et ratio eſt, quia ut tales, non ſunt materia confeſſionis, niſi ad illam ordinentur, ut neceſſariæ, ad aperienda peccata.

Ad 3. Et 4. Patet reſponſio ex dictis in 1. 3. & 5. concl.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

An poſſit confeſſarius licitè negare, ſe audijſſe in confeſſione peccata, quæ verè audiuit?

VIdetur non poſſe, ut opinati ſunt Gabriel in 4. d. 21. q. 1. ar. 3. dub. 1. caſu 3. & Altiſiodor. lib. 4. t. 6. c. 3. q. 7. dicentes, teneri confeſſarium interrogatum, & coactum per iuramentum, an audierit hoc, vel illud in confeſſione, illam reuelare. Eorum unicum fundamentum eſt, quia aliter mentiretur. Mendacium autem eſt ſemper in omni caſu peccatum inexcuſabile. Ergo quia peccatum numquam poteſt adhiberi ut medium, ad quodcumque bonum, debet omitti per aſſertionem veritatis, nec eſt curanda confeſſionis reuelatio, cùm alio modo mendacium euitari non poteſt.

Quia tamen in Log. lib. 3. diſp. 1. ar. 2. ſtatuimus oppoſitum, videlicèt neque cõfeſſarium poſſe dicere, *audiui*, quia eſſet periurus, neque *non audiui*, quia eſſet fœdifragus, neque ſilere, quia ſilentio reuelaret, ſed debere interrogantem repellere, ut importunum, & temerarium; ideo placet hic aliorum opiniones examinare. Cùm enim omnes conueniant, non poſſe reuelari confeſſionem, & ideo opinionem

Ga-

cto, ſed affirmat ſcientiam de negatione obiecti. Cùm ergo in talibus caſibus, non poſſit affirmari hæc ſcientia, neque poteſt verè negari. Sed hæc doctrina continet plures falſitates, quàm verba. Primò quia ſi hæc propoſitio, *non ſcio Petrum eſſe in foro*, affirmaret ſcientiam de negatione existentiæ Petri in foro, illo exiſtente in foro, eſſet falſa, quia non daretur obiectum ſcientiæ affirmatæ, ſed oppoſitum. Deinde eſſet affirmatiua, quia affirmaret ſcientiam de negatione obiecti. 3. non eſſet vera, niſi per actum ſcientificum poſſem probare, Petrum non eſſe in foro, quæ ſunt abſurda. Ergo hæc doctrina eſt vndequaque falſa.

Dices, Chriſtus D. Marci 13. loquens de finali iudicio, inquit, *de illo die nemo ſcit, neque filius hominis*. Sed hoc eſſet falſum, niſi Chriſtus intellexiſſet de ſcientia utili ipſis diſcipulis. Ergo doctrina Lugo eſt vera.

Nego minorem. Et dico, illum locum eſſe exponendum de filio hominis, ut purus filius hominis eſt. Neque enim ut talis ſciret illum diem, niſi Verbo Æterno hypoſtaticè uniretur. Quare ly *neque filius hominis*, facit ſenſum formalem, & reduplicatiuum de humanitate, non autē materialē & ſpecificativum de Chriſto D. ut eſt realiter in ſe. Ergo non negat ſcientiam utilem interrogantibus, ut ait Lugo.

2. Con-

2. Concl. *Neque poteſt ſaluari illa ne-atio (non audiui) per reſtrictionem menta-em (ut dicam tibi) vel aliam æquiualentẽ,* it exponit Suar. diſp. 33. ſect. 6. n. 7. cum Falquio, & alijs pluribus.

Probatur 1. quia ſi admittatur hæc doctrina Suarij, omnia mendacia eſſent licita; ſiquidem ſemper poſſent excuſari per huiuſmodi reſtrictiones mentales, & nullus poſſet conuinci de mendacio, quod eſſet exterminium humani commercij. 2. Vel huiuſmodi reſtrictiones mentales cõplent locutionem externam, vel non? Non primum, quia cùm non ſint ſenſibiles, non poſſunt formaliter complere ſignum ſenſibile, cuiuſmodi eſt locutio externa. Neque ſecundum, quia hoc admiſſo, non ſaluaretur mendacium, eò quia non ſaluaretur veritas locutionis, quæ in ſua ratione formali completa, difformaretur obiecto. 3. Omnis terminus reſtringens debet eſse in eodem genere cum reſtricto. Sed hæ mentales reſtrictiones, non ſunt in eodem genere cum vocibus ore prolatis. Ergo non poſsunt illas modificare; & per conſeq. voces ore prolatæ à confeſſario, retinent cum illis eamdem amplitudinem ſignificationis, quam ſine illis haberent. Sed ſine illis eſsent mendacium inexcuſabile, ut fatentur Aduerſarij. Ergo etiam ſunt cum illis.

Neque obſtat, quòd S. Franciſcus Aſi-

cto, ſed affirmat ſcientiam de negatione obiecti. Cùm ergo in talibus caſibus, non poſſit affirmari hæc ſcientia, neque poteſt verè negari. Sed hæc doctrina continet plures falſitates, quàm verba. Primò quia ſi hæc propoſitio, *non ſcio Petrum eſſe in foro*, affirmaret ſcientiam de negatione exiſtentiæ Petri in foro, illo exiſtente in foro, eſſet falſa, quia non daretur obiectum ſcientiæ affirmatæ, ſed oppoſitum. Deinde eſſet affirmatiua, quia affirmaret ſcientiam de negatione obiecti. 3. non eſſet vera, niſi per actum ſcientificum poſſem probare, Petrum non eſſe in foro, quæ ſunt abſurda. Ergo hæc doctrina eſt vndequaque falſa.

Dices, Chriſtus D. Marci 13. loquens de finali iudicio, inquit, *de illo die nemo ſcit, neque filius hominis*. Sed hoc eſſet falſum, niſi Chriſtus intellexiſſet de ſcientia utili ipſis diſcipulis. Ergo doctrina Lugo eſt vera.

Nego minorem. Et dico, illum locum eſſe exponendum de filio hominis, ut purus filius hominis eſt. Neque enim ut talis ſciret illum diem, niſi Verbo Æterno hypoſtaticè uniretur. Quare ly *neque filius hominis*, facit ſenſum formalem, & reduplicativum de humanitate, non autẽ materialẽ & ſpecificativum de Chriſto D. ut eſt realiter in ſe. Ergo non negat ſcientiam utilem interrogantibus, ut ait Lugo.

2. Con-

2. Concl. *Neque poteſt ſaluari illa ne-atio (non audiui) per reſtrictionem menta-em (ut dicam tibi) vel aliam æquiualentē,* t exponit Suar. diſp. 33. ſect. 6. n. 7. cum 'aſquio, & alijs pluribus.

Probatur 1. quia ſi admittatur hæc do-trina Suarij, omnia mendacia eſſent lici-a; ſiquidem ſemper poſſent excuſari per uiuſmodi reſtrictiones mentales, & nul-us poſſet conuinci de mendacio, quod ſſet exterminium humani commercij. 2. Vel huiuſmodi reſtrictiones mentales cō-lent locutionem externam, vel non? Non primum, quia cùm non ſint ſenſibiles, on poſſunt formaliter complere ſignum ſenſibile, cuiuſmodi eſt locutio externa. Neque ſecundum, quia hoc admiſſo, non ſaluaretur mendacium, eò quia non ſal-uaretur veritas locutionis, quæ in ſua ra-tione formali completa, difformaretur obiecto. 3. Omnis terminus reſtringens debet eſſe in eodem genere cum reſtricto. Sed hæ mentales reſtrictiones, non ſunt in eodem genere cum vocibus ore prolatis. Ergo non poſſunt illas modificare; & per conſeq. voces ore prolatæ à confeſſario, retinent cum illis eamdem amplitudinem ſignificationis, quam ſine illis haberent. Sed ſine illis eſſent mendacium inexcuſa-bile, ut fatentur Aduerſarij. Ergo etiam ſunt cum illis.

Neque obſtat, quòd S. Franciſcus Aſi-

ćto, ſed affirmat ſcientiam de negatione obiecti. Cùm ergo in talibus caſibus, non poſſit affirmari hæc ſcientia, neque poteſt verè negari. Sed hæc doctrina continet plures falſitates, quàm verba. Primò quia ſi hæc propoſitio, *non ſcio Petrum eſſe in foro*, affirmaret ſcientiam de negatione exiſtentiæ Petri in foro, illo exiſtente in foro, eſſet falſa, quia non daretur obiectum ſcientiæ affirmatæ, ſed oppoſitum. Deinde eſſet affirmatiua, quia affirmaret ſcientiam de negatione obiecti. 3. non eſſet vera, niſi per actum ſcientificum poſſem probare, Petrum non eſſe in foro, quæ ſunt abſurda. Ergo hæc doctrina eſt vndequaque falſa.

Dices, Chriſtus D. Marci 13. loquens de finali iudicio, inquit, *de illo die nemo ſcit, neque filius hominis*. Sed hoc eſſet falſum, niſi Chriſtus intellexiſſet de ſcientia utili ipſis diſcipulis. Ergo doctrina Lugo eſt vera.

Nego minorem. Et dico, illum locum eſſe exponendum de filio hominis, ut purus filius hominis eſt. Neque enim ut talis ſciret illum diem, niſi Verbo Æterno hypoſtaticè uniretur. Quare ly *neque filius hominis*, facit ſenſum formalem, & reduplicatiuum de humanitate, non autē materialē & ſpecificatiuum de Chriſto D. ut eſt realiter in ſe. Ergo non negat ſcientiam utilem interrogantibus, ut ait Lugo.

2. Con-

2. Concl. *Neque poteſt ſaluari illa ne-atio (non audiui) per reſtrictionem menta-em (ut dicam tibi) vel aliam æquiualentẽ,* t exponit Suar. diſp. 33. ſect. 6. n. 7. cum 'aſquio, & alijs pluribus.

Probatur 1. quia ſi admittatur hæc do-trina Suarij, omnia mendacia eſſent lici-a; ſiquidem ſemper poſſent excuſari per iuiuſmodi reſtrictiones mentales, & nul-us poſſet conuinci de mendacio, quod ſſet exterminium humani commercij. 2. Vel huiuſmodi reſtrictiones mentales cō-lent locutionem externam, vel non? Non primum, quia cùm non ſint ſenſibiles, non poſſunt formaliter complere ſignum ſenſibile, cuiuſmodi eſt locutio externa. Neque ſecundum, quia hoc admiſſo, non ſaluaretur mendacium, eò quia non ſal-uaretur veritas locutionis, quæ in ſua ra-tione formali completa, difformaretur obiecto. 3. Omnis terminus reſtringens debet eſse in eodem genere cum reſtricto. Sed hæ mentales reſtrictiones, non ſunt in eodem genere cum vocibus ore prolatis. Ergo non poſsunt illas modificare; & per conſeq. voces ore prolatæ à confeſsario, retinent cum illis eamdem amplitudinem ſignificationis, quam ſine illis haberent. Sed ſine illis eſsent mendacium inexcuſa-bile, ut fatentur Aduerſarij. Ergo etiam ſunt cum illis.

Neque obſtat, quòd S. Franciſcus Aſi-

ĉto, ſed affirmat ſcientiam de negatione obiecti. Cùm ergo in talibus caſibus, non poſſit affirmari hæc ſcientia, neque poteſt verè negari. Sed hæc doctrina continet plures falſitates, quàm verba. Primò quia ſi hæc propoſitio, *non ſcio Petrum eſſe in foro*, affirmaret ſcientiam de negatione exiſtentiæ Petri in foro, illo exiſtente in foro, eſſet falſa, quia non daretur obiectum ſcientiæ affirmatæ, ſed oppoſitum. Deinde eſſet affirmatiua, quia affirmaret ſcientiam de negatione obiecti. 3. non eſſet vera, niſi per actum ſcientificum poſſem probare, Petrum non eſſe in foro, quæ ſunt abſurda. Ergo hæc doctrina eſt vndequaque falſa.

Dices, Chriſtus D. Marci 13. loquens de finali iudicio, inquit, *de illo die nemo ſcit, neque filius hominis*. Sed hoc eſſet falſum, niſi Chriſtus intellexiſſet de ſcientia utili ipſis diſcipulis. Ergo doctrina Lugo eſt vera.

Nego minorem. Et dico, illum locum eſſe exponendum de filio hominis, ut purus filius hominis eſt. Neque enim ut talis ſciret illum diem, niſi Verbo Æterno hypoſtaticè uniretur. Quare ly *neque filius hominis*, facit ſenſum formalem, & reduplicatiuum de humanitate, non autẽ materialẽ & ſpecificatiuum de Chriſto D. ut eſt realiter in ſe. Ergo non negat ſcientiam utilem interrogantibus, ut ait Lugo.

2. Con-

2. Concl. *Neque poteſt ſaluari illa ne-
atio (non audiui) per reſtrictionem menta-
em (ut dicam tibi) vel aliam æquiualentē,*
t exponit Suar. diſp. 33. ſect. 6. n. 7. cum
'aſquio, & alijs pluribus.

Probatur 1. quia ſi admittatur hæc do-
trina Suarij, omnia mendacia eſſent lici-
a; ſiquidem ſemper poſſent excuſari per
uiuſmodi reſtrictiones mentales, & nul-
us poſſet conuinci de mendacio, quod
ſſet exterminium humani commercij. 2.
Vel huiuſmodi reſtrictiones mentales cō-
plent locutionem externam, vel non?
Non primum, quia cùm non ſint ſenſibiles,
non poſſunt formaliter complere ſignum
ſenſibile, cuiuſmodi eſt locutio externa.
Neque ſecundum, quia hoc admiſſo, non
ſaluaretur mendacium, eò quia non ſal-
uaretur veritas locutionis, quæ in ſua ra-
tione formali completa, difformaretur
obiecto. 3. Omnis terminus reſtringens
debet eſſe in eodem genere cum reſtricto.
Sed hæ mentales reſtrictiones, non ſunt in
eodem genere cum vocibus ore prolatis.
Ergo non poſsunt illas modificare; & per
conſeq. voces ore prolatæ à confeſſario,
retinent cum illis eamdem amplitudinem
ſignificationis, quam ſine illis haberent.
Sed ſine illis eſsent mendacium inexcuſa-
bile, ut fatentur Aduerſarij. Ergo etiam
ſunt cum illis.

Neque obſtat, quòd S. Franciſcus Aſi-

Digitized by Google

apponatur proteſtatio, quòd dicatur in confeſſione, non eſſe materiam ſigilli, ut docent Raynaud. de monit. p. 1. c. 3. q. 4. & Diana in ſum. V. *ſigillum* n. 20. Et ratio eſt, quia hæc non ordinantur ad abſolutionem ſacramentalem, nec exponuntur clauibus. Ergo ex nullo capite per illam futilem proteſtationem reducuntur ad ſigillum, ſed adſummum ponuntur ſub ſecreto naturali.

2. Quamcumque locutionem confeſſarij, unde poſſit aliquo modo reuelari peccatum, auditum in confeſſione, eſſe fractionem ſigilli. Et ratio eſt, quia ſigillum obligat, ad tacendum totum illud, quo poſſit, ſiue mediatè, ſiue immediatè, ſiue directè, ſiue indirectè, manifeſtari confeſſio. Ergo quæcumque talis manifeſtatio, eſt formaliter fractio ſigilli.

Ad 1. Patet reſponſio, ex dictis in 2. concl.

Ad 2. Dico, reuelationes, virtutes, & miracula expoſita in confeſſione, non eſſe materiam ſigilli, niſi exponantur ad manifeſtandum aliquod peccatum, ut ingratitudinem in Deum, ut docent Lugo ibid. n. 58. Sa, Bonaccina, Nauar. Henriq. &c. Et ratio eſt, quia ut tales, non ſunt materia confeſſionis, niſi ad illam ordinentur, ut neceſſariæ, ad aperienda peccata.

Ad 3. Et 4. Patet reſponſio ex dictis in 3. & 5. concl.

A R

ARTICVLVS IV.

An poſſit confeſſarius licitè negare, ſe audijſſe in confeſſione peccata, quæ verè audiuit?

VIdetur non poſſe, ut opinati ſunt Gabriel in 4. d. 21. q. 1. ar. 3. dub. 1. caſu 3. & Altiſiodor. lib. 4. t. 6. c. 3. q. 7. dicentes, teneri confeſſarium interrogatum, & coactum per iuramentum, an audierit hoc; vel illud in confeſſione, illam reuelare. Eorum unicum fundamentum eſt, quia aliter mentiretur. Mendacium autem eſt ſemper in omni caſu peccatum inexcuſabile. Ergo quia peccatum numquam poteſt adhiberi ut medium, ad quodcumque bonum, debet omitti per aſſertionem veritatis, nec eſt curanda confeſſionis reuelatio, cùm alio modo mendacium euitari non poteſt.

Quia tamen in Log. lib. 3. diſp. 1. ar. 2. ſtatuimus oppoſitum, videlicèt neque cõfeſſarium poſſe dicere, *audiui*, quia eſſet periurus, neque *non audiui*, quia eſſet fœdifragus, neque ſilere, quia ſilentio reuelaret, ſed debere interrogantem repellere, ut importunum, & temerarium; ideo placet hic aliorum opiniones examinare. Cùm enim omnes conueniant, non poſſe reuelari confeſſionem, & ideo opinionem

Ga-

Gabrielis vocent erroneam, conantur adſtruere aliquem modum, quo confeſſarius negando, ſe audiſſe quæ verè audiuit, non mentiatur. Nihil dico de prolatione materiali vocum aſſerta à Pallau; quā fusè reiecimus loc. cit., ſed ſolùm in examen adduco alios dicendi modos.

1. Concl. *Non poteſt dicere (non audiui) intelligendo de auditione utili ad reſpondendum*, ut loquitur Lugo diſp. 23. ſect. 4. n. 75. Quam reſtrictionem mentalem, in ordine ad iuramentum, tenent etiam Graſſ. p. 1. lib. 1. c. 23. num. 3. & Diana in ſum. V. *Sigillum* n. 30.

Probatur, quia vel eſt ſermo de auditione utili ipſi interroganti, vel utili interrogato, vel Reipublicæ? Non primum, neque tertium, quia audire aliquod peccatum, poteſt eſſe utiliſſimum interrogāti, immò & toti Reip. ut eſſet audire eius tentatam proditionem. Vnde ſequitur, quòd confeſſarius mentiretur, dicendo ſe non habere auditionem, ſeu ſcientiam, utilem ipſi interroganti, & Reip. Neque poteſt dici ſecundum, quia etiam ipſi cōfeſſario poteſt eſſe utilis talis auditio, ſi pęnitens confeſſus eſſet, ſe, vel alium habere animum, ipſum occidendi. Neque poteſt dici, quòd non eſſet utilis ipſi pęnitenti; nam ſi hoc ſufficeret, ad ſaluandum mendacium, etiam teſtis à Iudice, interrogatus, an ſciat hoc, vel illud, poſ-

ſet

:t cum iuramento negare, quamuis illud
erè ſciat, quia eius ſcientia non eſt utilis
:o, contra quem interrogatur, quod eſt
bſurdum. Neque demum poſſet dici,
uòd non eſſet utilis ipſi ſacramento, eò
uia homines ab illo retraherentur, vel
ıumano commercio, quod valdè per tales
ɪroditiones minueretur. Nam inprimis
ıtilitas ſacramenti, utpotè adæquatè ordi-
ıata ab bonum pęnitentis, conſequitur
:ius utilitatem. Atque adeo cùm poſſit
ıliquando eſſe utilis pęnitenti proditio
ılicuius eius peccati, per quam impedi-
retur eius ruina, ut ſi adactus deſperatio-
ne, ſtatuiſſet ſe occidere, etiam poſſet eſſe
utilis ſacramento. Quoad humanum cō-
mercium, neque illi eſt utile, quòd infe-
rior extra ſacramentum, poſſit adigi à po-
tentiore, ut reuelet arcana ſui cordis, non
:amen proinde illi conceditur, quòd poſ-
ſit negare, ſe audiſſe, vel ſcire quæ verè
ſcit, vel audiuit. Ergo hæc doctrina non
ſubſiſtit.

Deinde, ſi hæc verba *non audiui*, ha-
beant ſenſum æquiuocum, auditionis vti-
is, vel inutilis, poſſent indifferenter uſur-
pari, abſque mendacio, in quolibet alio
:aſu, prò utraque contradictionis parte,
quod eſſe abſurdum nemo non videt.

Pallauicinus, de fide lib. 3. n. 25. addit
ertiam rationem, quòd videlicèt propo-
ſitio neg ativa non negat ſcientiā de obie-
cto,

cto, ſed affirmat ſcientiam de negatione obiecti. Cùm ergo in talibus caſibus, non poſſit affirmari hæc ſcientia, neque poteſt verè negari. Sed hæc doctrina continet plures falſitates, quàm verba. Primò quia ſi hæc propoſitio, *non ſcio Petrum eſſe in foro*, affirmaret ſcientiam de negatione existentiæ Petri in foro, illo exiſtente in foro, eſſet falſa, quia non daretur obiectum ſcientiæ affirmatæ, ſed oppoſitum. Deinde eſſet affirmatiua, quia affirmaret ſcientiam de negatione obiecti. 3. non eſſet vera, niſi per actum ſcientificum poſſem probare, Petrum non eſſe in foro, quæ ſunt abſurda. Ergo hæc doctrina eſt vndequaque falſa.

Dices, Chriſtus D. Marci 13. loquens de finali iudicio, inquit, *de illo die nemo ſcit, neque filius hominis*. Sed hoc eſſet falſum, niſi Chriſtus intellexiſſet de ſcientia utili ipſis diſcipulis. Ergo doctrina Lugo eſt vera.

Nego minorem. Et dico, illum locum eſſe exponendum de filio hominis, ut purus filius hominis eſt. Neque enim ut talis ſciret illum diem, niſi Verbo Æterno hypoſtaticè uniretur. Quare ly *neque filius hominis*, facit ſenſum formalem, & reduplicatiuum de humanitate, non autē materialē & ſpecificatiuum de Chriſto D. ut eſt realiter in ſe. Ergo non negat ſcientiam utilem interrogantibus, ut ait Lugo.

2. Con-

2. Concl. *Neque poteſt ſaluari illa ne-ᵹatio (non audiui) per reſtrictionem menta-lem (ut dicam tibi) vel aliam æquiualentē,* ut exponit Suar. diſp. 33. ſect. 6. n. 7. cum Vaſquio, & alijs pluribus.

Probatur 1. quia ſi admittatur hæc doctrina Suarij, omnia mendacia eſſent licita; ſiquidem ſemper poſſent excuſari per huiuſmodi reſtrictiones mentales, & nullus poſſet conuinci de mendacio, quod eſſet exterminium humani commercij. 2. Vel huiuſmodi reſtrictiones mentales cōplent locutionem externam, vel non? Non primum, quia cùm non ſint ſenſibiles, non poſſunt formaliter complere ſignum ſenſibile, cuiuſmodi eſt locutio externa. Neque ſecundum, quia hoc admiſſo, non ſaluaretur mendacium, eò quia non ſaluaretur veritas locutionis, quæ in ſua ratione formali completa, difformaretur obiecto. 3. Omnis terminus reſtringens debet eſſe in eodem genere cum reſtricto. Sed hæ mentales reſtrictiones, non ſunt in eodem genere cum vocibus ore prolatis. Ergo non poſſunt illas modificare; & per conſeq. voces ore prolatæ à confeſſario, retinent cum illis eamdem amplitudinem ſignificationis, quam ſine illis haberent. Sed ſine illis eſſent mendacium inexcuſabile, ut fatentur Aduerſarij. Ergo etiam ſunt cum illis.

Neque obſtat, quòd S. Franciſcus Aſi-

Digitized by Google

ſias interrogatus à ſicarijs, an talis homo illac tranſiſset, reſponderit negatiuè, quamuis verè tranſiſset, intrinſecùs mente ſuam manicam, quam tangebat, deſignando. Nam inprimis potuit ſanctiſſimus ille Seraphim excuſari propter ignorantiam, cùm ſanctitas non ſemper ſupponat ſcientiam, & doctrinam. Et deinde quia cum hoc aſseratur à viris doctiſſimis, potuit ſequi eorum opinionem, ſaltem extrinſecè probabilem, quod ſufficit in praxi, ad illum excuſandum à peccato.

Dices, illæ voces ſignificant veritatem obiecti, ſed non totam, quam ſolùm ſignificarent, ſi etiam illæ reſtrictiones alijs vocibus paterent. Ergo non ſunt mendacium. Nego antecedens; nam cùm veritas propoſitionis ſit unica, & indiuiſibilis, non poteſt per partes explicari. Vel ergo negatur auditio peccati, ut dicatur Petro e. g. interroganti, vel ſola auditio peccati, abſque ullo addito? Si primum, ergo eius externa locutio debet conformari cũ toto hoc. Si ſecundum, ergo illa additio non complet rationem obiecti; atque adeo neque retinet partem veritatis.

Ad fundamentum Gabrielis nego ſequelam. Et dico, poſse aliter excuſari confeſsarium à mendacio, nempe adhibendo verba æquiuoca, ſeu amphibologica. Et ratio eſt, quia cùm hæc habeant ex ſua inſtitutione, ut ſignificent plura,

di-

disiunctiuè, vel hoc, vel illud, ad alterutrum ſignificandum accipiantur, conformantur cum ſuo obiecto, adeòque exprimunt formaliter veritatem. Si tamen determinentur ex circumſtantijs, ad unum tantùm determinatè ſignificandum, non poſsunt uſurpari, ad aliud ſignificandum. Et ratio eſt, quia cùm ferè omnia verba ſint æquiuoca, ratione multitudinis infinitæ obiectorum, determinantur plerumque ex circumſtantijs, ad hoc ſignificandum, quibus poſitis, non ſunt hìc, & nunc æquiuoca, & amphibologica. Ergo non poſſunt æquiuocè, ſeu amphibologicè vſurpari, ut accidit huic termino *canis* e. g. qui coniunctus cum ly *marinus*, ſignificat ſolum piſcem determinatè. Quando ergo non ſuppetunt confeſſario verba æquiuoca, ſeu amphibologica ad reſpondendum, recurrat ad doctrinam, quam ſtatuimus prò his caſibus in log. lib. 3. diſp. 1. ar. 2. ubi inueniet hanc quæſtionem fusè tractatam, quam non expedit nunc repetere.

ARTICVLVS V.

An poſſit Confeſſarius uti notitia habita per confeſſionem?

VIdetur poſſe, ut docent D. Tho. in 4. d. 21. q. 3. ar. 1. Scotus ibid. q.

Digitized by Google

2. ad 3. Durandus, Syluester, Nauar. Rebuffus, & ſexcenti alij penès Tho. Sanchez to. 1. de mat. lib. 3. diſp. 16. n. 2. Eorum fundamenta ſunt, Primò quia confeſſio non tollit à ſacerdote priſtinam libertatem. Ergo cùm priùs poſſet non dare ſuffragium, negare euchariſtiam, remouere ab officio &c. hæc eadem poterit, poſt auditam confeſſionem. 2. Confeſſarius non tenetur, niſi ad tegenda peccata. Ergo illis neque directè, neque indirectè detectis, poteſt uti eorum notitia, ad bonum finem. 3. Poſſet hoc redundare in bonum pœnitentis, ut ſi ab illo audiſſet, à ſe quæri gladium, ut ſe occidat, poſſet enſem non præbere. 4. Poſſet non confiteri ei, quem ſciret per confeſſionem non eſſe ſacerdotem. 5. Sacerdos non ſolùm ſciuit ut Deus, ſed etiam ut homo. Ergo poſſet uti notitia, ad dirigendos actus humanos. 6. Ideo fuit inſtituta caſuum reſeruatio, ut Superiores per notitiam ſubditorum, illos prudentiùs regant. Ergo vſus talis notitiæ eſt licitus.

Immò Tannerus to. 4. diſp. 6. q. 9. dub. 6. n. 140. cum alijs ſuppreſſo nomine relatis à Diana in ſum. V. *ſigillum*, n. 43. ait, ſemper, & in omni caſu poſſe confeſſarium uti tali notitia, ad bonum finem, dummodo confeſſio non reueletur. Aliòquin ſcelerati ideo confiterentur ſuperiori, nè poſſent officio priuari, expelli domo &c.

&c. ex delictis patratis, quod vergeret in abſurdum, & faceret confeſſarios peioris conditionis, quàm eſſent, ante auditas aliorum confeſſiones.

Concl. *Poteſt confeſſarius uti notitia ſacramentali, in omnibus ijs, quæ nullum pudorem, aut præiudicium poſſunt parere pænitenti; in alijs autem non poteſt.* Ita Tho. Sanchez lib. 3. de mat. diſp. 16. n. 4. quem ſequitur Diana in ſum. V. *ſigillum* n. 43. cum pluribus alijs.

Probatur, omnia ea ſunt vetita confeſſario, quibus ſacramentum fieret pęnitentibus formidabile, & odioſum. Quid autem magis odioſum, & formidabile ſubditis, quàm ſua flagitia ſuperioribus prodere, à quibus ratione talis proditionis, poſſint timere negationem ſuffragij, mutationem loci, remotionem officij &c. Ergo non debet hoc eſſe licitum. Vſus autem in alijs, quia non redderet odioſam confeſſionem, eò quia nullatenus pęnitentis honori, vel commodo aduerſantur, nulla eſt ratio, quare non ſit licitus. E. g. ſi Petrus audierit in confeſſione, parari ſibi inſidias in foro, poteſt domi manere, licèt, non habita tali notitia, fuiſſet in forum iturus. Aliòquin redderetur nimis odioſum hoc ſacramentum ſacerdotibus, ſi etiam abſque incommodo, & rubore pęnitentium, cogerentur ad non utendum tali notitia, etiam cum ſuæ vitæ iactura,

& nulla pęnitentis utilitate. Sicut ergò meritò prohibetur primus vſus, nè reddatur confeſſio pęnitentibus odioſa, ita debet eſſe licitus ſecundus, nè reddatur ſacerdotibus odioſa, quæ debet eſſe omnibus amabilis, & ſuauis.

Vnde ſequitur, eſſe nimis affectatam, & ſcrupuloſam ſententiam Bannes, & Armillæ, quam ſequitur Lugo diſp. 23. ſect. 5. n. 94. nempe confeſſarium in nullo caſu poſſe uti notitia ſacramentali, ſed ita debere ſe gerere, ac ſi illam non habuiſſet. Siquidem ex eorum fundamentis apparet, illam non eſſe veram, niſi in ſenſu concluſionis. Et ut hoc euidenter appareat, illa breuiter affero.

Primum eſt, Claudij Aquauiuæ Generalis Societatis Ieſu decretum, editum die 26. Maij 1590. *Ita prorſus in omnibus caſibus noſtri ſe gerant confeſſarij, ac ſi in confeſſione nihil penitùs audijſſent, ſibique perſuadeant, ut ſicut humanarum rerum regimen ab hoc ſacramento longiſſimè diſtat, ita debere nullatenus ab eo pendere.* Secundum eſt decretum Clem. VIII. editum prò Regular. 26. Maij 1594. *Tàm Superiores prò tempore exiſtentes, quàm confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, nè ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur &c. Atque ita per quoſcumque*

que Regularium ſuperiores obſeruari mandamus. Tertium eſt ex c. *ſi ſacerdos* de offic. ordinar. ubi dicitur, *licèt etiam ei confeſſus ſit, ſed tamen non nominatim poteſt eum remouere à communione, licèt ſciat eſſe reum, quia non ut Iudex ſcit, ſed ut Deus.* Ex quibus euidenter apparet, hunc uſum eſſe ſolùm vetitum, in ordine ad regimen, & ad ea, quæ pœnitenti poſſent inducere incommodum, vel ruborem, & non in ordine ad alia. Et ideo nihil probant.

Ad 1. Diſtinguo conſ. poterit hæc eadem eodem modo facere, ut antea, concedo: diuerſo modo, reſultante ex notitia habita per confeſſionem, nego. Si ergo ante confeſſionem, non erat negaturus ſuffragium, quia bonam habebat opinionem de tali homine, accedente deinde notitia ſacramentali de eius improbitate, non poteſt illud eidem negare. Quòd ſi antea cognita eius improbitate, negaſſet, poteſt adhùc negare, quia notitia ſacramentalis nihil confert ad talem negationem. Hoc autem debet limitari, niſi poſſit induci ſuſpicio, quòd confeſſarius moueatur ab illa notitia, ad illud negandum; nam in tali caſu, quamuis aliunde ſciret eius indignitatem, tamen non poſſet illi ſuffragium negare.

Ad 2. Nego antecedens, quia in omniū ſententia, confeſſarius non poteſt loqui extra confeſſionem, cum ipſo pœnitente,

de peccatis auditis in confeſſione, quamuis illi ut ſua ſint nota. Tenetur ergo ex vi ſigilli, ad ea omnia, quorum tranſgreſſio faceret odioſam confeſſionem.

Ad 3. & 4. & 5. Dico, quod poſſit uti notitia ſacramentali, in ijs, quæ nullomodo præiudicant pœnitenti, neque redderetur odioſa confeſſio, cuiuſmodi ſunt caſus aſſignati, non autem in alijs, iuxta doctrinam concluſionis.

Ad 6. Nego antecedeus, cùm finis caſuum reſeruationis non ſit ille, ſed alius diuerſiſſimus, nempe ut ſubditi per difficultatem abſolutionis cognoſcant talium criminum grauitatem, ut magis ab eorum patratione remoueantur, & ut ſuperiores, utpote qui ſupponuntur prudentiores, aptiora remedia poſſint illis præbere. Et ideo dicitur in Trid. ſeſſ. 14. c. 7. caſuum reſeruationem *eſſe ordinatam in ædificationem, non autem in deſtructionem*, ſicut eſſet, ſi poſſent reſeruantes uti eorum notitia.

Quæres, an in caſibus aſſignatis, teneatur ſacerdos uti tali notitia? Reſp. quòd regulariter non tenetur. Et ratio eſt, quia ſacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum ad medendum animæ morbis, in foro conſcientiæ. Ergo non poteſt obligare miniſtrum, ad medendum illis in alio foro. Sicut enim ducens uxorem, poſt emiſſum votum caſtitatis, poteſt illud implere, ſi

ante

ante conſumationem, Religionem aliquã ingrediatur, non tamen tenetur propter arduitatem; ita quamuis poſſit confeſſarius uti tali notitia, quia tamen ſunt neceſſariæ tot cautelæ in eius uſu, non debet ad id obligari. Et ideo communiter dicitur, eligentem aliquem, quem ex confeſſione, cognouit indignum, non peccare, nec ſubijci pœnis ſtatutis contra electores indigni, quia ſupponitur, illum non teneri ad hunc uſum.

Dixi *regulariter*, quia aliquando poteſt per accidens, ratione materiæ, obligari ad hunc uſum, ut eſſet e. g. ſi cognoſceret, aliquem confeſſionibus expoſitum ex errore communi, non eſſe ſacerdotem, vel eſſe excommunicatum vitandum, non poſſet cum illo confiteri, licèt hoc ſciret per ſolam confeſſionem. Ita etiam ſi ſciret, eſſe Turcam, vel Hebræum, immò & fœminam, quamuis fingerent ſacerdotiũ, non poſſet illis confiteri, quamuis confeſſurus fuiſſet, ante notitiam ſacramentalẽ. Præterea ſi ex confeſſione cognouiſſet, aliquem putatum religioſum, eſſe fœminam, ſicut fuit S. Marina, non poſſet illi dare ſuffragium ad prælaturam. Ergo in his, & ſimilibus caſibus, obligaretur ſub mortali, ratione materiæ, & per accidens ad uſum notitiæ ſacramentalis, ſeruata tamen ſemper cautela, nè confeſſio detegatur, quam ſi ſeruare non poſſet, non tene-

retur ad talem uſum.

Ex dictis ſequitur 1. non poſſe parochum negare matrimonium petentibus, ex notitia ſacramentali, quòd habeant impedimentum dirimens. 2. Non poſſe magiſtrum nouitiorum negare profeſſionem nouitio, poſt abſolutam probationem, ex notitia eius indignitatis. 3. Neque poſſe vitare excommunicatum vitandum, ut talem cognitum per ſolam confeſſionem. 4. Neque dimittere, ſeu auferre clauem à famulo, quem in confeſſione cognouit furem, 5. Neque furem accuſare, ex indicijs habitis extra confeſſionem, ſi hæc non ſufficerent ad illum accuſandum, niſi acceſſiſſet propria confeſſio ſacramentalis, & alia huiuſmodi facere. Et ratio eſt, primò, quia ſcientia ſacramentalis nõ poteſt eſſe utilis prò foro externo. 2. Quia cùm ſit ſupernaturalis quoad modum, quatenus habetur per ſacramentum, quod eſt ſupernaturale, non poteſt ordinari ad finem naturalem. Et demum quia redderet odioſum ſacramentum. Ergo exceptis caſibus aſſignatis, non poteſt ad praxim ullo modo deduci.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

An ſaltem poſſit illa uti, de licentia pœnitentis?

VIdetur non poſſe, ut docent Durandus in 4. d. 21. q. 4. n. 9. cum Scoto, Maiori, Alenſi, Gabriele, Angelo &c. qui aiunt, tunc ſolùm poſſe, quando pęnitens extra confeſſionem, ſua peccata, ſaltem in genere, iterum confeſſario manifeſtat. Primò quia ſigillum confeſſionis eſt de iure diuino, ſicut eſt ipſa confeſſio. Sed præceptum diuinum non poteſt ab homine diſpenſari. Ergo neque à pęnitente.

2. Scientia, quam habet confeſsarius per ſacramentum, habetur ab illo, tamquam à Deo. Ad hoc ergo ut poſſit illi, ut homini eſse utilis, debet illi humano modo communicari, detegendo videlicèt illa eadem peccata extra confeſſionem.

3. Ius ſacramenti non eſt in manu pœnitentis, ſicut ius canonis non eſt in manu clerici. Ergo ſicut hic non poteſt illi diſpenſare, vel renunciare, ita neque ille.

4. Si pęnitens poſset dare hanc licentiam, poſſet à ſuperiore cogi, ad illam dandam. Vel ergo tunc daret, & poſset illi confeſsarius, palam omnibus, omnia ſua ſcelera exprobrare, aliiſque etiam impunè reuelare. Si non daret, fieret ſuſ-

pectus de talibus criminibus, ad quorum reuelationem cogeretur à ſuperiore per confeſsarium. Ergo utrinque redigeretur ad indignas anguſtias.

5. Si ſacerdos de licentia pœnitentis, poſset alijs eius crimina reuelare, poſsent hi illa eadem omnibus patefacere, quia non perciperent in confeſſione. Sed hoc induceret maximum ruborem, & infamiã pœnitenti, unde confeſſio redderetur formidoloſa. Ergo non debet hoc poſse, fieri.

Concluſio, *Poteſt pœnitens dare licentiam confeſſario, ut utatur notitia ſuæ confeſſionis, ad aliquem finem determinatè, retinendo ad alios ſigillum, etiamſi illam non repetat extra ſacramentum.* Ita D. Thom. in 4. *d.* 21. q. 3. ar. 2. Argentinas, Vaſquez, Suar. Nauarrus, Bonau. Sylueſter, Riccard. Henric Paludan. Lugo, cum Recent. communiter.

Probatur 1. Quod fit de licentia pœnitentis, non poteſt illi eſse grauoſum, unde reddatur odioſa confeſſio. Sed ſigillum eſt in ordine ad ea tantùm, quæ poſſent reddere odioſam confeſſionem, ut ſupra dictum eſt. Ergo non extenditur ad ea, quæ fiunt de licentia pœnitentis. 2. Eſt de ratione ſigilli, ut maneat ſemper ſub imponentis poteſtate, ſicut dicitur de ſecreto naturali. Cum ergo ſolus pœnitens impoſuerit, poteſt illud relaxare, ſicut

poteſt

poteſt imponens ſecretum naturale. 3. In omnium ſententia, poteſt pœnitens ea quę dixit in confeſſione, extra illam omnibus patefacere. Ergo poteſt etiam (quod minus eſt) eorum ſigillum, ad aliquem bonum finem, diſpenſare cum confeſsario. Sed diſpenſatio non poteſt extendi, extra limites diſpenſantis. Ergo ſi diſpenſetur ſolum in ordine ad certum finem, & quoad aliqua peccata, quoad alia, & in ordine ad alios fines, non cenſetur diſpenſatum.

Quòd autem ad talem licentiam non ſit neceſsarium repetere confeſſionem extra ſacramentum, facilè probatur ex eo, quia per hoc ipſum quòd pœnitens repeteret confeſſionem extra ſacramentum, non diſpenſaret à ſigillo ſacramentali. Cùm enim hæc repetitio induceret humano modo ſcientiam naturalem, poſset confeſsarius ea uti, ad quamlibet actionem humanam, etiam in foro contentioſo. Ergo non indigeret ulla diſpenſatione, quæ non poteſt eſse neceſsaria, niſi quando datur lex contradicens. Intantum ergo pęnitens dicitur diſpenſare confeſsarium, inquantum tollit ſigillũ à notitia ſacramentali, quoad hæc peccata, & ad hunc finem determinatum, non autem ad alios, & quoad alia.

Ad 1. Dico, præceptum de ſigillo eſse quidem diuinum, ſed conditionatum, ut non reuelentur audita in confeſſione, niſi de licentia pęnitentis, qui proinde per talem

lem diſpenſationem purificat conditionem, ſub qua præceptum non obligat. Quare in rigore loquendo, illud non diſpenſat, vel tollit, ſed ſolùm ponit conditionem, per quam tranſit, ab eſſe obligatorium, ad non eſſe obligatorium. Eo modo quo occidens furem ex ſententia Iudicis, non facit contra præceptum diuinum *non occides*, quia cùm hoc ſit conditionatum, *non occides, niſi reum, & publica auctoritate*, per ſententiam iudicis non diſpenſatur præceptum, ſed purificatur conditio, ſub qua non obligat hoc præceptum.

Ad 2. tranſeat conſequentia, quæ non eſt contra concluſionem; ſiquidem confeſſarius utens tali notitia, de licentia pęnitentis, non operatur ut homo, ſed ut miniſter Dei, & ideo remanet ſubiectus ſigillo quoad alia, in ordine ad quæ non purificatur conditio, per quam præceptũ non obligat.

Ad 3. Nego antecedens, & paritatem. Nam ius canonis reſpicit ſtatum, & non perſonam; & ideo licèt clericus cederet iuri ſuo, adhùc ſtatus eſſet dehonoratus. At ius ſigilli reſpicit perſonam pęnitentis, qui ſi cedat quoad hoc iuri ſuo, non fit illi iniuria, quæ non cadit in volentem, neque ſacramento, quod non redditur odioſum. Ergo nulla eſt paritas.

Ad 4. Nego antecedens. Sicut enim ſupe-

ſuperior non poteſt cogere ſubditum, ut ſibi pandat quæ confeſſus eſt, ita neque poteſt illum cogere, ut det licentiam ſacerdoti, ut illa ſibi reuelet. Quòd ſi fingamus tyrannum violenter ad id cogentem, retorquetur in confeſſarium, qui poſſet cogi ad reuelandum. Ergo nimis probat.

Ad 5. Nego maiorem. Sicut enim (ut diximus ar. 2.) tenentur ad ſigillum etiam illi, qui audierunt peccata à confeſſario fędifrago, ita & multò magis & hi tenerentur, qui audierunt à confeſſario, de licentia pęnitentis, ad aliquem bonum finem illa pandente. Et ratio eſt, quia licentia pęnitentis tribuitur limitatè ad illum finem. Ergo ſicut non extenditur ad alios fines, ita neque extenditur ad alios homines, qui neceſſariò debuerunt audire, ad aſſecutionem talis finis.

Quæres, qua pęna puniatur fractor ſigilli? Reſpondeo, quòd in foro interno committit duplex peccatum, nempe iniuſtitiæ, violando ius pęnitentis, quo petit ab illo ſecretum, & ſacrilegij, faciendo contra religionem, & reuerentiam debitam ſacramento. In foro autem externo, duplici pęna punitur, ut habetur expreſſè in cap. *omnis utriuſque ſexus* de pęn. & rem. ubi dicitur, *Caueat omninò ſacerdos, nè verbo, vel ſigno, aut alio quouis modo, aliquatenus peccatorem prodat; quoniam*

qui

qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolùm à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monaſterium detrudatur. Quod confirmatur in c. *ſi ſacerdos* de pęn. d. 6. Et præterea punitur perpetua infamia, & alijs pęnis arbitrarijs.

Quæres 2. An poſſit abſque fractione ſigilli, dicere confeſſarius, quòd non abſoluerit Petrum, qui ſibi confeſſus fuit? Reſpondeo negatiuè cum Granado, Henriquez, Fagundez, & Diana. Et ratio eſt, quia quamuis plures poſſint eſſe cauſæ, impedientes abſolutionem, abſque culpa pęnitentis, tamen hoc dictum nullam manifeſtans rationabilem cauſam, negandi, vel differendi abſolutionem, excitaret ſtatim dubium de pęnitentis indiſpoſitione, adeòque ingeneraret prauam opinionem de ſtatu pęnitentis, quod eſſet eius peccata reuelare, ſaltem in genere.

Quæres 3. An Magiſter nouitiorum, & confeſſarius monialium, poſſint in ſuis concionibus, inuehi aduersùs peccata audita in confeſſione, coram pęnitentibus? Reſpondeo negatiuè, cum Diana in ſum. V. *ſigillum* n. 46. & Maldero de ſigillo c. 14. Et ratio eſt, quia huiuſmodi inuectiua eſſet auditoribus ſcandaloſa, & offenſiua aurium ſubditorum, adeoque eſſet quaſi fractio ſigilli, & manifeſtatio pec-

catorum. Quilibet enim audiens, exagerari ſuum peccatum, rubore perfunderetur, ac ſi priuatim expoſitum confeſſario, ab illo publicè concionibus pateſieret.

DISPVTATIO XIV.

De Pœnitentibus, ſeu ſuſcipientibus Sacramentum.

ABſolutis quæſtionibus ſpectantibus ad exiſtentiam, neceſſitatem, quidditatem, & miniſtrum ſacramenti pœnitentiæ, agendum ſupereſt de ipſis ſuſcipientibus, quos vocamus penitentes. Quęremus ergo. 1. An omnes obligentur ad ſuſcipiendum hoc ſacramentum? Deinde agentes de diſpoſitionibus ad illud neceſſarijs, agitabimus quæſtionem de integritate confeſſionis, in cuius exactione quæremus, an, & quomodo poſſint abſolui infirmi, & alij, qui cùm integram peccatorum confeſſionem facere nequeant, vel in genere confitentur, vel unum tantum explicant ſpeciatim, vel ſigna contritionis præbuerunt &c. Quibus addemus quæſtionem de complicibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An omnes obligentur ad ſacramentum pœnitentiæ? Vbi de pueris, & iuſtis.

VIdentur nõ omnes obligari, 1. Quia pueri, ante annum duodecimum non obligantur, ut docet Soto in 4. d. 12. q. 1. ar. 11. Quamuis enim videatur limitare dictum, niſi peccent mortaliter, tamen d. 18. q. 1. ar. 3. apertè ait, pueros ſeptennes, quamuis poſſint peccare, non tamen ante annum duodecimum, vel quartumdecimum obligari ad hoc ſacramentum. Eius unicum fundamentum eſt, quia putat, illos in tali ætate non obligari præceptis Eccleſiaſticis, ſed relinqui ſub iure diuino, ut patet ex eo, quòd non obligantur ad euchariſtiam.

2. Qui nullum habet peccatum mortale, non poteſt obligari ad confeſſionem; aliter obligaretur ad confeſſionem venialium, quæ proinde eſſent materia neceſſaria. Sed hoc fuit à nobis reiectum diſp. 5. ar. 1. Ergo non omnes obligantur.

3. Confeſſio debet fieri per voces pœnitentis. Cùm ergo plures non poſſint ſuis vocibus propria crimina confiteri, cuiuſmodi ſunt muti, infirmi &c. non poſſunt ad confeſſionem obligari, nè obligentur ad impoſſibile.

4. Con-

4. Confeſſio debet eſſe integra. Sed non omnes poſſunt integrè confiteri. Ergo non omnes tenentur ad illam.

Prò reſolutione aduertendum eſt, hic non agi quæſtionem, an ſacramentum pœnitentiæ ſit ſimpliciter neceſſarium, adeòque omnes ad illud obligentur. Siquidem diſp. 4. ar. 1. probatum eſt, illud eſſe neceſſarium neceſſitate medij, & ar. 2. eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti, tàm diuini, quàm Eccleſiaſtici. Præterea ſtatuimus, illud eſſe neceſſarium, ad delenda peccata, patrata poſt baptiſmum, non ad delendum originale, ſeu alia actualia, commiſſa ante baptiſmum, ut probauimus diſp. 5. ar. 2. Ergo non obligat, niſi baptizatos. Præſens igitur quæſtio, ſuppoſita neceſſitate ſacramenti, & confeſſionis peccatorum mortalium, quæ ſola diximus eſſe materiam neceſſariam, inueſtigat, an etiam pueri, iuſti, & impotentes ad illud teneantur?

1. Concl. *Etiam pueri doli capaces, obligantur ad annuam confeſſionem ſacramentalem.* Eſt communis.

Probatur 1. Ex Concilio Lateran. c. 5. Vbi dicitur, *Omnes utriuſque ſexus fideles, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerint, omnia peccata, ſaltem ſemel in anno confiteantur.* Sed pueri doli capaces cenſentur peruenisſe ad annos diſcretionis, quia ſciunt diſcernere bonum à malo. Ergo

go tenentur, ut alij ad ſacramentũ. Deinde ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ubi adhæret veſtigijs Lateranenſis, & can. 8. *Siquis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem, aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles, iuxta magni Concilij Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno, anathema ſit.* Ergo hoc eſt de fide. Et confirmatur praxi fidelium, qui omnes ducunt ſuos pueros, cum illos cognoſcunt doli capaces, ad confeſſionem. Et ratio eſt, quia cum hoc ſacramentum ſit inſtitutum in remedium peccati actualis, omnes illi tenentur illo uti, qui peccant. Sed etiam pueri peccant aliquando, ut ſupponimus. Ergo etiam illi tenentur; & ideo nulla fit exceptio in Later.

2. Concl. *Qui nullum habet peccatum mortale, quamuis non obligetur per ſe ad confeſſionem ſacramentalem, ad illam tamen obligatur per accidens.* Ita D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. ar. 1. quæſtiunc. 3. cum Konink, Riccardo, Alenſi &c.

Probatur quoad primam partem, quam tenent Scotus in 4. d. 17. q. 1. ar. 3. Durandus ibid. q. 9. Caiet. Medina, Sylueſter &c. 1. Cùm obligatio confeſſionis, prouueniens ex præcepto Eccleſiæ, fundetur in iure diuino, non poteſt extendi, niſi ad illos, qui comprehenduntur, iure diuino. Sed illo non comprehenduntur,

niſi

niſi illi, qui habent conſcientiam peccati mortalis, ut probauimus diſp. 4. ar. 1. & 2. ergo non extenditur ad iuſtos, qui nō habent peccata læthalia. Et ideo Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ſub fin. ait, per præceptum Eccleſiæ non imponi nouam legem, ſed ſolùm determinari tempus annuæ confeſſionis, ad implendum diuinum præceptũ. Deinde quia Tridentinum non obligat, niſi iuxta inſtitutionem Lateranenſis, ad ſola mortalia confitenda, ut patet ex loco cit. ubi ait, *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia in confeſſione recenſeri*. Ergo per neutrum Concilium datur obligatio ad confeſſionem venialium. 3. Quia ſi daretur per ſe obligatio, ad confeſſionem venialium, vel extenderetur ad omnia, vel ad aliqua? Non primum, quia eſſet inobſeruabilis. Neque ſecundum, quia non poſſent diſtingui quæ caderent ſub præceptum, ab alijs. Ergo nulla confeſſio eſſet integra, adeòque valida.

Probatur quoad ſecundam, cum Suar. diſp. 36. ſect. 2. n. 9. Conink, Scoto, Alenſi, & Riccardo, Primò quia alioquin non poſſent Superiores Regulares præcipere omnibus ſuis ſubditis menſtruam, vel hebdomadariam confeſſionem. Singuli enim poſſent ſe excuſare, dicentes, ſe non habere culpam læthalem, adeòque non obligari ad confeſſionem, & ſic peruerſe viuendo,

do, eludere Superiorum præceptum. Cum ergo ex una parte non ſit onus intolerabile, & ex alia vergat in publicam ædificationem, & ſubditi extimulentur ad maiorem profectum in via ſalutis, fuit expediens, ut etiam venialium confeſſio, poſſet per accidens cadere ſub præceptum, ut communis Eccleſiæ doctrina tenet, & praxis fidelium. Deinde quia qui poteſt obligari ad euchariſtiam per ſe, poteſt per accidens obligari ad confeſſionem omnium criminum, quibus inficitur anima, ut purior fiat, & dignior tanto ſacramento. Ergo cum detur obligatio uniuerſalis prò omnibus ad annuam euchariſtiam, datur etiam ad præuiam confeſſionem.

Vnde ſequitur, quòd etiam Epiſcopi, & Eccleſia poſſint præcipere confeſſiones, etiamſi ſubditi dicant, ſe non teneri conſcientia peccati mortalis. Quare non approbo illorum opinionem, qui dicunt, in tali caſu ſubditum non obligari, niſi ad ſe ſiſtendum coram confeſſario, cui aſſerat, ſe non eſſe indigum confeſſionis, eiuſque dicto eſſe credendum, & abſoluendum à tali onere, niſi pateat euidens ratio, unde poſſit conuinci de mendacio. Et ratio eſt, quia cum venialia ſint materia ſufficiens, ut probauimus diſp. 5. ar. 1. & per eorum confeſſionem, non ſolùm obtineatur eorum venia, ſed etiam gratia, renuentes confiteri venialia, ad obſeruan-

tiam mandatorum, dant ſignum impęnitentiæ, qua non diſplicent leues offenſiones Dei, adeòque ſuperbiæ, qua cùm ſint peccatores, per fugam confeſſionum, volunt iuſti reputari.

Neque obſtat, quòd veteres anachoretæ in ſyluis degentes, hoc ſacramentum non frequentabant, Primò quia nondùm Eccleſia ſtatuerat tempus annuæ confeſſionis. Et deinde quia cùm non haberent copiam confeſſarij, purgabant animam per virtutem pœnitentiæ, & cum in læthalia crimina labebantur, adibant ſacerdotes, et ſi non adibant, hoc ideo erat, quia graues culpas non patrabant.

Ad 1. Nego ſuppoſitum, cùm etiam pueri ſeptennes obligentur ad audiendum ſacrum, & ad abſtinentiam carnium diebus vetitis. Neque obſtat, quòd non obligentur ad euchariſtiam, Primò quia cùm non ſit ſimpliciter neceſſaria, non obligat Eccleſia ad illam, ſicut ad pęnitentiam. Et deinde quia ob reuerentiam tanti ſacramenti, expediens fuit, ut ad illud non obligarentur, niſi illi, qui ratione ætatis, eſſent capaces intelligendi altiſſimum illud myſterium, per inſtructionem parochi, vel magiſtri, ut maiori cum pietate, & reuerentia illud ſuſcipiant, quod non euenit in pœnitentia.

Ad 2. Nego maiorem, non ſolùm propter dicta, ſed etiam quia cùm venialia

non

non ſint materia neceſſaria, poteſt expleri hæc obligatio, per confeſſionem aliquorum ad libitum eligibilium à pœnitente, quantum ſufficit ad valorem ſacramenti, & hoc ad ædificationem aliorum, & ut Religioſi aſſueſcant cauere prò viribus culpas leues, ad longiùs abigendas grauiores. Non nego tamen, poſſe aliquando etiam obligari ſubditum, ad confitenda aliqua peccata venialia in ſpecie, determinatè prohibita, e. g. in materia furti, obedientiæ &c. ad promouendum communitatis bonum, & ut ſubditi cognoſcentes ſe peccatores, fiant humiliores, & promptiores ad obediendum ſuis Superioribus, ut docet D. Tho. loc. cit.

Ad 3. Nego antecedens, cuius falſitatem oſtendimus diſp. 8. ar. 2. ubi reſpondentes ad 4. probauimus, etiam mutos teneri ad confeſſionem. De infirmis agemus infra.

Ad 4. Dico, multas eſſe cauſas, excuſantes ab integritate confeſſionis, quas examinabimus articulis ſubſequentibus. Ergo hoc non excuſat ab obligatione cōfeſſionis, quæ ſemper debet eſſe integra, ut ſit valida, cum fieri poteſt phyſicè, & moraliter.

AR-

ARTICVLVS II.

An teneatur pœnitens ſemper facere integram confeſſionem?

VIdetur non teneri, Primò quia Eccleſia non iudicat de internis. Ergo infert VViclessus, illa non eſſe confitenda. 2. Peccata publica per ſe patent. Ergo non debent exponi, ut putauit Petrus Oxomenſis. 3. Debet aliquid relinqui diuinæ miſericordiæ dimittendum. Ergo non debent ſubijci clauibus omnia peccata, ut ſomniauit Lutherus.

Concl. *Omnes tenentur ad confeſſionis formalem integritatem, quamuis poſſint excuſari ab integritate materiali.* Eſt communis, & de fide.

Prima pars patet ex Later. in c. *Omnis utriuſque*, & Flor. in decreto Eugenij, & Trid. ſeſſ. 14 c. 5. & can. 7. ubi definitur, *Siquis dixerit, in ſacramento pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria, cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta &c. anathema ſit.* Ex quibus patet probata ſecunda pars, cùm ibi excipiantur venialia, & oblita, quorum omiſſio non vitiat confeſſionem, eò quia non tollat eius integritatem forma-

lem, ſed solùm materialem.

Ad cuius euidentiam dico, integritatem confeſſionis materialem conſiſtere in explicatione omnium peccatorum mortalium, quæ ſunt in conſcientia pęnitentis, & nulla datur legitima excuſatio, ad illa retinenda. Dixi *mortalium*, quia venialia non ſunt materia neceſſaria, & ideo quia poſſunt exponi clauibus, reducuntur ad integritatem phyſicam confeſſionis, quæ complectitur omnia omninò peccata, non autem ad moralem, quæ ſola requiritur ad valorem ſacramenti, & complectitur solùm materiam neceſſariam. Integritas formalis non habetur præcisè ex parte materiæ remotæ, ſicut alia, ſed potiſſimum ex parte materiæ proximæ, hoc eſt quòd pęnitens ſit ita diſpoſitus, ut ſit paratus confiteri omnia mortalia, ad quorum cõfeſſionem non ſuperueniat impotentia, ſiuè phyſica, ſiue moralis, de quibus infra. Ex quibus patet, quòd cùm præcepta non obligent ad impoſſibile, ſi phyſicè non poſſit fieri confeſſio integra, poteſt dimidiari; aliter hoc ſacramentum non fuiſſet conuenienter inſtitutum, ut docet Suar. diſp. 23. initio. De impotentia morali eſt maior difficultas, quia tamen Eccleſia obligationi confeſſionis non addidit, niſi temporis determinationem, & ex iure diuino non habeatur, niſi neceſſitas confitendi peccata, ex vi inſtitutionis, non

appa-

Digitized by Google

apparet neceſſitas integritatis materialis confeſſionis, cum poſſint omnia ſubijci clauibus, licèt hic & nunc, tali ſacerdoti non omnia ſubijciantur. Ergo admittit etiam excuſationem, prouenientem ex impotentia morali, ut idem docet diſp. 22. ſect. 1. n. 4.

Vnde ſequitur 1. eſſe omninò abſoluendum, qui unum tantùm peccatum confeſſus eſt, & propter morbum non potuit alia confiteri, ut idem docet q. 23. ſect. 1. n. 1. quem ſequuntur Toletus, Vaſquez, Bonaccina, Lugo, Gonettus &c. Et ratio eſt, quia tunc cenſetur confeſſio formaliter integra, quando exponuntur omnia peccata, quæ phyſicè hic & nunc dici poſſunt. Sed infirmùs in tali caſu dicit omnia, quæ poteſt, paratus alia dicere, ſi poſſet. Ergo formaliter integrè confitetur, & ſolùm materialiter dimidiat confeſſionem, eo modo quo illam dimidiat inculpabiliter peccati obliuiſcens, quem omnes concedunt validè abſolui. Probatur maior, quia formalis integritas attendenda eſt penès conſenſum internum confitentis (ut dictum eſt) adeo ut ille cenſeatur integrè confiteri, qui habet animum omnia confitendi, & inchoat confeſſionem, tali animo in illam influente; ſicut ex oppoſito qui habet animum aliquid tacendi, quamuis illud imprudenter, & quaſi inuitus confiteatur, cenſetur dimi-

diare confeſſionem, & inualidè abſoluitur, niſi fateatur etiam talem animi prauitatem.

2. Sequitur, poſſe validè abſolui illum, qui cùm cæteròqui poſſit ex ſe facere totam confeſſionem, tamen ſacerdos audito uno, aut altero eius peccato, non poteſt alia audire, ratione contagij, vel naufragij, incendij &c. ut docent Conink diſp. 7. n. 75. cum Lugo, & alijs. Probatur eodem modo, quia pęnitens de ſe in tali caſu eſt diſpoſitus, ad omnia confitenda. Ergo ſola impotentia ſacerdotis impedit, quò minùs omnia cōfiteatur. Quòd ſi poſſit ab alio integrè audiri, non poteſt ab illo abſolui, quia tunc ceſſat ratio impotentiæ, ex parte utriuſque. Idem accidit, ſi auditis aliquot peccatis, aduertat ſacerdos, vel ratione ruditatis ſermonis, vel ſuæ imperitiæ, ſe non poſſe cætera intelligere, tenetur remittere pœnitentem ad peritiorem illius idiomatis, ſi poſſit commodè haberi; aliter poteſt illum abſoluere, ut docent ijdem. Hic tamen aduertendum eſt, cum Suar. loc. cit. quòd taliter abſoluti, ſi deinde poſſint integrè confiteri, poſt euaſionem talis periculi, tenentur id facere.

3. Sequitur, quòd ſi aliquis non poſſit confiteri, niſi cum aliquo ſacerdote, de cuius prudentia timeat, quòd non ſit ſecretum ſeruaturus, quoad aliquod crimē, ut

ut ſi cum eius ſorore concubuerit, vel ab eius domo aliqua ſuſtulerit, quorum ablationem animaduerterit, poterit huiuſmodi peccata illi non reuelare, & de alijs abſolui. Et ratio eſt, quia tunc habet impotentiam moralem excuſantem. Et idem eſt dicendum de omnibus alijs caſibus aſſignabilibus, in quibus ſuperueniat impotentia aliqua phyſica, ſiue moralis, impediens integritatem materialem confeſſionis, in quibus ſufficit integritas formalis, ad valorem abſolutionis, cum obligatione ad integritatem etiam materialem, ceſſante tali impotentia.

Ad 1. Patet reſponſio ex Trid. loc. cit. in quo docet, etiam peccata occulta eſſe confitenda. Ad 2. Dico, quòd licèt peccata publica per ſe pateant homini, non tamen patent ſacramentaliter Vicario Dei, & ideo eſſe exponenda. Ad 3. Dico, illud dictum eſſe expreſsè ut hæreticum damnatum à Trid. loc. cit. Ergo ut impium, eſt omninò reijciendum.

ARTICVLVS III.

An poſſit abſolui incipiens confeſſionem, dicendo, ſe eſſe peccatorem in genere, & deinde morbo correptus, nullum poſſit fateri peccatum in particulari?

VIdetur non poſſe, Primò quia abſolutio ſacramentalis debet cadere

directè ſupra aliquam materiam determinatam. At in caſu allato nulla eſſet materia determinata, & ideo nihil directè remitti poſſet per abſolutionem, unde pœnitens ſi conualeſceret, teneretur omnia peccata ſpecificè confiteri. Ergo nulla eſſet abſolutio.

2. Qui ſe solùm genericè fateatur peccatorem, nullam notitiam tradit confeſſario de ſuo ſtatu, quam ante non haberet, cùm certum ſit, omnes accedentes ad confeſſionem eſſe peccatores. Ergo ex defectu confeſſionis, non dat illi materiam ſufficientem, ut abſoluatur.

3. Iudex non poteſt rectè iudicare, niſi cognita cauſa particulari, ſicut medicus non poteſt ſanare, niſi cognoſcat morbũ in particulari, ut ait Hyeronimus, *quod ignorat medicina, non curat*. Ergo cùm ſacerdos ſit iudex, & medicus animæ, debet cognoſcere crimina, quæ vulnerant animam, in particulari, quibus non cognitis, non poteſt abſoluere, ut docent Sotus, Cano, Ledeſma, Nauarrus, & Abulenſis.

Concluſio, *Quamuis ſpeculatiuè talis abſolui non poſſit, tamen debet abſolui, iuxta praxim Eccleſiæ*.

Probo primam partem ex argumentis adductis, quæ videntur habere tantam vim, ut Lugo diſp. 17. ſect. 1. n. 13. videatur deſperare ſolutionem; quibus accedens

cedens auctoritas Trid. ſeſſ. 14. c. 5. dicentis, *Conſtat autem, ſacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem in pœnis iniugendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraßent*, maximum pondus addit, & reddit hanc partem valde probabilem.

Probo ſecundam, ut probabiliorem, & tutam in praxi, quam tenent Suar. diſp. 23. ſect. 1. n. 5. Vaſq. q. 91. ar. 2. dub. 1. Tolet. lib. 3. c. 8. n. 2. Conink diſp. 7. dub. 10. n. 97. & Lugo diſp. 17. ſect. 1. cum pluribus alijs penès ipſos, primò quia poteſt licitè fieri, quod faciendum præcipitur à S. Romana Eccleſia diuinitùs illuſtrata. Sed huiuſmodi eſſe abſoluendum, præcipitur à S. R. E. ut patet in rituali Rom. edito iuſſu Pauli V. his verbis, *Si inter confitendum, vel etiam antequàm incipiat confiteri, vox, & loquela ægroto deficiat, nutibus, & ſignis conetur ſacerdos, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, abſoluendus eſt*. 2. Debet abſolui qui ſolùm petijt abſolutionē, & nullum peccatum dixit, ſiue in ſpecie, ſiue in genere, ut probabitur infra. Ergo multò magis qui confeſſus eſt peccata in genere. 3. Peccatum in genere poteſt eſſe materia neceſſaria (ut docent Lugo, & Suar. ibid.) Nam ſi aliquis bene conſcius,

ſe peccaſſe, & ſit adeo obliuioſus, ut non recordetur ſpeciei, tenetur confiteri tale peccatum in genere. Ergo multò magis poteſt eſſe materia ſufficiens, quæ ſemper ſequitur confitendi neceſſitatem. Et hæc doctrina ſumitur ex D. Tho. in 4. d. 21. q. 2. ar. 1. & 2. cui accedunt Nauarrus, & Maior, penès Suar. ibidem, de qua multò plura dicemus infra.

Ad 1. Nego minorem; & dico, quòd in tali caſu omnia peccata in confuſo confeſſa, & ſecundum rationem genericam diuinę offenſionis, eſſent materia determinata, & proinde remitterentur directè. Quia tamen non fuerunt clauibus expoſita, ſecundùm proprias, & ſpecificas rationes, ideo omnia, & ſingula remanerent clauibus exponenda, ſi ægrotus conualeſceret, ut docet Suar. ibid. n. 11. reſpondendo ad 2. loquendo de mortalibus.

Dices cum Lugo peccata directè abſoluta, non debent iterum ſubijci clauibus. Ergo ſi per illam generalem confeſſionē, omnia mortalia fuerunt abſoluta, nulla eſt ratio, cur debeant iterum ſubijci clauibus. Atque adeo ſi adhùc tenentur clauibus, ut totius Eccleſiæ praxi comprobatur, non fuerunt directè abſoluta.

Nego antecedens; Siquidem eſt communis ſententia (quam amplexi ſumus diſp. 5. ar. 4.) peccatum dubium dubietate

facti,

facti, & ut tale confeſſum, quamuis directè fuerit abſolutum, ſi tamen deinde acquiratur certitudo, debere ut certum ſubijci clauibus. Ergo abſolutio directa alicuius peccati, non ſemper tollit obligationem, illud iterum confitendi. Atque adeo ſicut peccatum dubium, abſolutum ut tale, in ſecunda confeſſione, potiùs explicatur ad maiorem cautelam (quam explicationem non immeritò dixerim complementum prioris confeſſionis) quàm clauibus ut noua culpa ſubijciatur; ita peccata genericè confeſſa, cum ſpecificè exponi non potuerint, & directè abſoluta, debent deinde ſpecificè exponi, non ut noua culpa ſoluenda clauibus, ſed ut compleatur prior confeſſio, per maiorem explicationem.

Vrgebis, ergo quando explicantur ſpecificè huiuſmodi peccata, genericè priùs confeſſa, non fit noua confeſſio, ſed abſoluitur prior, adeòque non poteſt tradi noua abſolutio. Nego antecedens, quia etiam peccatum aliàs abſolutum, poteſt eſſe materia ſufficiens nouæ abſolutionis, ut probauimus diſp. 5. ar. 5. Quare hoc ſecundum ſacramentum non eſt complementum prioris, ut ſacramentum eſt adæquatè ſumptum, ſed ſolùm inadæquatè, quatenus dicit talem confeſſionem, clariùs, & diſtinctiùs explicantem eadem peccata, quæ fuerunt abſoluta ab alio ſa-

cramento, ſub illa ratione generali.

Ad 2. Nego conſequentiam. Non enim eſt de ratione accuſantis, quòd det Iudici nouam notitiam delictorum, cùm poſſit etiam illi deferre flagitia aliunde nota. Satis ergo eſt ad rationem veræ confeſſionis, quòd ſit vera accuſatio ſuorum criminum, ad quam impertinenter ſe habet, quòd ſit de notis ſacerdoti. Præterquam quòd poſſet negari antecedens, cùm talis confeſſio præbeat ſacerdoti, ut iudici, notitiam in foro ſacramentali, quam priùs tantùm habebat ut homo. Ergo poteſt per illam, licèt imperfectam, rectè iudicare, quantum permittunt circumſtantiæ.

Ad 3. Nego antecedens. Quamuis enim ad iudicium perfectum, & completum, ſit neceſſaria clara, & diſtincta notitia delictorum, quia tamen aliquando ex circumſtantijs, non poteſt haberi hæc tàm exacta notitia cauſæ, debet iudicari ſecũdùm notitiam, quæ hic, & nunc eſt poſſibilis, præſertim in foro ſacramentali, in quo cùm pœnitens ſit accuſatòr ſui, non præſumitur velle decipere iudicẽ, in præiudicium animæ ſuæ, fingendo impotentiam ad ulteriorem delictorum explicationem, quando verè non eſſet. Sicut ergo cùm unum tantùm confitetur peccatũ, ex impotentia confitendi cætera, prudenter directè ab illo abſoluitur, & indirectè ab alijs, ita cùm non poteſt, niſi genericè con-

confiteri, prudenter, & directè cadit iudicium ſuper omnia, ſecundum rationem communem diuinæ offenſæ, & indirectè ſecundum rationes ſpecificas, & ſpeciales.

ARTICVLVS IV.

An poſſit abſolui qui ſolùm petijt confeſſionem, vel præbuit contritionis indicia confeſſario præſenti?

VIdetur non poſſe, Primò quia petitio confeſſionis non eſt confeſſio. Ergo non ſufficit. Deinde quia contritio non eſt accuſatio ſui ſacramentalis. Ergo cùm hæc ſigna manifeſtent ſolam contritionem, non ſufficiunt ad abſolutionem, quæ debet ſolùm cadere ſupra peccatorũ confeſſionem.

1. Concl. *Qui petijt abſolutionem à confeſſario præſente, & præbuit contritionis indicia, quamuis nullum peccatum, ſiue in ſpecie, ſiue in genere confiteatur, poteſt licitè abſolui.* Ita Toletus lib. 3. ſum. c. 8. n. 2. Suar. diſp. 23. ſect. 1. n. 13. Vaſq. q. 91. ar. 2. dub. 1. n. 1. Lugo diſp. 17. ſect. 2. n. 29. Bonaccina, Layman, Diana, Megala, & alij plures penès ipſos.

Probatur, quia qui petit abſolutionẽ, & præbet ſignum doloris, videtur confiteri, ſaltem in genere, ſua peccata, manifeſtando ſe peccatorem. Sed qui facit con-

feſſionem in genere, cum aliam facere non poſſit, poteſt abſolui, ut probauimus ar. 3. Ergo hic poteſt, immò debet abſolui ex Rituali Romano iubente, *etiamſi confitendi deſiderium oſtenderit, abſoluendus eſt*. Maior eſt difficultas de eo, qui non petijt abſolutionem, ſed ſolùm præbuit ſigna contritionis, per tunſionem pectoris, amplexum Crucefixi &c. Prò quo ſit.

2. Concl. *Talis in articulo mortis conſtitutus, qui nullatenus poteſt confiteri, eſt abſoluendus*, ut ijdem docent locis citatis, inter quos Bonaccina diſp. 5. de ſac. q. 5. ſect. 2. p. 2. §. 4. diff. 4. nu. 9. ait, *Poteſt abſolui is, qui ſolùm in genere dat ſigna contritionis, ſtringendo manum, aut percutiendo pectus, aut manum, ſeu oculos in cœlum eleuando, aut aliud ſimile ſignum exhibendo, per ordinem ad confeſſionem*.

Probatur, quia in caſu extremi conflictus, non requiritur expreſſa, ſed ſufficit tacita petitio confeſſionis. Sed huiuſmodi contritionis indicia, exhibita à moribundo, videntur eſse tacita petitio abſolutionis, ſiue confeſſionis. Ergo ſufficiũt, ad hoc ut poſſit ſacramentaliter abſolui. Probatur minor; nam talia faciens in tali ſtatu, utique quærit remedium ſuorum criminum. Ergo ſi poſset, confiteretur, vel ſaltem peteret abſolutionem, adeòque hæc ſigna ſunt in ordine ad illam, tam-

quam

quàm ad remedium ſuæ ſalutis.

3. Concl. *Qui confeſſionem non petijt, & nullum præbuit doloris ſignum, neque abſolutè, neque conditionatè poteſt abſolui ſacramentaliter.* Ita auctores ſupracitati, quorum aliqui dicunt, opinionem oppoſitam non eſſe probabilem, & alij temerariam.

Probatur 1. Quia ſacramentum pœnitentiæ eſt iudicium ſenſibile. Ergo debet reus ſe ſiſtere coram Iudice, adeoque manifeſtare ſenſibiliter aliquam ſuam voluntatem, qua ſe accuſet, vel Iudicis imploret auxilium; alioquin ferretur ſententia, abſque ullo proceſſu, quod induceret eius nullitatem. 2. Ex praxi totius Eccleſiæ, non abſoluentis, niſi confitentes aliquo modo. 3. Ex abſurdo, aliter poſſent omnes abſolui, etiam decedentes, abſque ulla diſpoſitione, adeòque poſſet tribui forma abſolutionis, abſque ulla materia, quæ ſunt abſurda.

Ob. 1. Cum Malferio, Homobono, Antonio delitteratis, Bartholom. à S. Fauſto, & alijs, tenentibus oppoſitam ſententiam, Alex. Lodouiſ.(qui poſtea fuit Greg. XV.) dum erat Ep. Bonon. in mem. confeſſ. c. 1. iuſſit, talem eſſe abſoluendum. Quod idem præcipit Sacerdotale Romanum antiquum, in tr. de ſac. pœn. c. 26. & citat D. Antoninum prò hac opinione. 2. Quia quilibet Chriſtianus, in tanto periculo

riculo conſtitutus, probabiliter habet ad minus attritionem, qua diſponitur ad abſolutionem ſacramentalem, ſaltem conditionatè conferendam. 3. Poſſet in tali caſu tradi abſolutio ſacramentalis, ad minùs per modum ſuffragij, ut opinatur Iacobus Baius Louan. lib. 2. inſt. Chriſt. c. 91. Ergo &c.

Ad 1. Dico, Archiepiſcopum Bonon. non excedere auctoritatem doctoris priuati, & ideo poſſe decipi, præſertim cum factus Pontifex ſuam ſententiam non confirmauerit. Et idem dico de S. Antonino, ſi tamen verè hoc dixit. Et ad ſacerdotale Rom. dico cum Card. Delugo diſp. 20. de euchar. ſect. 3. illud meritò fuiſſe abrogatum, propter errores, quibus ſcatebat, vel ex incuria typographorum, vel ex additionibus, & inuerſionibus hæreticorum. Quare nunc non facit authoritatem.

Ad 2. Nego ſuppoſitum. Aliter eſſet etiam abſoluendus concubinarius publicus, uſurarius &c. quia ut Chriſtianus, in articulo mortis, ſupponitur habere attritionem ſufficientem, quo admiſſo, nullus moreretur impœnitens, eò quia morti proximus eſſet abſoluendus, quod eſt omninò falſum, & utinam eſſet verum.

Ad 3. Nego antecedens, Primò quia abſolutio debet eſſe actus iudicialis, & ſententia definitiua. Ergo non poteſt dari per modum ſuffragii, de cuius ratione

eſt,

Digitized by Google

eſt, quòd ſit aliquod deprecatorium. Deinde quia cùm ſuffragia fiant, etiam defunctis, poſſet etiam illis conferri abſolutio per modum ſuffragij, quod eſt erroneum.

Ad alia argumenta initio adducta, reſpondeo cum Suar. diſp. 23. ſect. 1. n. 14. petitionem confeſſionis in talibus circumſtantijs, eſſe inchoatam confeſſionem, ſaltem virtualiter, & interpretatiuè, quando pœnitens non poteſt illam formaliter habere. Vnde patet reſponſio ad 1. Ad 2. dico, quòd ſicut per confeſſionem humilem, & lachrymoſam, manifeſtatur contritio, ita aliquando per contritionem manifeſtatur confeſſio, ſaltem in genere, eo modo quo hic & nunc eſt poſſibilis contrito. Quia ergo per talia ſigna manifeſtatur contritio, in ordine ad confeſſionem petitam, manifeſtatur etiam confeſſio ſufficiens, ad recipiendam abſolutionem, ſaltem ſub conditione conferendam, *ſi materia eſt ſufficiens*.

Dices, petitio confeſſionis, manifeſtat ſolum deſiderium illius. Sed deſiderium confeſſionis non eſt confeſſio, ſicut deſiderium ſuſcipiendi euchariſtiam, non eſt eius ſuſceptio. Ergo qui ſolùm petijt confeſſionem, non poteſt abſolui.

Diſtinguo minorem, non eſt formalis confeſſio, concedo: non eſt confeſſio inchoata, & virtualis, & ſubdiſtinguo, quan-

do

do pœnitens poteſt formaliter confiteri; concedo, quia tunc deſiderium eſſet purè ſpeculativum: quando non poteſt, nego minorem, quia tunc deſiderium eſt practicum, cùm pœnitens confiteatur, ſicut poteſt. Nec valet paritas euchariſtiæ. Cùm enim ſuſcipiens ſe habeat ad illam mere paſſiuè, nihil confert ad eſſentiam ſacramenti, cùm eius deſiderium terminetur ad vſum tantùm. Ergo niſi verè adſit ſacramentum ſuſcipiendum, per eius deſiderium non ſuſcipitur, niſi ſpiritualiter, & mentaliter. Ad ſacramentum autem pœnitentiæ ſe habet pœnitens, non ſolùm paſſiuè, quatenus recipit abſolutionem à ſacerdote, ſed etiam actiuè, quatenus illi præbet materiam proximam, quæ eſt eius pars eſſentialis. Ergo quia poteſt præbere hanc materiam per deſiderium practicum confeſſionis, ut dictum eſt, ideo non currit paritas.

ARTICVLVS V.

An poſſit abſolui à ſacerdote præſente, qui in eius abſentia, petijt confeſſionem, & præbuit ſigna contritionis?

VIdetur non poſſe, ut putant Cano, Ledeſma, Soto, Victoria, Nauarrus, Abulenſis, Candidus, & alij. Primò quia in Trid. ſeſſ. 14. c. 5. dicitur abſolutio

tio eſſe actus iudicialis, qui non poteſt fieri, incognita cauſa. Sed in tali caſu ſacerdos nihil cognoſceret de ſtatu pœnitentis, qui ſe præſente, nec petit abſolutionem, nec præbet doloris indicia. Ergo non poteſt illum abſoluere. 2. Quia petitio confeſſionis, & ſigna contritionis, non pateſcunt ſacerdoti, niſi per teſtes, qui illis interfuerunt. Ergo ſi admittantur ut confeſſio, quia fuiſſet facta ſacerdoti abſenti, caderet ſub prohibitionem Clementis Octaui, adeòque eſſet nulla, & ſic non eſſet apta ab abſolutionem, ut fusè contendit Gonettus diſp. 12. ar. 4. §. 2. Demum quia ſi quæ concilia, vel alia teſtimonia afferri poſsunt in contrarium, debent exponi de remiſſione pœnæ publicæ, non autem de remiſſione peccatorum per abſolutionem ſacramentalem.

Concl. *Qui abſente confeſſario, petijt abſolutionem, & præbuit ſigna contritionis, poteſt abſolui à ſacerdote præſenti, ſi de illis fiat certus adſtantium teſtificatione.* Ita D. Tho. opuſc. 65. §. *de extrema vnct.* S. Antonin. Sylueſter, Toletus, Vaſq. Valentia, Conink, Sà, Layman, Lugo, & ferè omnes alij.

Probatur 1. ex Rituali Rom. Pauli V. ubi dicitur, *Vel etiamſi confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* 2. Ex Conc. Arauxicano c. 11. *Subitò obmuteſcens* (*prout ſtatutum*

tum eſt) *baptizari, aut penitentiam accipe-re poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimo-nium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu.* 3. ex Conc. 4. Cartagin. c. 63. *Is, qui penitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dùm ad eum ſacerdos venit, oppreſ-ſus infirmitate obmutuerit, vel in phræne-ſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat penitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius eucbariſtia.* 4. Ex ep. 91. S. Leonis Magni ad Theodoretum, *Quòd ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati, ut quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia ſacer-dotis, ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debeant, ut ſimul & penitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* 5. Iulius primus Papa in c. *ſi præsbiter*, & Cęleſtinus in c. *agnouimus* 26. q. 6. dicunt, *præsbiterum morienti penitentiam abnegantem, reum eſſe eius animæ, & horrendam impietatem committere &c.* Quæ teſtimonia ſunt adeò clara, ut nullum relinquant locum de op-poſito dubitandi.

His additur ratio euidens, quæ ex ſupra dictis elicitur, Teſtimonia adſtantium, quòd hic infirmus petierit abſolutionem, & præbuerit ſigna contritionis, eſt con-feſſio in genere facta per interpretem. Ergo eſt ſufficiens ad recipiendam abſo-

ſutionem. Conſequentia patet ex dictis in 3. & 4. ar. Anteced. probatur, ſigna contritionis, cum petitione abſolutionis, æquiualent confeſſioni peccatorum in genere, factæ ab ipſo infirmo per teſtimonium adſtantium, qui ſunt velut interpretes talis confeſſionis, quam ratione ægritudinis, pænitens non poteſt facere præſenti ſacerdoti. Ergo ſicut ſufficeret confeſſio propria in genere, ita ſufficit hæc.

Ad 1. Nego minorem, quia infirmus in tali ſtatu cenſetur petere per alios confeſſionem. Cùm enim conſtet per aliorum teſtimonium, verè petijſſe contritum confeſſionem, nec conſtet, retractaſſe hanc ſuam contritionem, immò conſtet, non potuiſſe fieri hanc retractationem, ex vehementia morbi, qui ab illo abſtulit uſum rationis, cenſendus eſt perſeuerans in eodem ſtatu, adeòque per alios petere abſolutionem.

Ad 2. Nego conſequentiam, Primò quia probauimus diſp. 8. ar. 3. decretum Clementis Octaui non obſtare confeſſioni factæ abſenti, dummodò abſolutio fiat à præſenti, ſicut eſſet in caſu allato, in quo infirmus, cùm per ſe non poſſit, per adſtantes, tamquam per interpretes, ratihabet ſuam confeſſionem præſenti, cui proinde cenſetur confiteri, & ab illo præſente abſoluitur. Et hæc ſolutio eſt multò verior, quàm allata à Lugo loc. cit. n. 71.

quòd

quòd videlicèt Clementis decretum verſe-tur ſolùm circa confeſſionem peccatorum in particulari, ſicut ſolet regulariter fieri, non autem circa illam, quæ fit ab agonizantibus per ſigna contritionis, petitionem abſolutionis &c. quam, ait, non eſſe verè confeſſionem, niſi lato modo, quantùm ſufficit ad valorem abſolutionis; Vnde infert, illud decretum non aduerſari Pauli Rituali? Siquidem ſi verè non eſt confeſſio, quomodo poteſt eſſe materia ſufficiens ſacramenti, quod eſſentialiter conſtat ex confeſſione, ut materia, & abſolutione, ut forma?

Ad 3. Nego antecedens, quod eſt adeo falſum, ut ab ipſo etiam Gonetto ſuis Thomiſtis exprobretur ut tale, dicta diſp. 12. ar. 4. §. 4. n. 77. cùm Concilia, & Rituale Romanum ſint uſque adeo clara, ut non poſſint ita explicari. Et quamuis poſſent, ſufficiat contra ipſos auctoritas D. Thomæ, qui opuſc. 65. §. de extrema vnct. ait, *Si autem infirmus, qui petijt vnctionem, amiſit notitiam, vel loquelam, antequàm ſacerdos veniret ad eum, nihilominùs ungat eum ſacerdos, quia in tali caſu debet etiam baptizari, & à peccatis abſolui.*

Quæres 1. An ſufficiat in tali caſu teſtimonium mediatum, ex defectu immediati? Reſp. affirmatiuè cum Lugo diſp. 17. ſect. 5. n. 81. Et ratio eſt, quia in Concilijs allatis, & in Rituali Romano admittitur

titur utrumque teſtimonium, per illa verba indefinita, *ſi confitendi deſiderium per ſe, vel per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* Sicut ergo notitia mediata poteſt valere in alijs ſacramentis, ut vidimus nuper ex D. Tho. de extrema vnctione, & omnes fatentur de baptiſmo, qui debet conferri infideli, qui antequam ſenſibus deſtitueretur, illum humiliter petijt, licèt nullus adeſſet, qui illum immediatè audierit exprimentem hoc ſuum deſiderium, ſed ſolùm adſint alij, qui hoc ab illis audierint, ita & in hoc.

Quæres 2. An ſufficiat teſtimonium unius? Reſp. affirmatiuè, cum eod. ibid. n. 82. Io. Santio in ſelect. diſp. 44. n. 35. & Diana trac. de abſol. moribundi reſol. 8. Et ratio eſt, quia teſtificatio iuridica duorum teſtium ſolùm requiritur, quando agitur in foro contentioſo, & de alterius præiudicio. Abſolutio autem moribundi non eſt huiuſmodi. Ergo ad eius ritam traditionem ſufficit teſtificatio unius, quamuis hæretici, vel infidelis.

Quæres 3. An ſufficiat teſtificatio facta ſacerdoti, antequàm veniat ad infirmum? Reſp. affirmatiuè cum eod. Lugo ibid n. 85. cui accedunt Bonaccina diſp. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2. §. 4. n. 10. & Diana loc. cit. Ratio eſt, quia Concilia, & Rituale adducta loquuntur uniuerſaliter, *dummodo habeatur notitia*. Ergo non ſunt reſtringenda

genda ad notitiam habitam, ſeu ratihabitam coram infirmo, præſertim cùm poſſit fieri confeſſio etiam abſenti, dummodo abſolutio habeatur à præſenti, qui cenſetur illam ratihabere, cùm præſens ſacerdoti remanet in eodem ſtatu, in quo poſt petitam abſolutionem, relictus eſt à vehementia morbi, qui non permittit, illum mutare ſtatum, ſaltem quantum poteſt extrinſecùs deprehendi. Aliter ſi ex timore retractationis, tardanda eſset abſolutio, eſset etiam tardanda, non obſtante præſenti teſtificatione, ſeu ratihabitione adſtantium, qui nihil poſsunt iudicare de eius ſtatu interno.

Quæres 4. An qui ſunt in oppoſita opinione teneantur in tali caſu abſoluere moribundum? Reſp. affirmatiuè cum eod. Lugo ibid. n. 87. Suar. Vaſq. Conink, alijſque ſupra relatis. Ratio eſt, quia quiſque tenetur ſubuenire proximo grauiter periclitanti, ſi poſſit abſque graui incommodo. Sed tales poſſent tuta conſcientia, ſequendo noſtram opinionem, quæ eſt probabilis, ſubuenire proximo, conſtituto in periculo damnationis æternæ. Ergo tenentur illi ſubuenire per abſolutionem.

Quæres 5. An debeat in talibus caſibus tradi abſolutio conditionata? Negant Lugo ibid. n. 90. cum Vaſq. & Io. Sancio. Eorum fundamentum eſt, quia Concilia, & Rituale dicunt, tales eſſe abſoluendos,

nulla

nulla appoſita conditione. Ego tamen reſpondeo affirmatiuè, cum Suar. diſp. 23. ſect. 1. n. 12. Ratio eſt, quia cùm utrinque ſint rationes probabiles, remanet ſub dubio valor talis abſolutionis. Ergo nè exponatur periculo nullitatis, debet conferri conditionatè, ſicut in ſimili fit de baptiſmo. Ad fundamentum oppoſitum dico, verum eſſe, non fieri mentionem de conditione in talibus auctoritatibus, illam tamen neque excludi, definiendo abſolutionem abſolutam. Ergo ut tutiùs operemur, & illius valori conſulatur, debet poni conditio, *ſi es diſpoſitus*, vel alia ſimilis.

ARTICVLVS VI.

An debeant manifeſtari complices, ad ſeruandam integritatem confeſſionis?

Videtur non poſſe, & per conſequens non debere manifeſtari complices, ut docent Valentia diſp. 7. q. 11. p. 1. poſt med. cum Hoſtienſi, Nauarro, Ledeſma, Cano, Viguerio, & alijs. Primò quia præceptum de non infamando proximum, cùm ſit iuris diuini naturalis, eſt maius, quàm præceptum de integritate confeſſionis, quod eſt iuris diuini poſitiui. Ergo cùm utrumque ſimul ſeruari non poteſt, debet ſeruari maius. 2. Tota obligatio ad inte-

integritatem confeſſionis, prouenit ab inſtitutione. Non eſt autem credibile, voluiſſe Chriſtum obligare, ad infamandum proximum, ut hæc ſeruetur integritas. Ergo non datur hæc obligatio. Aliter daretur etiam, ad detegenda peccata non cōplicum, ut meliùs peccata manifeſtentur, ut eſſet, ſi propter lucrum ſororem proſtituiſſet, vel incitaſſet matrem, ad illam proſtituendam, ſecuto effectu, quod eſt abſurdum. 3. Quia poſſet in tali caſu ſufficere integritas formalis, cùm adſit iuſta cauſa, non infamandi proximum, excuſans à materiali. Ergo &c.

Concl. *Quando aliter peccatum explicari non poteſt, non ſolùm poteſt, ſed tenetur pœnitens manifeſtare complices.* Ita Suar. diſp. 34. ſect. 2. n. 5. & ſeq. Vaſq. q. 91. ar. 2. n. 13. ex D. Tho. in 4. d. 16. q. 3. ar. 2. Bonau., Durando, Riccardo, Gabriele, alijſq; quamplurimis, penès Vaſq. loc. cit.

Probatur 1. ex D. Bernardo in opuſc. de vita honeſta, ſub fin. ubi docet, *De nullo prorsùs ſiniſtrè loquaris, quantumcumque ſit verum, vel manifeſtum, niſi in confeſſione, & hoc ubi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum.* Deinde, quiſque poteſt licitè uti iure ſuo, ad proprium commodum, & utilitatem, quamuis per accidens ſequatur damnum alterius, à ſe non intentum. Sed pœnitens habet ius, ſe in-

tegrè

egrè confitendi, ut quærat ſuam æternam ſalutem, & remedium ſuorum peccatorũ. Ergo poteſt licitè hoc facere, quamuis indirectè, & præter eius intentionem, ſequatur damnum complicis. 3. Quia per hoc ipſum quòd aliquis ſponte ſe fecit ſocium alicuius criminis, ſe ſubiecit illi Iudici, ad quem de iure ſpectat iudicium talis criminis. Ergo cùm tale crimen, ut expoſitum à pœnitente per confeſſionem ſacramentalem, poſitum ſit ſub iudicium confeſſarij, ad illum quoque ſpectat cognoſcere complices, quatenus eorum notitia eſt neceſſaria, ad illud rectè iudicandum. Vnde ſequitur, non fieri iniuriam complici, ſi detegatur illi Iudici, à quo pęnitens debet iudicari.

Quòd autem pęnitens teneatur complices manifeſtare, quando aliter non poteſt explicare ſuum peccatum, probatur 1. Quia ad integritatem confeſſionis, tenetur iure diuino, quando nulla adeſt rationabilis cauſa excuſans. Sed hìc nulla adeſt rationabilis cauſa, ſiue ex parte pęnitentis, qui tenetur magis conſulere ſuæ ſaluti, quàm bono alterius temporali, ſiue ex parte complicis, qui per hoc ipſum ceſſit iuri ſuo, quòd ſe miſcuerit tali flagitio, ex natura ſua confeſſario manifeſtando, ut dictum eſt. Ergo tenetur illum manifeſtare. 2. Quia bonum proprium præponderat bono alieno, cæteris paribus.

Sed poteſt accidere caſus, in quo, ſi non manifeſtetur complex, infamatur ipſe pœnitens. E. g. ſi vxor fuerit à viro cognita ſodomiticè, niſi prodat virum, ſe facit ream præpoſteri concubitus cum alio, quod eſt maximum dedecus vxoratæ. Ergo cùm teneatur hoc ſcelus confiteri, nec poſſit ſubticeri iniuſtum agens, tenetur talis fęmina dicere, quòd vetitum illum congreſſum paſſa fuerit à ſuo viro; ſicut vir tenetur dicere, quòd abuſus fuerit vaſe præpoſtero ſuæ vxoris, ut oſtendat iniuriam factam matrimonio; & ſic uterque debent ſe inuicem manifeſtare.

Ad 1. Concedo totum, quod non facit ad rem, ex falſo ſuppoſito, quòd in tali caſu infamaretur proximus. Primò quia (ut dictum eſt) iam complex ceſſit iuri ſuo. Ergo cùm volenti non fiat iniuria, eius proditio non eſt illi iniurioſa. Deinde quia illa proditio non fit animo infamandi, & ideo non eſt infamatio formalis, ſed purè materialis, ut docet D. Tho. 2. 2. q. 73. ar. 2. dicens, *Si verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel neceſſarium, debitis circumſtantijs obſeruatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio*. Et demum quia illa proditio fit ſacerdoti vicem gerenti Dei, qui tenetur ad eius ſigillum, non minus, quàm ad ſigillum peccati pœnitentis. Ergo cum non poſſit deduci ad

ulum

ıſum humanum, non eſt complici præiu- dicialis, ſicut non eſt ipſi pęnitenti, & ſicut non eſſet ipſi complici, ſi tale peccatum exponeret clauibus, ut ab illo abſolueretur. Ergo cùm in talibus caſibus ceſſet præceptum de non infamando proximum, ſolùm remanet, & urget præceptum de integritate confeſſionis.

Ad 2. patet reſponſio ex modo dictis. Et ad eius illationem dico, quod in talibus caſibus, deberent etiam detegi omnes illi, ſine quorum cognitione, non poſſet manifeſtari peccatum. Et ratio eſt, quia ſemper inuenientur huiuſmodi perſonæ, aliquo modo complices delictorum, quæ clauibus exponuntur à pœnitentibus, ut patet in exemplis allatis; nam hic non potuiſſet vel per ſe, vel per matrem proſtituere ſororem, niſi illa conſenſiſſet, ad ſui proſtitutionem. Ergo quia ſponte facta eſt ſocia talis criminis, ſe ſubmiſit iudicio confeſſarij, ut ſupra dicebamus. Idem dico, ſi filius det pharmacum matri, ad occidendum fœtum, nè detegatur adulterium. Vel enim illa conſentit, & facta eſt ſocia talis criminis; vel non conſenſit, ſed inuita, vel inſcia ſumpſit potionem, artificiosè, & occultè illi à filio ſuppeditatam, in tali caſu non poſſet à filio detegi, ſed deberet fateri tale crimen, ſupppreſſa fœmina, dicendo ſe fœminæ prægnanti dediſſe potionem, ad faciendum abortum.

Et ratio eſt, quia licèt mater eſſet rea adulterij, non tamen eſſet rea abortus, & ideo quia nullo modo fuiſſet particeps talis criminis, niſi paſſiuè, & purè materialiter, non ſe ſubieciſſet, quoad hoc, iudici talis criminis, adeòque non poſſet illi à filio manifeſtari, niſi per iniuriam, & detractionem formalem. Et idem dico de omnibus alijs huiuſmodi caſibus, qui poſſent aſſignari.

Ad 3. Nego antecedens, propter rationes adductas.

DISPVTATIO XV.

De effectibus Pœnitentiæ.

CVm hoc ſacramentum fuerit inſtitutum, ad reconciliandum peccatorem cum Deo, primarius eius effectus eſt remiſſio peccatorum mortalium, quoad culpam, & pœnam æternam. Alij eius effectus ſunt remiſſio etiam venialium, diminutio pęnæ temporalis, collatio gratiæ, reſtitutio habituum ſupernaturalium, ablatio vitioſorum, & alij, quos in progreſſu examinabimus. Quæremus ergo, 1. An hoc ſacramentum poſſit

dele-

delere omne peccatum? 2. An tollat etiam reatum pęnæ? 3. An ſit neceſſarium ad tollenda venialia? 4. Quomodo hæc tollantur, vel puniantur in alia vita? 5. An poſſit unum peccatum remittere ſine alijs? 6. An poſſit eſſe validum, & informe?

ARTICVLVS PRIMVS.

An hoc ſacramentum poſſit delere omne peccatum?

VIdetur non poſſe, ut contendebant Montaniſtæ, Nouatiani, & Cataphrygæ, quibus acceſſit Armacanus, qui lib. 9. de quæſt. Armen. q. 27. ait, eſſe quædam peccata, quæ ſecundum legem à Deo datam, remitti non poſſunt. Primò quia aliqua ſunt peccata irremiſſibilia, ut habetur Matth. 12. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Et 1. Io. 5. *Eſt peccatum ad mortem, non prò illo dico, ut roget quis.* Et 2. Machab. c. 9. dicitur de Anthioco, *Orabat ſceleſtus Deum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Et ad Heb. 12. *Eſau non inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Ergo habebant peccata irremiſſibilia.

2. Aliquibus Deus, in pœnam ſuorum ſcelerum, tollit proximam potentiam pœ-

nitendi, per ablationem omnis auxilij ſupernaturalis, etiam ſufficientis, ut apertè propugnat Gonettus diſp. 3. ar. 1. initio, quod videtur probari ex c. 9. ad Rom. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, alludens ad illud Exodi 8. *Induratum eſt cor Pharaonis, aduersùs ſigna, etiam & portenta*. Et Io 2. *Propterea non poterant credere* (loquendo de Iudæis) *quia iterum dixit Iſaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum*. Et Eccleſ. 7. *Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere quem Deus deſpexit*. Ergo multa peccata ſunt adeo enormia, ut tollant potentiam applicandi ſacramentum, ad eorum remiſſionem.

3. Fides, & ſpes ſunt initium iuſtificationis. Ergo qui per actus infidelitatis, & deſperationis, tales habitus amiſerunt, non poſſunt iuſtificari, atque adeo neque recipere fructum pœnitentiæ, remittendo talia peccata.

4. Culpa, ſeu macula conſiſtit in deordinatione actus. Sed hæc non poteſt tolli per ſacramentum, ſed per ſolam virtutem pœnitentiæ, quæ bene dolens de eo, quòd malè placuit, reordinat actum. Ergo culpa non poteſt tolli per hoc ſacramentum.

1. Concl. *Nullum eſt peccatum ratione ſua intrinſeca irremiſſibile*. Ita D. Tho. q. 86. ar. 1. Lugo diſp. 8. ſect. 1. Eſparſa

q. 78.

q. 78. per totam, Suar. diſp. 8. ſect. 1. aſſert. 3. Gonettus &c.

Probatur 1. Hæc irremiſſibilitas, ſi daretur, vel proueniret ex obiecto, vel ex ſubiecto, vel ex Deo offenſo? Non primum, quia nullum obiectum pravum eſt tantæ actiuitatis, ut illi cum diuina gratia reſiſti non poſſit. Hoc enim ſiquid eſſet, tolleret libertatem ab operante, quem cogeret ad peccandum, & rationem malitiæ ab ipſo actu, quæ non poteſt competere actui neceſſario, prouenienti à principio extrinſecè prædeterminante, ut fusè probatum eſt in tr. de prædeſt. Neque ſecundum, quia quilibet homo, dùm eſt in via, poteſt agere pœnitentiam de ſuis culpis, adeòque ab illis iuſtificari, ut definitum eſt in Later. c. *Firmiter* de ſum. Trin. *Et ſi poſt ſuſceptionem baptiſmi, quiſquã prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari.* Vbi aduertatur ly *ſemper*, quod denotat interminatam quamdam extenſionem, non ſolum in ratione durationis, ut ſemper poſſit, ſed etiam in ratione obiecti, ut quodcumque peccatum poſſit reparari. Neque tertium, quia Deus offenſus ſemper eſt paratus ad indulgendum, ut aſſiduò teſtantur ſacræ paginæ, ut Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuã, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius.* Ergo ex nullo capite habetur hæc ir-

remiſſibilitas.

2. Nullum eſt peccatum adeo graue, ut ſit ex ſe magis malum, quàm Deus ſit bonus, immò ſemper eſt Deus per infinitum exceſſum melior, & magis miſericors. Sed omne peccatū eſt remiſſibile, cuius Deus poſſit miſereri. Ergo cùm Deus poſſit miſereri omnium, omnia ſunt remiſſibilia.

2. Concl. *Nullus eſt cumulus peccatorum, ad quem non poſſit extendi diuina miſericordia.* Eſt de fide, ut fusè proſequitur Lugo q. 8. ſect. 1. ex D. Thom. q. 86. ar. 1.

Probatur 1. Repugnat diuinæ miſericordiæ, dari talem numerum peccatorum, à quo ipſa quodammodo vincatur, contra dictum Ioel. 2. *Deus benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia;* & ideo communiter cenſetur, maximum fuiſſe peccatum Cain dicentis Geneſ. 4. *Maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear,* quod dictum licèt expoſitum per meritum intrinſecum ad veniam, videatur tolerabile, tamen quia communiter exponitur, per comparationem malitiæ, cum quaſi quantitate diuinæ miſericordiæ, cum exceſſu malitiæ, ideo cenſetur maxima culpa, & blaſphemia. Immo deſperare de ſua ſalute, eſt grauiſſimum peccatorum.

2. Interrogatus à D. Petro Chriſtus D. ad

ad qualem numerum peccatorum poſſet extendi poteſtas clauium ſibi tradita, reſpondit, non ſolùm ad numerum ſeptenarium, quem illi propoſuerat, ſed uſque *ad ſeptuagies ſepties*, ut habetur Matth. 18. qui communiter exponitur per numerum indefinitum, ſuperantem omnem numerum determinatè finitum.

3. Nullus eſt cumulus peccatorum adeo ingens, reſpectu unius hominis, ut æquiualeat numero peccatorum, quæ patrantur in toto mundo. Sed ad hunc extenditur diuina miſericordia per virtutem paſſionis Chriſti, ut dicitur 1. Io. 2. *Ipſe eſt propitiatio prò peccatis noſtris, non ſolùm autem noſtris, ſed etiam totius Mundi*. Ergo à fortiori etiam ad illum.

3. Concl. *Omne peccatum poteſt remitti per ſacramentum pœnitentiæ*. Eſt de fide, ut probat Suar. diſp. 8. ſect. 1. aſſert. 3.

Probatur ex dictis, quia ſi daretur aliquod peccatum adeo graue, vel ratione malitiæ, vel ratione multitudinis, ut ſuperaret virtutem clauium, illud eſſet irremiſſibile, cuius oppoſitum probatum eſt in aſſertis concluſionibus. Et ideo Trid. ſeſſ. 6. c. 14. docet, omnes lapſos poſt baptiſmum poſſe per pœnitentiam reſurgere, quod can. 29. definit ut catholicum, & ſeſſ. 14. c. 5. ſubinde ait, *D. noſter Ieſus Chriſtus ſacerdotes ſui vicarios reliquit, tamquam præſides, & iudices, ad quos om-*

nia mortalia crimina deſerantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, qui prò poteſtate clauium, remiſſionis, aut retentionis ſententiam pronuncient. Quod deinde ut catholicum definit can. 1. *Siquis dixerit, in catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè, & propriè ſacramentum prò fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur ipſi Deo reconciliandis &c. anathema ſit.* Ergo de hoc dubitari non poteſt, iuxta catholicam veritatem.

Vnde patet reſponſio ad 1. Et ad 1. locum dico cum D. Thom. q. 86. ad 3. per blaſphemiam in Spiritum S. poſſe intelligi impœnitentiam finalem, quæ non remittitur, non quia ſit aliquod intrinſecè irremiſſibile, ſed quia poſt illam ſequitur mors, quæ ponit impœnitentem in termino, ubi non eſt locus pœnitentiæ. Quòd ſi intelligatur quodcumque aliud peccatum non finale, cuiuſmodi eſſet tribuere Satanæ opera Spiritus Sancti (ut multi talem locum interpretantur) hoc peccatum dicitur irremiſſibile, non quia non poſſit, ſed quia difficilè remittitur, propter eius enormem difformitatem. Ad locum 1. Ioa. 5. dico, dari aliqua peccata, quæ dicuntur ad mortem, quia per illa plerumque homines ſubeunt mortem æternam, propter difficultatem conuerſionis, ut ſunt hæreſis, apoſtaſia à fide, cultus Dæmonum &c. & ad hæc non dicit orari non

poſſe,

poſſe, ſed ad talem orationem non hortatur, quia (ut exponit hic Cornelius à Lapide) magno indigent deprecatore, neque omnes prò illorum curatione ſunt apti. Ad illud de Anthioco dico, ab Anthioco rogatum fuiſſe Deum, non ex motiuo veræ pœnitentiæ, ſed ut doloribus, quibus cruciabatur, liberaretur; & ideo quia Deus non exaudit fictè pœnitentes, non erat conſecuturus ab illo miſericordiam, non quia non poſſet Deus illam conferre, ſed quia orans non erat bene diſpoſitus, ad illam obtinendam. Et idem dico de Eſau, qui cùm retineret animum occidendi Iacob ſuum fratrem, non habebat veram pœnitentiam.

Ad 2. Nego antecedens, cum ſuis probationibus, quod in tract. de prædeſt. diſp. 7. per totam, ingenti cumulo ſcripturarum, & Patrum, ſolo proſtraui, cum clara explicatione omnium locorum ſacræ ſcripturæ, quæ videntur illi fauere.

Ad 3. Nego conſequentiam. Quamuis enim remanentes in actuali deſperatione, & infidelitate, non poſſint cum illis coniungere iuſtificationem, tamen quia poſſunt ab illis recedere per actus oppoſitos fidei, & ſpei, quibus diſponantur, ad recuperandos amiſſos habitus ſupernaturales, illis recuperatis, poſſunt deinde agere veram pœnitentiam, & per ſacramentum iuſtificari. Quomodo autem ſine tali-

bus habitibus, poſſint elicere actus fidei, & ſpei, videbimus ſuo loco. Prò nunc ſufficiat, quòd clementiſſimus Deus, videns eorum conatum ad reſurgendum, dat illis manus, & ſupplet defectum habituum, per auxilia excitantia, & concomitantia, quibus poſſint diſponi ad tales actus.

Ad 4. Nego minorem. Primò quia attritus per ſacramentum fit contritus, modo explicato diſp. 7. ar. 2. Et deinde quia licèt verè contritus deleat peccatum, ante acceptam abſolutionem ſacramentalem, tamen quia hoc non eſt neceſſarium ad valorem ſacramenti, cui ſufficit attritio, ut dictum eſt ibid. ar. 3. ideo ſacramentum debet eſſe de ſe remiſſivum peccati. Sed quia deleri non poteſt quod non eſt, ideo ſi priùs tempore, vel natura fuerit per contritionem deletum, non deletur deinde per ſacramentum, non ex defectu virtutis, ſed materiæ, eo modo, quo baptiſmus non poteſt delere in pueris peccata actualia, quæ non ſunt, quamuis poſſet, ſi adeſſent, ut in adultis.

ARTICVLVS II.

An remiſſio culpæ trahat ſemper remiſſionem pœnæ?

VIdetur trahere, ut opinantur hæretici recentiores, & præcipuè Lutherani,

rani, & Caluiniſtæ, primò quia ablata causa, non poſſunt remanere eius effectus. Sed causa cuiuſcumque pœnæ eſt ſolum peccatum. Ergo illo ablato per pœnitentiam, non poteſt remanere ulla pœnalitas; aliter daretur effectus ſine cauſa, quod eſt impoſſibile. 2. Quia baptiſmus, & martyrium habent vim, tollendi omnem reatum culpæ, tollunt etiam reatum cuiuſcumque pœnæ. Ergo idem dicendum de pœnitentia. 3. Qui tollit plus, tollit etiam minus. Sed pęnitentia tollit reatum pęnæ æternæ. Ergo à fortiori tollit etiam reatum pęnæ temporalis. 4. Chriſtus condignè, & ad æqualitatem prò nobis ſatisfecit. Ergo nulla ſupereſt nobis neceſſitas ſatisfaciendi, ut habetur ad Rom. 8. *Nihil nunc damnationis eſt in ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu*, ſicut fuit ante promiſſum per Ezechielem c. 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabos amplius*. Et c. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit*.

1. Concl. *Non poteſt remitti reatus culpæ, quin tollatur reatus pœnæ æternæ*. Ita D. Tho. q. 86. ar. 4. & eſt communis.

Priuſquam probem, aduerto, reatum culpæ eſſe illam neceſſitatem, quam habet homo, ut filius Adæ, incurrendi peccatū originale, cumprimum acquirit animam rationalem; vel ſi referatur ad culpam actualem, eſt illa ſubiectio, ſeu captiuitas qua

qua peccator tenetur ſub iugo peccati, quaſi captivus, & mancipatus Diabolo, donec per gratiam ſoluatur. Reatus verò pœnæ, eſt neceſſitas, vel obligatio ſubeundi pęnam, ſiue æternam, ſiue temporalem, quam Scotus explicat per ordinationem paſſiuam ad pœnam. Quo poſito.

Probatur 1. Non poteſt remitti culpa, niſi per gratiam, ut videbimus ſuo loco. Sed gratia eſt incompoſſibilis cum reatu pęnæ æternæ, qui ſemper ſupponit diuinā inimicitiam. Ergo non poteſt remitti culpa, quin tollatur reatus pęnæ æternæ. 2. Homo per gratiam remiſſiuam peccati, fit filius adoptivus Dei. Sed filio Dei debetur ut hæreditas, regnum Cælorum, ut docet Apoſtol. ad Rom. 8. *Si filij, & hæredes.* Ergo non poteſt illi eſſe debita eius perpetua excluſio. 3. Reatus pęnæ æternæ correſpondet peccato, non ut eſt conuerſio ad creaturam, quia cùm hæc conuerſio dicat ſolùm malitiam finitam, non poteſt mereri, niſi pęnam finitam, ſed ut eſt auerſio à Creatore, quæ ratione obiecti, dicit offenſam infinitam. Sed peccator non poteſt delere hanc culpam, niſi per actum oppoſitum conuerſionis ad Deum. Ergo eo ipſo quòd per pœnitentiam deleat peccatum, conuertitur ad Deum, adeòque euertit fundamentum reatus pęnæ æternæ.

2. Concl. *Poteſt remitti culpa, remanente reatu pœnæ temporalis, luendæ vel in vita,*

vel

vel in purgatorio. Ita idem ibid. cum communi cenſu catholicorum.

Probatur 1. Ex Trid. ſeſſ. 14. c. 8. in quo dicitur, *S. Synodus declarat, falſum omninò eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin uniuerſæ etiam pœna condonetur. Perſpicua enim, & illuſtria in ſacris litteris exempla repeiuntur, quibus præter diuinam traditionē, hic error quammanifeſtiſſimè reuincitur.* Exempla verò huiuſmodi poſſunt eſſe Moyſis, & Aaronis, qui ob incredulitatem iam dimiſſam, perpetuò fuerunt excluſi à terra promiſſionis. Et ipſe Adam, quamuis obtinuerit veniam ſuæ inobedientiæ, mortem tamen comminatam non euaſit. Et Dauid obtenta venia homicidij, & adulterij, graues pęnas luit &c. Hoc idem definitur ab eod. ibidem can. 12. *Siquis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa, remitti ſemper à Deo, anathema ſit.* Quod idem confirmat can. 13. & 14.

Deinde, reatus pœnæ temporalis, correſpondet peccato, ut eſt conuerſio ad creaturas. Sed in retractatione auerſionis à Deo, poſſunt remanere aliquis affectus, & propenſio ad creaturas venialiter vitioſi. Ergo poteſt remanere reatus pœnæ temporalis. Probatur minor, quia non omnis conuerſio ad creaturas, neceſſariò connectitur cum auerſione à Deo, quamuis ſit actus in ſua ratione deordinatus.

tus. Ergo poſſunt ſeparari, adeòque il
ablato, poteſt hic remanere.

Neque obſtat, quòd culpa ſit cauſa re
tus pœnæ. Sicut enim in culpa cognoſ
mus duplicem deordinationem, ita &
pęna duplicem reatum, alterum videlic
pœnæ æternæ, qui eſt effectus deordin
tionis, quæ eſt in auerſione à Deo, & ali
pęnæ temporalis, qui eſt effectus deord
nationis, quæ reperitur in conuerſione
creaturas. Atque adeo cùm non ſit nec
ſarium, ut ablata prima deordination
auferatur ſecunda, neque eſt neceſſe qu
ablato primo reatu, tollatur ſecundu
aliter corruerent articuli noſtræ fidei d
purgatorio, ſuffragijs, & indulgentijs

3. Concl. *Aliquando per pœnitentiam
remittitur etiam totus reatus pœnæ temp
ralis*. Eſt eiuſd. ibid. ad 3. cum commu

Probatur, hoc ſacramentum non
mittit culpam, & pœnam niſi per gratia
ex virtute meritorum Chriſti Domin
Gratia verò alia eſt operans, & extendi
ad illa, ad quæ homo ſuis proprijs viril
nihil poteſt, & ideo ſe habet ad illa m
paſſiuè, cuiuſmodi ſunt remiſſio culpæ
reatus pœnæ æternæ, quæ dicitur eſſe e
ctus ſacramenti ex opere operato, hoc
ex meritis Chriſti, nobis à Deo per g
tiam miſericorditer applicatis. Alia g
tia dicitur cooperans, quia operatur ſi
cum libero arbitrio, & hæc extenditur

ea -

ea, quę aliquo modo poteſt ſuis proprijs viribus à Deo confortatis ipſe homo, cujuſmodi eſt remiſſio reatus pœnæ temporalis, quatenùs videlicèt homo, cum auxilio diuinæ gratiæ, poteſt contra ſuam inclinationem, in Dei obſequium, tantumdem ſponte pati, quantum ſibi nimis indulſit, & plus quàm debuit, quoaduſque reponatur quaſi æqualitas, & ſatisfiat Deo. Hoc poſito, quia gratia cooperans non operatur, niſi iuxta modum actuum ipſius pœnitentis, ideo poteſt contingere, quòd hi actus ſint adeo prrfecti, ut intenſiuè ſtatim ſatisfaciant, ſicut ſatisfacerent extenſiuè per multiplicationem eorumdē. Sed poſita ſatisfactione, tollitur reatus ad pęnam temporalem. Ergo poteſt tolli totus reatus pęnæ temporalis per hoc ſacramentum, non ſolùm ex opere operato, ſed etiam ex opere operantis.

Neque obſtat, quòd actus pęnitentis ſint materia ſacramenti. Nam quamuis forma ſit principale collatiVum gratiæ in ſacramentis, adhùc tamen ipſa materia eſt collatiua gratiæ, ut eſt pars ſacramenti, & ideo aqua, & criſma cauſant gratiam in baptiſmo, & confirmatione.

Multò minùs obſtat, quòd pęnitentia ut eſt virtus, cauſet remiſſionem culpæ, ut docet D. Tho. ibid. ar. 6. Nam etiam ut ſacramentum, & principaliùs (ut idem loquitur) eſt eius cauſa; adeòque poſſunt

etiam eius partes, ſingulæ iuxta ſuum modum, concurrere ad talem effectum, & ad alium cum illo concomitantẽ, ſeu conſequentem, nempe deletionis reatus totius pęnæ, etiam temporalis. Quia tamen hi actus non ſunt ſemper adeo perfecti, ideo non ſemper producunt hunc effectum, ſed ſiſtunt in hoc, quòd virtute clauium, commutant pęnam æternam peccato læthali debitam, cum temporali.

ARTICVLVS III.

Soluuntur obiecta hæreticorum.

AD 1. Nego maiorem, cuius falſitas patet in phyſicis, & moralibus. Siquidem mortuo patre, remanent filij, extincto igne, remanet calor &c. Et in moralibus, licèt Adæ (qui fuit cauſa peccati originalis, quod illi fuit actuale propriũ) fuerit remiſſum peccatum inobedientiæ, adhùc in poſteris perſeuerat, quoad culpam, & pœnam; & merita patris, quæ fuerunt cauſa acquiſitionis feudorum, illo mortuo, vivunt in filijs. Quod idem dico de delictis merentibus ſpoliationem eorumdem, quæ licèt punita in reis, durant in filijs &c. Et ratio eſt, quia cauſa effectus conſeruatiua, non ſemper eſt eadem cum effectiua. Ergo pereunte hac, poteſt illa remanere.

Ad

Ad 2. Nego cauſalem antecedentis. Neque enim baptiſmus, & martyrium habent vim remittendi totam pęnam, quia tollunt totam culpam, ſed quia Deo placuit, ita illos inſtituere per Chriſtum Dominum, ut ex illis homines renaſcerentur ad nouam vitam, quod noluit concedere ſacramento pęnitentiæ. Et videtur non deeſſe aliqua congruens diſparitas. Siquidem pęnitentia fuit inſtituta per modum iudicij, in quo reus ſponte ſe ſubijciens vicem gerenti Chriſti, ſe accuſat, ut iudicetur de delictis, quæ proprio ore illi confitetur, & ſe ſubijcit taxandæ pęnalitati, ab illo ſibi imponendæ, ut per illam delictis aliquo modo ſatisfaciat. Quia tamen non poſſunt pœnæ temporales, de condigno ſatisfacere prò pęna peccatis debita, quæ eſt æterna, ideo Chriſtus dedit poteſtatem ſuo Vicario, ut illam permutet in temporalem. Ergo eſt de ratione talis ſacramenti, ut abſoluat à reatu culpę, cum retentione reatus ad pęnam temporalem, niſi aliquando propter feruorem pęnitentis, cenſuerit Deus cum illo diſpenſandum; aliter ſatisfactio non eſſet pars intrinſeca ſacramenti. Baptiſmus autem, & martyrium, eò quia ille conferatur per modum regenerationis, & hoc acceptetur per modum oblationis propriæ vitæ, in fidei defenſionem, cùm non ſint per modum iudicij, non dicunt neceſſariò, ut par-

tem

tem intrinſecam, ſuſcipientis pęnalitatem, unde compenſetur diuina offenſa, cùm poſſint etiam conferri innocentibus; & ideo ſi per accidens inueniant aliquod crimen in ſubiecto, non relinquunt in illo reatum ad ullam pęnam, ſed omninò iuſtificant, tollendo utrumque reatum culpæ, & pęnæ.

Ad 3. Nego maiorem. Siquidem tàm in phyſicis, quàm in moralibus, videmus aliquando, homines liberari ab ingentibus malis faciliùs, quàm à minimis; & ideo faciliùs vitantur peccata grauiſſima, quàm leuiſſima, & morbi læthales, quàm leuiores. Et ratio à priori eſt, quia quod magis accedit ad ſummam miſeriam, eſt magis violentum naturæ, & ideo debet habere remedia magis parata. Illa verò mala, quæ ſolum impediunt, vel retardant perfectam felicitatem, non debent ita facilè expelli poſſe, quia cùm perfecta felicitas ſit ingens bonum, debet eſſe difficilè comparabile. Quia ergo reatus pęnæ ęternæ infert ſummum malum, quod non affert reatus pęnæ temporalis, ideo ille faciliùs tollitur.

Ad 4. Nego conſequentiam. Quamuis enim ſatisfactio Chriſti, quoad ſufficientiam ſit infinita, & ſit veluti pharmacum quoddam uniuerſale, quod valeat prò omnibus malis animarum, tamen illa non curat, niſi applicetur. Quia ergo appli-

catur

tatur per ſacramentum, & non omnibus eodem modo, cùm non omnes æqualiter conterantur, ideo non tollit ab omnibus omnem reatum pęnæ, ſed ſolùm ab illis, qui perfectè conteruntur. Ab alijs autem non tollit hunc reatũ, niſi ad menſuram ſatisfactionis, quam exhibent, iuxta taxationem pęnæ ſibi impoſitæ à Vicario Chriſti, quando abſoluens à culpis, commutauit pęnitenti æternam pęnam in temporalem. In quo apparet ſumma benignitas Dei, qui optimè ſciens, nos nihil poſſe prò remiſſione culpæ, & pęnæ æternæ, utramque ipſe per ſacramentum remittit; & quia nobis dedit ſufficientiam, ut aliquid cum eius adiutorio, poſſimus facere, in ſatisfactionem diuinæ iuſtitiæ, ideo voluit, ut permutaretur nobis pęna æterna in temporalem, adeo ut quantum ſatisfaciendo ſubtrahimus de temporali, tantundem ſubtrahatur de æterna, in illam commutatæ, quoaduſque tota luatur. Et quia in hac vita, ſiue per incuriam, ſiue per impotentiam, aliquando pęnæ taxatæ non plenè ſatisfacimus, ideo miſericorditer indulſit, ut quidquid luendum ſupereſt, luatur in purgatorio.

Ad primam auctoritatem dico, reatum pęnæ temporalis, cùm faciat homines ſolertiores in via ſalutis, & cautiores ad vitanda peccata, non ſolùm non eſſe damnationem, de qua loquitur Apoſtolus, ſed ali-

aliquando magnum Dei beneficium. Ergò iure dicitur cum illo, quòd nihil damnationis relinquatur prò iuſtificatis. Ad 2. & 3. Dico, quòd Deus promiſit per Ezechielem, ſe non recordaturum iniquitatum iuſti, in ordine ad pęnas æternas illis debitas, & quòd illi non nocebunt, iuxta condignum. Hoc autem non tollit, quò minùs poſſit adhùc aliquod ab illo exigere, ut prò illis iuſtitiæ ſatisfiat, præſertim cùm hoc ipſum iuvet iuſtum, quia per has actiones ſatisfactorias, etiã meretur augmentum gratiæ, & gloriæ; unde ſatisfacit, non purè patiendo, ſed lucrando.

ARTICVLVS IV.

An ſit neceſſaria pœnitentia ad delenda venialia?

Videtur non eſſe neceſſaria, Primò quia tranſacto actu peccati venialis, nihil remanet, niſi reatus pænæ finitæ, illi proportionatæ, ut docent communiter Nominales, ſecuti Maiorem, & Gabrielem. Sed reatus pęnæ finitę tolli poteſt, per ſolam tolerantiam talis pęnę, etiam naturalem. Ergo non requiritur pęnitentia.

2. Peccatum veniale eſt voluntaria deflexio a medio, & à rectitudine rationis. Ergo poteſt auferri per oppoſitam rectitudinem, nempe per naturalem actum illi con,

contrarium, ut docet Durandus in 4. d. 16. q. 2 & d. 20. q. 1.

3. Venialia tolluntur etiam in inferno, manentibus mortalibus, per ſatispaſſionem illis debitam; aliter punirentur pęna æterna, quod eſt abſurdum, eò quia venialibus correſponderet eadem pęna, ac mortalibus. Sed in inferno nulla eſt poſſibilis pęnitentia, propter obſtinationem in malo, quam habent damnati. Ergo poſſunt remitti, ſine pęnitentia.

4. Si eſſet neceſſaria pęnitentia, maximè ad recuperandam diuinam gratiam, ſine qua venialia deleri non poſſent. Sed hoc eſt falſum, primò quia venialia non expellunt gratiam. Et deinde quia ſine illa remitti poſſunt, aliter non remitterentur in inferno. Ergo non eſt neceſſaria pęnitentia, ad illorum remiſſionem.

5. Venialia remittuntur per ſacramentalia, & per quodlibet aliud opus moraliter bonum. Sed ad hæc non requiritur pęnitentia. Ergo neque ad eorum remiſſionem.

1. Concl. *Ad remiſſionem venialium, requiritur aliquis actus pœnitentiæ, ſiue formalis, ſiue virtualis.* Ita D. Tho. 3. p. q. 87. ar. 1. quem ſequuntur Suar. Gonet, & alij.

Quòd pœnitentia formalis, quatenus dicit vel actum contritionis, vel attritionem cum ſacramento, ſufficiat ad tollendum

dum quodlibet peccatum veniale, probatur ex dictis ar. 1. Cùm enim ſufficiat ad tollenda omnia mortalia, multò magis ſufficiet, ad tollenda omnia venialia, ſi tamen ſit uniuerſalis de omnibus illis, ſicut diximus de mortalibus. Quòd autem ut talis non requiratur, patet ex D. Tho. loc. cit. dicente, *Exigitur ad remiſſionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut ſcilicèt homo actualiter peccatum commiſſum deteſtetur, quantum in ipſo eſt*, &c. quod indicat pœnitentiam formalem. Et deinde pergit, *Sed hoc non requiritur ad remiſſionem venialium peccatorum* &c. *Vnde ſequitur, quòd requiratur virtualis quædam diſplicentia*, nempe pœnitentia virtualis, quam ab illa diſtinguit per hoc, quòd formalis pœnitentia diligentiam adhibeat, ad memoranda ſingula, ut ſingula deteſtetur; virtualis verò habeatur per ſolum affectum in Deum, quo homo ita diſponatur, ut licèt actu non cogitet de venialibus, ſi tamen menti occurrerent, diſplicerent. Quòd autem hæc pœnitentia, ut ſufficiens requiratur ad venialium remiſſionem.

Probatur 1. Nomine penitentiæ virtualis, non ſolum intelligitur actus charitatis, quo quis ita fertur in Deum, vt illi diſpliceat quidquid Deo diſplicet, propter diſplicentiam diuinæ offenſæ, vt talis eſt (vt diximus de actu contritionis diſp.

7. ar.

7. ar. 1.) ſed etiam quilibet alius motus voluntatis, quo ita fertur in res diuinas, vt illam excitaret ad odium, & deteſtationem quælibet recordatio cuiuslibet vel minimæ culpæ, qua Deum offendit. Sed huiuſmodi pænitentia virtualiter deteſtatur omne peccatum veniale, ſub ratione communi diuinæ offenſionis. Ergo ſufficienter diſponit ad remiſſionem cuiuſcumque venialis. Ex alia parte non poteſt remitti culpa, cum actuali retentione affectus ad illam; aliter poſſet remitti, cum actu patratur, vel habetur animus deliberatus illam patrandi, quod eſt impoſſibile. Ergo etiam ad venialium remiſſionem, requiritur hæc pænitentia.

Verum quidem eſt, quòd cùm venialia non tollant gratiam, nec ſint materia neceſſaria pænitentiæ, poſſunt ſeparari quoad eorum remiſſionem. Et ideo ſi virtualis hæc pænitentia non extendatur ad omnia, ita vt voluntati de omnibus non displiceret, ſi recordaretur, ſed ſolùm de aliquibus, non ſemper diſponit ad omniũ remiſſionem, ſed ſolum illorum, quorum recordatio pareret diſplicentiam, propter traditam rationem, quod non poſſit remitti peccatum, quod adhuc placet.

2. Venialia poſſunt remitti, non ſolùm ex opere operato per Sacramẽta Baptiſmi, Chriſmatis, Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis, ſed etiam per ſacramenta-

lia, & alia pia opera, in quibus non interuenit formalis pænitentia, ſed ſolum virtualis. Ergo hæc ſola ſufficit, vt melius patebit ſolutione obiectionum.

Ad 1. Nego maiorem. Siquidem qui peccauit venialiter, quamuis nullum habeat peccatum mortale, dicitur habitualiter peccator, quoadusque illud retractet, vt probat Suar. diſp. 11. ſect. 1. n. 4. Non poſſet autem eſſe, & verè dici peccator per ſolum reatum pænæ remanentem; aliter omnes iuſtificati per pænitentiam, quibus remanet luenda aliqua pæna temporalis, eſſent habitualiter peccatores, quod eſt erroneum. Ergo remanet, maculatus per verum culpæ reatum, ut docet D. Tho. hic q. 87. ar. 2. ad 3. & q. 7. de malo ar. 11. Hæc autem macula non fit per priuationem gratiæ, ſicut eſt macula peccati mortalis, ſed per inordinatam inclinationem ad aliquid temporale (vt loquitur D. Tho.) ad cuius ablationem requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam remoueatur hæc adhæſio, ſeu inclinatio inordinata. Quod autem poſſit eſſe in anima hæc macula, etiam ſine priuatione gratiæ, probatur, quia in pura natura peccatum macularet, licèt non tolleret gratiam, quæ in peccatore non fuiſſet. Et præterea quia ſi Deus abſolutè ordinaſſet hominem ad finem ſupernaturalem, & non infudiſſet illi gratiam ha-

bitua-

ritualem, ſi tunc homo peccaſſet, & remanſiſſet in tali ſtatu, utique fuiſſet maculatus, licèt nulla fuiſſet priuatio gratiæ. Ergo illud quod maculat, non eſt priuatio gratiæ, ſed culpa, quæ remanet non retractata. Sed hæc non poteſt tolli per ſatispaſſionem pænæ debitæ. Ergo requiritur pænitentia, per quam actus, ſaltem virtualiter, retractetur.

Ad 2. Nego conſequentiam, Primò quia ad remiſſionem cuiuſcumque culpæ, etiam venialis, requiritur diuina gratia, vt probat Suar. diſp. 11. ſect. 1. n. 7. & ſect. 2. n. 4. cum D. Tho. Alenſi, Palud. Richardo, & Abulenſi. Et probatur 1. Quia ideò ex ſola ceſſatione non tollitur, quia ad eius ablationem requiritur diſpoſitio, quæ ſine gratia non poteſt eſſe ſufficiens. Deinde quia veniale deordinat à fine ſupernaturali. Ergo diſpoſitio ſufficiens ad eius remiſſionem, debet eſſe ſupernaturalis, quæ ſine gratia ſanctificante, ſiue antecedenti, ſiue concomitanti, haberi non poteſt, vt idem docet ibib. ex 1. ad Cor. 3. *Si charitatem non habuero, nil mihi prodeſt.* Aliter omnes infideles, & actuales peccatores, poſſent per actus naturales moraliter bonos delere omnia peccata venialia, quod eſt abſurdum. Ergo non poſſunt tolli per actus illis oppoſitos naturales,

ARTICVLVS V.

Soluuntur alia argumenta, vbi oſtenditur, quomodo venialia tollantur, vel puniantur in alia vita.

AD 3. Nego maiorem. Ad cuius probationem dico, quod venialia punientur in inferno pæna æterna, non quia hæc illis proportionetur, neque quia fiant grauiora per coniunctionem cum mortalibus, ſed quia cùm ibi deleri non poſſint, ſemper retinent reatum pænæ temporalis, quæ per accidens extenditur ad totam æternitatem, quatenus manente cauſa pænæ, ſemper iuſtitia exigit, vt illi pæna rependatur. Cùm ergo hæc cauſa ſemper maneat, quia cùm damnati non habeant pænitentiam, illam non poſſunt extinguere, ſemper exigit talem pænam, adeòque durat in æternum cum tali peccato. Hoc non valet de Purgatorio, quia cùm in illo detenti ſint Deo grati, nec ſint obſtinati in malo, poſſunt de venialibus pænitere, & ab illis abſolui, quibus ceſſantibus, ceſſat illorum pæna. Quòd autem venialia poſſint remitti etiam in purgatorio, patet 1. Ex communi theologorum conſenſu, vt probat Suar. diſp. 11. ſect. 4. Deinde quia poteſt hoc probabiliter deduci, ex illo loco Matth. 12. *Non remittetur, ne-*

neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſuper quem S.Greg. lib. 4. dialog. c.39. docet, *non mortalia, ſed venialia remittuntur in purgatorio.* Hoc autem non poteſt intelligi de remiſſione quoad pænam, aliter non potuiſſet excludere mortalia. Ergo debet intelligi quoad culpam. Demum quia ex vna parte, nemo poteſt cælum ingredi cum peccato, quod non admittit coinquinata, & ex alia nemo à cælo excluditur propter ſola venialia. Ergo vel Deus non debet permittere, quòd aliquis moriatur cum ſolo veniali, vel ſi hoc permittat, vt videtur eſſe magis rationi conſentaneum, debet illud remittere in alia vita.

Dices, ſtatus viæ terminatur morte. Ergo mortui ſunt in termino, adeòque nec poſſunt mereri, nec ſatisfacere.

Nego antecedens cum D. Tho. in 4. d. 21. ar. 3. ad 4. dicente, *Poſt hanc vitam non poteſt eſſe meritum, reſpectu præmij eſſentialis, ſed reſpectu alicuius accidentalis poteſt eſſe, quamdiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo; & ideo in purgatorio poteſt eſſe actus meritorius, quantum ad remiſſionem culpæ venialis.* Ergo ſupponit, purgatorium eſſe aliquo modo ſtatū viæ, quatenus ibi detenti, ad tempus detinentur, ut ex illo [illegible] medio, ferantur deinde ad ultimum terminum æternæ beatitudinis. Et hæc eſt ratio, cur plures graues auctores, quos refert, & ſequitur Suar.

dicta diſp. 11. ſect. 4. n. 10. dicant, peccata venialia remitti in primo inſtanti extrinſeco, ſeparationis animæ à corpore, ut videlicèt in talium peccatorum remiſſione, appareat aliquo modo continuatio ſtatus viæ.

Ad 4. Nego minorem, ad cuius primã probationem dico, quòd ſi veniale ſit coniunctum cum mortali, quamuis de ſe non expellat gratiam ſanctificantem, tamen illam expellit ratione coniuncti, cum illa incompoſſibilis; adeòque ad eius remiſſionem requiri recuperationẽ amiſſæ gratiæ, per quam remittatur ſimul cum lethali. Quòd ſi non habeat talem coniunctionem, ut accidit in iuſtis, dico, veniale quaſi effectiuè expelli à gratia, quam ſupponit in ſubiecto, quatenus illud diſponit ad actus contritionis, & charitatis, per quos augeatur illa gratia, à qua formaliter expellatur. Et hoc modo expellitur in Purgatorio, quatenus anima decedens cum ſolo veniali, in primo inſtanti ſeparationis à corpore, cùm clarè cognoſcat ſuum ſtatum, & ſit expeditior ad operandum, & habeat à Deo auxilium efficaciſſimum, proportionatum gratiæ, in qua deceſſit, elicit actus feruentiſſimos charitatis, & perfectiſſimæ contritionis omnium venialium, cum quibus deceſſit, per quos diſponitur, ad eorum remiſſionem quoad culpam, cum retentione reatus pęnæ luen-

dæ

dæ in purgatorio, iuxta probabilem opinionem, quòd clementiſſimus Deus det omnibus decedentibus cum ſolis venialibus hoc inſtans, ut in purgatorio non ſatisfiat, niſi culpis remiſſis. Tamen eſt etiam probabile, quòd in tali inſtanti incipiat purgatorium, in quo fiat remiſſio. Ad aliam probationem nego ſuppoſitum, quòd venialia remittantur in inferno, ut dictum eſt in reſponſione tertij. Et ratio affertur à D. Tho. q. 7. de malo ar. 11. in corp. ſub fin. *Venialia remittuntur poſt hanc vitam quantum ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita, ſcilicèt per actum charitatis in Deum*, quod clariùs confirmat reſpondens ad 9. Cùm ergo in inferno non poſſit eſſe actus charitatis, qui eſt pęnitentia virtualis, nec poteſt eſſe remiſſio venialium.

Ad 5. Nego minorem, ſi procedat de penitentia virtuali. Et ratio eſt, quia ſiue remittantur venialia ex opere operato per ſacramenta, ſiue per ſacramentalia, quæ ſunt oratio dominica, aqua, vel patris benedictus, confeſſio generalis, eleemoſina, benedictio Epiſcopi, vel Abbatis, expreſſa illo verſu, *Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens*, vel per alia quæcumque aſſignabilia, ex opere operantis, ſemper requiritur pęnitentia, ſaltem virtualis. Et ratio eſt, quia cùm remiſſio peccati ſit effectus gratiæ, neque ſacramenta, ne-

que alia poſſunt conducere ad hunc effe-ctum, niſi per gratiam, per quam fiant ab homine Deo grato, adeòque mereantur diuinam acceptationem. Hoc autem admittitur ab omnibus theologis, docentibus, neque baptiſmum, neque ullum aliud ſacramentum, in fictè ſuſcipientibus præſtare ſuos effectus, niſi recedat fictio, per cuius receſſum habeatur gratia, per quam tollantur peccata. Quia tamen hoc ſupponit, poſſe in ſacramentis, ſaltem aliquibus, haberi eorum valorem, etiamſi non conferant gratiam, ut conceditur in baptiſmo, confirmatione, extrema unctione, Ordine, & matrimonio, ideo plures hoc etiam afferunt de ſacramento pœnitentiæ, quod examinabitur ar. 7.

ARTICVLVS VI.

An poſſit per ſacramentum remitti unum peccatum, ſine alijs?

VIdetur poſſe, ut propugnant Toletus in ſum. lib. 3. c. 8. n. 3. Io. de lacrux p. 2. de pœn. q. 3. dub. 3. Granado, Mendozza, Lugo, D. Antoninus, Sotus, Nauarrus, Paludan., Henric. &c. dicentes, habentes reſeruata, poſſe abſolui à non reſeruatis, à non habente ad illa facultatem, ſicut etiam aiunt, eumdem poſſe abſolui à ſolis reſeruatis ab habente fa-

cul-

cultatem, & remitti quoad alia ad inferiorem. Eorum unicum fundamentum eſt praxis, & conſuetudo, quæ ſi eſſent prauę, ab Eccleſia non tolerarentur.

1. Concl. *Non poteſt unum peccatum mortale remitti per ſacramentum penitentiæ, ſine alijs.* Eſt communis.

Probatur, quia alia peccata, vel non remittuntur, ex defectu diſpoſitionis in pænitente, eò quia retineat affectum ad illa, vel ex defectu confeſſionis, eò quia illa non confiteatur, vel ex defectu intentionis, ſeu iuriſdictionis in miniſtro? Sed ex quolibet ex his proueniat, ſemper ſacramentum eſt nullum. Ergo fieri non poteſt, vt his non remiſſis, alia remittantur. Probo minorem, & primò quoad primam partem, ex dictis diſp. 7. ar. 7. in quo probauimus, contritionem pænitentis, debere extendi ad omnia peccata. Ergo quia in tali caſu non extenderetur, non poſſet validè abſolui. Probo quoad ſecundam, ex dictis diſp. 14. ar. 2. ubi probauimus, eſſe neceſſariam integritatem formalem confeſſionis, quæ non daretur in tali caſu, in quo hæc peccata culpabiliter omitterentur. Probo tertiam ex dictis diſp. 12. art. 10. in quo probauimus, eſſe neceſſariam intentionem in miniſtro, ad hoc ut validè abſoluat. Sed in tali caſu non haberet. Ergo non validè abſolueret. Probo quartam, quia ad valorem abſolu-

Digitized by Google

tionis, requiritur iuriſdictio in miniſtro, quam non haberet in tali caſu. Ergo non validè abſolueret, adeòque à nullo abſolueret. Quamuis enim haberet iuriſdictionem ad alia peccata, quia tamen non poſſet talem pœnitentem cum Deo reconciliare, aliter poſſet illum facere amicum Dei, cũ retentione eius inimicitiæ, quod repugnat, nullum eius peccatum poſſet abſoluere.

Dices 1. Non habens poteſtatem ad reſeruata, poteſt directè abſoluere à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis, ſicut abſoluit directè à confeſſis, & indirectè ab oblitis, imponendo tamen onus pęnitenti, ſe præſentandi ſuperiori. Ergo ab omnibus poteſt validè abſoluere.

Nego antecedens, quia vel loquimur de abſolutione à cenſura, vel à culpa? Primum non poteſt admitti, quia cùm talis abſolutio ſit actus iudicialis, non poteſt fieri à non habente poteſtatem. Neque poteſt dici ſecundum, quia omnis abſolutio, ſiue directa, ſiue indirecta, eſt actus iudicialis, quo reus abſoluitur à delicto, illi commutando pęnam æternam in temporalem. Ergo debet fieri à iudice competenti, habente facultatem iudicandi. Sed qui non habet iuriſdictionem in reſeruata, non eſt iudex competens, reſpectu illorum. Ergo nullo modo poteſt ab illis abſoluere. Sicut enim qui habet fa-

cul-

cultatem limitatam à Principe, iudicandi ſuper ciuilibus, non poteſt validè iudicare in criminalibus, & vice verſa, ex defectu poteſtatis, ita & in caſu noſtro. Ad paritatem de oblitis, dico, vel hæc oblita eſſe reſeruata, vel non? Si primum, admitto, quod ſi obliuio ſit inculpabilis, abſoluantur non reſeruata directè, & indirectè reſeruata. Et ratio eſt, quia cùm nemo teneatur confiteri, niſi ea, quorum poſt diligens examen, ſubierit recordatio, integrè confitetur, adeòque validè abſoluitur. Sed non poteſt validè abſolui, niſi reconcilietur, & fiat amicus Dei, ideo debet abſolui ab omni peccato, etiam reſeruato oblito, cum onere tamen illud confitendi ſuperiori, cùm ſubierit recordatio, ſupplente Eccleſia defectum iuriſdictionis in tali caſu inculpabili, quod non valet in caſu culpabili. Si verò oblita non ſint reſeruata, ad nihil pœnitens tenetur aliud, niſi ad illa confitenda, cum recordatur.

Ex dictis ſequitur 1. Non habentem poteſtatem ad reſeruata, non poſſe abſoluere à non reſeruatis, remittendo, quoad reſeruata, pœnitentem ad habentem facultatem, ut docent Valentia, Hurtadus, Ioſeph Auguſtinus, & alij. Primò quia ita ſe habent reſeruata, ad non reſeruata, ſicut mortalia ad venialia. Sed habens ſolam facultatem ad venialia, ut eſt ſim-

plex ſacerdos ab Epiſcopo non approbatus, non poteſt abſoluere à mortalibus, ſiue directè, ſiue indirectè, ex defectu iuriſdictionis. Ergo neque habens auctoritatem ad ſola non reſeruata, poteſt abſoluere à reſeruatis. 2. Si hoc liceret, nulla eſſet reſeruatio, nam quilibet ſacerdos approbatus poſſet ab omnibus abſoluere, etiam Papæ reſeruatis, cum onere ſe præſentandi, & ſic indiſcriminatim omnes abſoluere, quod vergeret in perniciem animarum. Siquidem poſt acceptam validam abſolutionem, negligerent pœnitentes ſe præſentare, vel licèt ſe præſentarent, non peterent veniam, eò quia Superiores non poſſent vel negare, vel differre abſolutionem, quam iam habuiſſent, adeòque illuderetur reſeruatio. Demum quia reſeruatio eſt exceptio, ſeu limitatio iuriſdictionis. Sicut ergo qui non habet iuriſdictionem, non poteſt validè abſoluere, ita qui non habet ad aliquod peccatum, non poteſt illud abſoluere, quia in ordine ad illud perinde ſe habet, ac ſi nullam haberet iuriſdictionem. Cùm ergo paſtor non poſſit iudicare, niſi de ſuis ouibus, & in ordine ad reſeruata, pœnitens non ſit ouis talis confeſſarij, non poteſt ab illo abſolui.

2. Sequitur, neque Superiorem poſſe abſoluere ſacramentaliter à ſolis reſeruatis, alijs vel non auditis, vel prætermiſſis, ut

ut docent Lugo diſp. 20. ſect. 6. Vaſq. q. 91. ar. 3. dub. 10. Adrianus, Sylueſter, Victoria, Cano, & Viguerius. Probatur ex dictis, aliter pęnitens ſimul fieret amicus Dei, propter gratiam reconciliationis quoad hæc peccata, & remaneret inimicus, propter alia non abſoluta. Ergo ſi moreretur in tali ſtatu, eſſet ſimul dignus beatitudine, & pęna æterna, quod eſt abſurdum. Quando ergo Superior non vult audire totam confeſſionem, debet extrajudicialiter tollere reſeruationem, dando facultatem, ut abſoluatur ab inferiori. Quòd ſi aliquis aliter faciens, opponat, praxim aliquorum, debet hæc exponi de abſolutione à cenſuris, vel omninò reijci ut abuſus. Neque obſtat, quòd in caſu neceſſitatis, poſſit dimidiari confeſſio, ut docuimus diſp. 14. ar. 2. Siquidem in tali caſu retinetur formalis integritas, cùm pęnitens ſupponatur paratus, etiam ad integritatem materialem, quam præſtaret, ſi poſſet; & idem dico de ſacerdote, qui per ſolam phyſicam impotentiam non audiret totam confeſſionem, quod non euenit in caſu allato, in quo ſacerdos, licèt poſſit, non vult audire totam confeſſionem pęnitentis, nec tollere reſeruationem, cùm poſſit. Dixi *cùm poſſit*, quia delegatus ad reſeruata, non poteſt de illis iudicare, niſi in ſacramento. At reſeruans, ſicut potuit reſeruare extra ſacramen-

men-

mentum, ita poteſt reſeruationem tollere, vel poſitiuè, dando facultatem inferiori, vel negatiuè, abrogando legem reſeruantem, vel ab illa diſpenſando.

2. Concl. *Habens excommunicationem, non poteſt abſolui ab alijs peccatis, niſi abſoluatur ab illo, cui eſt adnexa excommunicatio, ab habente poteſtatem.* Eſt communis.

Probatur, quia excommunicatus priuatur communione paſſiua ſacramentorum. Ergo non poteſt abſolui, niſi ab illo, à quo poteſt ad Eccleſiam reuocari, eiuſque corpori rurſus compaginari. Et ideo ad quamlibet abſolutionem ſacramentalem, præmittitur abſolutio ab omni vinculo excommunicationis, & interdicti, non quia omnes poſſint abſoluere ab omni excommunicatione, ſed quia cum non omnes excommunicationes ſint reſeruatæ, quilibet abſoluit ut poteſt.

Vnde patet reſponſio ad fundamentum oppoſitæ opinionis, quæ cùm fundetur in abuſu, non poteſt ſuſtineri.

ARTICVLVS VII.

An poſſit hoc ſacramentum eſſe validum, & informe?

VIdetur poſſe, ut apertè concedit D. Tho. in ſupplem. 3. p. q. 9. ar. 1. & in

in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. cui turmatim adhærent auctores, nempe Durandus, Suarius, Bonaccina, Gonettus, Io. à S. Tho. Ledeſma, Nugno, Henriq. Figliuccius, Caietanus, Sotus, Paludanus, Sylueſter, Nauarrus, Ricchard. Cano &c. Eorum fundamenta ſunt.

1. Eſt omninò neceſſaria pœnitentia de quocumque peccato, ut illud remittatur, adeòque nullum peccatum læthale remittitur, ſine hoc ſacramento, vel in re, vel in voto. Sed poteſt dari caſus, in quo aliquis habeat pœnitentiam de aliquibus peccatis, ſufficientem ad abſolutionem eorum, & non de alijs, quorum inculpabiliter non recordatur. Ergo poteſt fieri hoc ſacramentum validum, ſed informe. Siquidem in tali caſu nihil deerit ad ſubſtantiam, adeòque ad valorem ſacramenti, & tamen non conferet gratiam, eò quia cùm hæc non poſſit cadere ſupra peccata oblita, de quibus pęnitens non dolet, neque cadit ſupra alia, propter obijcem talium peccatorum, cùm non poſſit remitti unum peccatum ſine alijs, ut dictum eſt ar. 6. Et hoc eſt fundamentum Suarij diſp. 20. ſect. 5. n. 7. Quòd autem hoc ſacramentum eſſet validum, probatur, nam confeſſio licèt non eſſet materialiter, tamen eſſet formaliter integra. Ergo ex parte confeſſionis nihil deeſſet. Item ad ſufficientiam attritionis, ſatis eſt, quòd extendatur

datur ad omnia peccata confeſſa, quæ ſunt in memoria. Hæc autem quia procederet ex motiuo particularis turpitudinis taliũ peccatorum, non extenderetur ad oblita, quæ eſſent diuerſæ rationis. Ergo de illis non daretur attritio, etiam virtualis, adeòque ex una parte eſſet validum ſacramentum, & ex alia non conferret gratiam, ut contendit Gonettus, hoc ductus argumento, ut ſentiat cum Suario.

2. Non ſolùm ſacramenta, quæ imprimunt caracterem, ut baptiſmus, confirmatio, & ordo, ſed etiam extrema vnctio, & matrimonium, quæ non imprimunt caracterem, poſſunt eſſe valida, & informia, ut omnes fatentur. Ergo etiam ſacramentum pęnitentiæ.

3. Nemo poteſt ſcire, ſe habuiſſe contritionem perfectam, adeòque ſe bene, confeſſum eſſe. Cùm ergo ex alia parte, certò ſciat, ſe obligari ad confeſſionem, vix una abſoluta confeſſione, teneretur ad aliam. Sin autem dicatur oppoſitum, hoc non eſſet, quia licèt quis neſciret, ſe habuiſſe veram contritionem, tamen poſſet certò ſcire, fuiſſe validam abſolutionem, ex eo quòd illi veram præbuerit materiam per veram confeſſionem, & per contritionem ſufficientem. Ergo ad hoc ut Chriſtiani eximantur ab onere, ſe perpetuò confitendi, dicendum eſt, eſse veram ſententiam aſſerentem, poſse fieri validam,

&

& informem confeſſionem.

4. Poteſt aliquis fictè confiteri omnia peccata ſua ſacerdoti, ſe ſubijciendo clauibus eccleſiæ. Sed hic non poteſt percipere fructum abſolutionis, nempe gratiam, nec tamen tenetur iterum confiteri hæc peccata, cùm illi ſufficiat confiteri ſolam fictionem. Ergo confeſſio eſſet valida, ſed informis.

5. Si aliquis ſufficienter dolens de peccatis, veram faciat confeſſionem, ſi tamen antequam abſoluatur, committat novum peccatum mortale, validè abſoluitur à confeſſis, quia veram præbuit materiam, non tamen iuſtificatur, quia eſt in peccato mortali. Ergo validam facit confeſſionem, ſed informem.

Prò reſolutione, aduertendum eſt, quæſtionem non procedere de informitate, prouueniente ex defectu formæ, nempe abſolutionis. (Quomodo enim poteſt eſſe validum, ſi careat forma, quæ eſt eius præcipua pars conſtitutiua?) ſed de illa, quæ prouenit ex defectu gratiæ, & remiſſionis peccatorum. Cùm enim ultima forma talis ſacramenti, veluti extrinſeca ſit gratia remiſſiua peccatorum, & ſanctificans animam, dicitur per illam formari ſacramentum, quatenus cùm ſit eius cauſa, & ſignũ practicum, illa obtenta, aſſequitur ſuum effectum; illa verò non poſita, dicitur informe, quatenus non aſſequitur quod in-

ten-

tendit, per quod ultimò formatur, in eſſe ſignum, & cauſam gratiæ. Quia tamen hæc non collatio gratiæ, non poteſt prouenire, niſi ex indiſpoſitione ſuſcipientis, ideo quæritur, an poſſit aliquis, non quidem ex defectu contritionis quoad ſubſtantiam, ſed ex defectu eius ſufficientiæ, ſeu extenſionis ad aliquod peccatum, validè abſolui ab alijs, & non ab illo, ita ut gratia actu non conferatur, ſed remaneat quaſi ſuſpenſa, quoaduſque fictio remoueatur, ut communiter conceditur de baptiſmo, & alijs?

Concluſio, *Ex nullo capite poteſt ſacramentum pœnitentiæ fieri validum, & informe*. Ita Vaſq. q. 92. ar. 2. & 3. Conink q. 61. ar. 1. dub. 5. Maior d. 17. q. 9. Eſparſa hic q. 33. per totam, & q. 88. ad 4. Medina, Pallauic. Adrianus, & alij.

Probatur 1. Eſt impoſſibile, dari hoc ſacramentum validum, ſine eius materia proxima. Sed hæc non eſt ſola confeſſio, qua ſi fiat hiſtoricè, abſque ullo dolore, non ſufficit ad recipiendam formam abſolutionis. Ergo debet neceſſariò includere ipſum actum doloris, ſaltem habitualē. Poſita autem confeſſione cum dolore, nihil deeſt, quò minùs abſolutio ſit collatiua gratiæ remiſſiuæ peccatorum. Ergo vel non eſt validum ſacramentum, ex defectu materiæ proximæ, vel eſt etiam formatum per collationem gratiæ.

Di

Dices, Sufficit ad valorem confeſſionis, quòd fiat ex dolore præuio. Ergo non debet illum actu, & exercitè inuoluere.

Diſtinguo antecedens, ex dolore præuio, habitualiter, ſeu virtualiter perſeuerante in ipſa confeſſione, concedo: non taliter perſeuerante, nego antecedens. Si enim aliquis doleat, & ſit verè attritus prò inſtanti A. & deinde in inſtanti B. retractet hanc attritionem, eius confeſſio non eſt materia ſacramenti. Debet ergo moraliter perſeuerare, non ſolùm negatiuè per negationem retractationis, ſed etiam poſitiuè, ſaltem virtualiter, per talē actualem diſpoſitionem, per quam pœnitens ſit paratus dolere peccatis, quoties eorum ſubierit recordatio. Et hæc eſt ratio, cur ſoleat præmitti *Confiteor*, vel alia oratio expreſſiua doloris, ut videlicèt confeſſio non ſolùm manifeſtet peccata, ſed etiam confitentis contritionem.

Vnde elicio aliud argumentum. Vel enim pœnitens verè dolet ijs, quorum ſe accuſat ut reum, vel non? Si primum, ergo eſt ſacramentum formatum. Si ſecundum, Ergo dicit falſum, adeòque ſacramentum non eſt validum, eò quia ad eius valorem requiratur iuſtitia in iudicando. Non datur autem iuſtitia in eo iudicio, quod vel procedit ex actis falſis, vel ex actis non poteſt iuſtificari. Ergo hæc ſententia abſolutoria eſſet omninò nulla, ut-

ego

pote procedens ex actis falſis.

3. Non poteſt dari cauſa in actu ſecundo, ſine ullo effectu, & ſignum ſine ullo ſignato. Sed hoc ſacramentum eſt cauſa in actu ſecundo, ſiue phyſica, ſiue moralis, & eſt eſſentialiter ſignum. Ergo debent dari eius effectus, & ſignatum. Hoc autem aliud non poteſt eſſe, quàm collatio gratiæ, & remiſſio peccatorum. Ergo non poteſt eſſe validum, quin ſit collativum gratiæ, & remiſſivum peccatorum. Præterea non poteſt dari cauſa formalis, ſine aliquo effectu formali. Cùm ergo forma ſacramenti ſit cauſa formalis, debet præſtare aliquem effectum formalem. Sed effectus formalis unicus, & adæquatus abſolutionis ſacramentalis, eſt formatio ſacramenti, in collationem gratiæ, & remiſſionem peccatorum. Ergo ſi hoc non faciat, nullum præſtat effectum formalem, adeòque non eſt vera eius cauſa formalis, unde ſequitur, quòd ſi ſit informe, non eſt validum.

Dices cum Gonetto, Poteſt eſſe cauſa, & ſignum gratiæ conferendæ, ſi talis obex non ponatur, vel poſitus remoueatur. Ergo licèt actu non conferat gratiam, adhùc eſt ex ſua natura collativum gratiæ, adeòque retinet rationem cauſæ, & ſigni.

Nego antecedens. Et ratio eſt, quia quòd conferret gratiam, ſi non daretur obex, non eſt effectus de præſenti, ſed ſo-

lum

lum poſſibilis ſub conditione. Ergo nihil de præſenti ſignificaret, adeòque non haberet rationem ſigni practici, de cuius eſſentiali ratione eſt, ut connectatur cum aliquo de præſenti. Quis enim dicat, ramum e. g. expoſitum à caupone, eſſe ſignũ practicum vendibilis vini, ſi tantùm ſignificaret vinum, quod venderetur, ſi non eſſet impedimentum?

Ad 1. Nego minorem. Ad cuius probationem, cum Ægid. de Konink diſp. 4. dub. 11. Nego ſuppoſitum. Vel enim dolor de alijs peccatis, ſaltem virtualiter, ſe extendit etiam ad illud, cuius non recordatur, vel non? Si primum, ergo verè per illum diſponitur ad iuſtificationem obtinendam per ſacramentum, quod cùm ſit validum, aſſequitur etiam fructum, & eſt formatum. Si ſecundum, ergo non eſt ſufficiens ad valorem ſacramenti, ut probauimus diſp. 7. ar. 7. eò quia non includat ſeriam, & efficacem voluntatem, ſe cum Deo reconciliandi, per quam excludat efficaciter omnem affectum de quocũque peccato. Hoc autem facilè probatur, quia ſi extenderetur ſolum ad aliqua peccata, & non ad omnia, eſſet compoſſibilis cum affectione alicuius peccati, eò quia non includeret auerſionem ab omni peccato. Ergo non eſſet ſufficiens.

Ad 2. Nego conſequentiam. Primò quia nullum aliud ſacramentum conſti-

tu-

tuitur intrinſecè,& eſſentialiter per actum contritionis. Ergo poſſunt habere omnia conſtitutiua, per quæ habeatur eorũ quidditas, & valor, quamuis ſuſcipientes non ſint diſpoſiti. Hoc autem non poteſt verificari de hoc ſacramento, quod cùm eſſentialiter conſtituatur per contritionem pœnitentis, ſi hæc deficiat, deficit eius pars eſſentialis materialis, adeòque non poteſt eſſe validum. Deinde quia alia ſacramenta habent ſignificare alios effectus, quos præſtant, præter collationem gratiæ. Ergo quamuis illam non præſtent, adhùc poſſunt retinere rationem ſigni, & cauſæ. At ſacramentum pœnitentiæ non habet præſtare alium effectum, quàm conferre gratiam, & remittere peccata. Ergo ſi hoc non faciat, non poteſt retinere rationem ſigni, & cauſæ. Aſſumptum patet in baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, quæ imprimunt caracterem, ut definitur à Trid. ſeſſ. 7. can. 9. ratione cuius iterari non poſſunt. De alijs probatur.

Siquidem matrimonium, vel conſideratur ut contractus, & habet prò fine mutuã corporum ſubiectionem, ad procreandos filios, remedium concupiſcentiæ, & honeſtam cohabitationem, ad fouendum mutuum amorem, & ſeruitium, quos fines poteſt aſſequi, etiam ſine collatione gratiæ. Vel conſideratur ut eleuatum ad rationem ſacramenti, & habet prò fine repræſentare

coniun-

coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, quam deſponſauit, præter ſanctificationem contrahentium. Quare licèt aliquando non habeat hunc ſecundum finẽ, ſemper tamen aſſequitur primum, adeòque nũquam fruſtratur omni ſuo fine, & conſequenter poteſt retinere valorem, etiam in ſua informitate.

Idem dico de extrema unctione, cuius effectus ſunt, non ſolùm conferre gratiam, ſed etiam roborare, & confortare animum infirmi, ut excitatus ad ſpem, & fiduciam, & feruorem ſpiritualem, reſiſtat fortiter tentationibus Dęmonis, tunc maximè inſultantis, cum adeſt extremus conflictus, & remittit etiam reliquias peccatorum, ſi quæ ſunt, hoc eſt vel peccata, quæ ipſe moribundus non recordatur, vel non poteſt confiteri, & demum dat etiam vires, ad leuiùs toleranda morbi incommoda, ut habetur ex Trid. ſeſſ. 14. in proemio de extr. unct. & c. 2. his verbis, *Hæc eſt gratia Spiritus Sancti, cuius unctio delicta ſi quæ ſint adhùc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animum alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, quo infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuiùs fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit.* Ergo non valet paritas.

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

Solvuntur reliqua argumenta.

AD 3. Nego conſequentiam, Primò quia nemo obligatur ad talem confeſſionem, de cuius valore habeat certitudinem phyſicam, cùm ſufficiat certitudo moralis, non quidem poſitiua, ſed negatiua, nempe taliter debet ſe gerere pęnitens in confeſſione, ut conſcientia non remordeat, ſe ſuo muneri defeciſſe, vel omittendo conatum ſibi phyſicè poſſibilem, hic, & nunc, vel mala aliqua actione reluctante, per quam poſuerit obicem, ad recipiendam gratiam. Deinde quia cùm ad hoc ſacramentum non ſit neceſſaria contritio perfecta (ut probauimus) ſed ſolum imperfecta, quæ dicitur attritio, falſum eſt, non poſſe de hac haberi moralem certitudinem, cùm poſſit quis per actum reflexum cognoſcere, ſe verè doluiſſe de peccatis præteritis, cum ſerio propoſito, ab illis abſtinendi.

Dices, non poteſt certò cognoſcere, an ſufficienter doluerit, cùm de hoc regula certa aſſignari non poſſit. Ergo non poteſt fieri certus, ſe benè confeſſum eſſe.

Diſtinguo antecedens, non poteſt hoc cognoſcere certitudine morali poſitiua, tranſeat, negatiua, nego antecedens. Di-

xi tranſeat, quia verè poteſt quis per varios actus reflexos, ex certitudine illa morali negatiua, tranſire ad certitudinem poſitiuam. Sicut enim probabilitas intrinſeca, ſi multum creſcat, tranſit in euidentiam moralem; ita & certitudo moralis negatiua, cum multa probabilitate poſitiua talis ſufficientiæ, poteſt tranſire in certitudinem poſitiuam.

Dices 2. Confeſſio fit homini, non Deo, cui fiunt contritio, & ſatisfactio. Ergo ad valorem, & ſufficientiam illius, ſatis eſt, quòd homo uniatur homini, ſicut ad valorem contritionis, quòd vniatur cum Deo.

Diſtinguo antecedens, fit homini, ut Dei miniſtro, ſeu vicem gerenti illius, concedo: homini ut homini, nego antecedens. Sicut ergo non poteſt ut miniſter Dei, acceptare in ſui gratiam, niſi gratum Deo, ita neque poteſt illi fieri valida confeſſio, quæ non uniat confitentem cum Deo.

Dices 3. Qui narrat peccata, quæ verè habet, verum dicit, eiuſque verba cordi concordant. Ergo validè confitetur, quoad ſubſtantiam confeſſionis, quamuis non habeat veram contritionem.

Diſtinguo antecedens, verum dicit ut hiſtoricus, concedo: ut pœnitens, nego. Siquidem ut pœnitens debet illa narrare, ut materiam doloris, & pęnitentiæ. Quòd

ſi penès ipſum non habeantur ut talia, falſum dicit, quia verba cordi non correſpondent. Ad hoc ergo ut correſpondeant, debet confeſſio continere veram contritionem, in ſenſu ſupra explicato.

Ad 4. Nego minorem, quoad ſecundam partem. Et dico, non poſſe eſſe validum ſacramentum, quando nullum præſtat effectum. Nullo autem exiſtente ſacramento ex parte fictionis, non poteſt eſſe valida confeſſio, in eſſe partem ſacramentalē. Ergo non ſolùm debet exponi peccatum fictionis, ſed etiam omnia alia peccata, cum attritione ſufficienti. Et ratio eſt, quia confeſſio peccatorum non eſt materia proxima pœnitentiæ, niſi fiat ſacramentaliter; hoc eſt cum humilitate, & dolore ſufficienti. Sed confeſſio facta cum fictione, non eſt huiuſmodi. Ergo debet iterari, ſaltem in genere, ratihabendo confeſſionem illam materialem eidem ſacerdoti, cum dolore ſufficienti.

Ad 5. Nego antecedens. Primò quia non ſufficit ad valorem abſolutionis, quòd ſemel fuerit præſtita materia ſufficiens, ſed eſt omninò neceſſarium, quòd illa vel actu, vel ſaltem habitualiter, ſeu interpretatiuè, ſeu (ut alij dicunt) virtualiter perſeueret, dum datur abſolutio, quæ non poteſt cadere, niſi ſupra materiam præſentem, ſaltem moraliter. In tali autem caſu, non ſolum non perſeueraret, ſed fuiſſet

t omninò ablata per novum peccatum, non confeſſum. Ergo abſolutio eſſet nulla. Quòd autem fuiſſet ablata prior materia proxima, de qua hic loquimur, probatur, quia hæc erat confeſſio dolore formata. Dolor autèm de peccatis, non poteſt perſeuerare, cum aduenit affectus ad peccatum, cum illo incompoſſibilis. Ergo quia novum peccatum auferret dolorem, conſtituentem confeſſionem, in eſſe materiam proximam, auferret ipſam materiam proximam. Deinde ſacramentum pœnitentiæ dicitur eſſe in fieri, quoaduſque per abſolutionem perficiatur. Ergò cùm in fieri dicat prò materia ſufficienti, confeſſionem omnium peccatorum, actu exiſtentium in confitente, niſi exponatur etiam novum peccatum, confeſſio aliorũ non eſt materia ſufficiens, quia non eſt integra, adeòque nulla eſt abſolutio.

Dices, affectus ad novum peccatum, non tollit auerſionem ab alijs, quæ ſunt expoſita clauibus. Ergo poteſt remanere eorum confeſſio, ut materia ſufficiens, quatenus eſt dolore formata, licèt non conferatur gratia, propter obijcem noui peccati.

Nego antecedens. Et ratio eſt, quia cùm motivum dolendi debeat eſſe ſupernaturale, hoc vel erit offenſa Dei, ut formaliter talis, vel pœna æterna, quæ conſequitur ex peccato? Vtrumque motivum

inuenitur in quocumque peccato mortali quod ſemper offendit Deum, & meretu pœnam æternam. Ergo eſt impoſſibile quòd in uno excitet pœnitentem ad dolorem, & non in alijs. Vnde intulimus diſp. 7. ar. 7. eſſe impoſſibile, dari dolorem ſufficientem ad abſolutionem ſacramentalem, qui terminetur ad unum, aut plura peccata, & non ad omnia. Dixi *ſufficientem*, quia cùm peccata ſint inæqualia, & unum ſit alio turpius, poteſt unum magis mouere ad dolendum, quàm aliud, nullo habito reſpectu ad finem ſupernaturalem diuinæ offenſæ, & pœnarum inflictionis. Hic autem eſset dolor naturalis, non ſufficiens ad ſacramentum. Ergo quamuis poſſit ſpecialiter terminari ad unum peccatum, & non ad alia, hinc nihil probatur prò dolore ſufficienti, de quo hic loquimur. Verum quidem eſt, quòd etiam dolor conſurgens ex conſideratione turpitudinis peccati, eſt utilis ad pœnitentiam, ut docet Trid. ſeſſ. 14. c. 4. non tamen conſtituit ſacramentum, per modum partis intrinſecæ, niſi referatur ad Deum, à quo ſperetur venia talis peccati, cum firmo propoſito, illud vitandi in poſterum.

Ob. 6. Poteſt aliquis neſcire, ſe eſſe indiſpoſitum, non quidem ex priuatione doloris, ſed ex priuatione eius integritatis, ſeu ſufficientiæ. In tali caſu ad valorem ſacramenti ſufficit ſufficientia exiſtimata,

Digitized by Google

mata, nempe quòd pœnitens putet, ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, quamuis verè non ſit, ſupplente Deo, virtute clauium, defectum ſufficientiæ, ita ut dolor de ſe inſufficiens, fiat per claues ſufficiens; non tamen hæc ſufficit ad collationem gratiæ, quæ non confertur, niſi ſufficienter contrito. Ergo erit ſacramentum validum, ſed informe.

Nego minorem, Primò quia, vel ad valorem ſacramenti requiritur dolor, ut ſufficiens in re, vel ut ſufficiens in exiſtimatione pœnitentis? Si primum, ergo dolor in ſe inſufficiens, licèt cenſeatur ſufficiens, non ſufficiet ad valorem ſacramenti, & ſic perinde erit, atque eius priuatio. Atque adeo ſicut ex priuatione doloris, ſequitur nullitas ſacramenti, ita ſequitur ex eius reali inſufficientia. Si ſecundum, ergo poſito dolore exiſtimato ſufficienti, quamuis verè non ſit, ſicut ſequitur valor ſacramenti, ſupplente Deo defectum ſufficientiæ, ita ſequitur eius effectus, adeòque erit validum, & formatum. Deinde cum dicitur, dolorem inſufficientem, virtute clauium fieri ſufficientem, vel hoc verificatur in ſenſu formali, hoc eſt quòd ille idem dolor, qui erat inſufficiens, fiat ſufficiens, vel in ſenſu cauſali, hoc eſt quòd inſufficiens pariat ſufficientem? Primum fuit à nobis reiectum ut impoſſibile diſp. 7. ar. 2. Aliter ſicut virtute clauium

ſuppletur priuatio ſufficientiæ, iſta poſſet ſuppleri priuatio doloris ſimpliciter, quod eſt abſurdum, & ſi admittatur ut verum non ſolùm faciet ſacramentum validum, ſed etiam formatum, cùm nihil plus requiratur ad eius formationem, quam ad eius valorem. Si verò dicatur ſecundum, nihil prodeſt arguenti. Vel enim hæc ſufficientia habetur virtute clauium, ut effectus conſequens ad rationem ſacramenti, vel ut effectus intrinſecus, de formali conſtituens ſacramentum? Si primum, ergo hæc ſufficientia ſupponit iam adęquatè cõſtitutum ſacramentum, adeòque nihil facit ad eius conſtitutionem, & valorem. Si ſecundum, ergo ad valorem ſacramenti requiritur dolor ut ſufficiens, ſiue ex ſe talis, ſiue factus talis virtute clauium; adeòque fieri non poteſt, quòd ſacramentum ſit validum, & non formatum, cùm unum ſine alio eſſe non poſſit.

Ob. ultimò, Poteſt dari ſacramentum pœnitentiæ, quod nullum remittat peccatum, licèt ſit validum. Ergo etiam poteſt dari validum, quod non producat gratiã. Conſequentia patet, cùm remiſſio peccati fiat per gratiam. Antecedens probatur, nam ſi aliquis pœnitens accedat ad ſacerdotem, cum actu perfectæ contritionis, priuſquàm confiteatur peccatum, iuſtificatur, per ipſam contritionem, ut inuoluentem ſacramentum in voto. Ergo nullum

lum illi remanet peccatum, remittendum per ſacramentum in re, quod proinde reſpectu contriti, erit quidem collativum gratiæ, non tamen remiſſivum peccatorum.

Diſtinguo antecedens, quod nullum remittat peccatum, quod ſit in anima confitentis, nego: quod non ſit amplius, eò quia fuerit iam remiſſum, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Dico ergo, ſacramentum pœnitentiæ non eſſe validum, niſi reconciliet pęnitentem cum Deo, quod fieri nequit ſine remiſſione peccatorum, quæ conſtituebant illum inimicum Dei. Quòd ſi inueniat hæc remiſſa, non poteſt ampliùs illa remittere, niſi ſecundùm aliquam eorum pęnalitatem, ut docuimus diſp. 5. ar. 5. Quòd autem per contritionem perfectam cum ſolo ſacramento in voto, remittantur peccata, cum obligatione deinde illa clauibus exponendi, patet ex Trid. ſeſſ. 14. c. 4. ubi dicitur, *Docet præterea, & ſi contritionem hanc aliquando charitatem perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* In quo aduertendum eſt cum D. Tho. in ſupplem. q. 1. ar. 1. contritionem poſſe conſiderari, ut eſt pars ſacramenti, & ut talis primò ef-

fectiuè operatur inſtrumentaliter remiſſionem peccati; vel ut eſt actus virtutis, & ſic eſt cauſa quaſi materialis remiſſionis peccati, quatenus ad illam proximè diſponit, & omnis diſpoſitio ex parte ſubiecti reducitur ad cauſam materialem, ſicut diſpoſitio agentis ad cauſam efficientem, ut ipſe docet.

Ex quo ſequitur, non eſſe audiendum Franciſcum Syluium theologum Duacenſem, dùm ait in q. 5. ſupplem. ar. 1. contritionem, quamuis perfectam, non ſemper coniungi cum remiſſione peccatorum. Siquidem Conink q. 68. ar. 2. n. 30. ait, hanc opinionẽ eſſe erroneam, & Vaſquez ait, eſſe contra doctrinam catholicam: Alphonſus Curiel ait eſſe periculoſam, & parum tutam in fide: alij eſſe temerariam, & ſcandaloſam: & Lugo ait, eſſe contra omnes theologos, & Patres. Et ideo damnata fuit hæc propoſitio, quæ eſt 71. Michaelis Baij à Pio V. & Greg. XIII. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi ſacramentum coniuncta, non remittitur crimen, extra caſum neceſſitatis, aut martyrij, ſine actuali ſuſceptione ſacramentorum.* Contra quem errorem clamat Cathechiſmus Rom. in tract. de pœn. de contrit. *Statim ut eam noſtris mentibus concipimus, peccatorum remiſſionem nobis à Deo tribui, ut qui ſalutis noſtræ cupidiſſimus, nullam moram interponit*

ponit

ponit, ad tribuendam veniam.

Neque obſtat, quòd Caietanus in ſum. V. *contritio* dicat, cõtritionem perfectam, aliquando eſſe informem, & aliquando charitate formatam, quod videtur coincidere cum opinione damnata Syluij, & Baij. Nam (ut obſeruat Lugo diſp. 5. ſect. 8. n. 116.) putat Caietanus, poſſe veram contritionem haberi aliquando ex ſolis naturæ viribus, & hanc ait eſſe informem. Sed hæc doctrina, etiam taliter caſtigata, meritò ab omnibus reijcitur, ut notat Vaſq. q. 86. ar. 2. dub. 7.; & quamuis eſſet vera, non eſſet contra nos, qui loquimur de contritione perfecta, non naturali, ſed ſupernaturali.

DISPVTATIO XVI.

De Reditu Peccatorum.

VT perfectiùs intelligatur efficacia, & virtus ſacramenti pœnitentiæ, agendum eſt de perfectione remiſſionis peccatorum, in quo quæremus, an peccata per illud ſemel remiſſa, iterum redeant per ſubſequentia peccata? Et quia huiuſmodi reditus poſſet fieri phyſicè, &

moraliter, non ſolùm quoad maculam culpæ, ſed etiam quoad reatum pœnæ, ſiue æternæ, ſiue temporalis, ideo de his omnibus breuiſſimè agemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An peccata dimiſſa per pœnitentiam, iterum redeant per nouam culpam?

Videntur redire, 1. Quia Matth. 18. Chriſtus D. poſt allatam parabolã illius, qui noluit dimittere debitum, ait, *Serue nequam omne debitum dimiſi tibi &c. & iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet uniuerſum debitum; ſic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Vnde Aug. Chryſoſtomus, Ambroſ. Greg. Beda, & plures alij inferunt, peccatum crudelitatis in fratrem ſuum, reuocare peccata præterita, quamuis dimiſſa.

2. Pſal. 108. Dicitur, *In memoriam redeat iniquitas patrum eius.* Super quem locum inquit Aug. *Si ergo Iudas teneret illud, ad quod vocatus eſt, nullo modo ad eum vel ſua præterita, vel parentum iniquitas pertineret; ſed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, ſed iniquitatem vetuſti generis, redijt iniquitas patrum eius in conſpectu Domini, ut in eo etiam ipſe puniretur.*

tur. Ergo &c.

3. Pſal. 78. Rogat Deum pſaltes, *Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.* Sed hæc oratio eſſet fruſtranea, ſi non redirent peccata. Ergo redeunt.

4. Merita peccato mortificata, reuiuiſcunt per pęnitētiam. Ergo etiam peccata mortificata à pœnitentia, reuiuiſcunt per culpam ſubſequentem.

5. Si aliquis abſolutus à mortalibus, & reus pœnæ temporalis, in quam fuit illi commutata pœna æterna, iterum incidat in peccatum, & moriatur in illo, utique non ſolùm punietur pœna æterna, correſpondente ultimo peccato, ſed etiam illa, quæ correſpondebat peccatis dimiſſis. Ergo illa redeunt, ſaltem quoad pœnam.

1. Concl. *Peccata dimiſſa neque redeũt, neque poßunt redire quoad maculam, ſeu reatum culpæ.*

Probo primam partem (quam apertè tuentur D. Tho. q. 88. ar. 1. De Lugo diſp. 10. ſect. 1. Gonettus diſp. 5. ar. 1. §. 1. Eſparſa q. 96. ad 1. Suar. diſp. 13. ſect. 1. n. 4. Vaſq. & communiter alij) non quia opus Dei per opus hominis irritari non poſſit, ut contendunt cum ſuo magiſtro plures Thomiſtæ. Siquidem gratia, habitus ſupernaturales, & diuina adoptio ſunt Dei ſolius opera, & tamen peccato hominis irritantur, ſicut irritatur ipſe ho-

mo, qui eſt factura Dei, ab alio homine, à quo occiditur. Probo igitur propter alias rationes. Et primò ex Gelaſio Papa, qui in cap. *Finali* de pœn. d. 4. ait, *diuina clementia dimiſſa peccata, in ultionem ulteriùs redire non patitur.*

2. Quod omninò deſtructum eſt, non poteſt redire, niſi reproducatur. Sed peccata per pœnitentiam omninò deſtruūtur. Ergo non poſſunt redire, niſi reproducantur. Sed non poſſunt reproduci. Ergo neque redire. Maior patet, ſimul cum conſequentia. Minor probatur, per pœnitentiam producitur gratia incompoſſibilis cum quocumque peccato. Ergo illa poſita, deſtruitur omne peccatum, quod cùm inuoluat priuationem rectitudinis, non poteſt eſſe ſimul cum rectitudine, quæ per gratiam reſtituitur. Pereunte autem peccato quoad culpam, perit etiam quoad maculam, quæ formaliter ex illa reſultat. Ergo per pœnitentiam deſtruitur peccatum quoad culpam, & maculam. Minor ſubſumpta, in qua ſola eſt difficultas, Probatur 1. Peccatum infidelitatis e. g. ſemel dimiſſum in Petro, ſi Petro deinde peccāte peccato furti, rediret, vel reproduceretur à Deo, vel ab ipſo Petro? Non primum, quia Deus eſſet auctor mali, quod eſt hæreticum. Neque ſecundum, quia furtum eſſet cauſa infidelitatis, quod eſt abſurdum, cùm nulli articulo fidei oppo-

natur,

natur. Deinde, ſi Petrus antea habuiſſet mille peccata, iam dimiſſa, per unum peccatum furti milliès peccaret. 3. Si reuocaret omnia peccata, reuocaret ad vitam etiam originale, quod cùm deleri non poſſit, niſi per baptiſmum, vel deberet facere baptiſmum iterabilem, vel remaneret irremiſſibile, quæ ſunt erronea. Demum cùm non poſſet idem numero actus infidelitatis reproduci, ut probauimus in 4. phyſ. diſp 3. ar. 7. deberet aliud fieri eiuſdem ſpeciei, & ſic furtum fieri non poſſet, quin fides negaretur, & vice verſa, quæ ſunt abſurda.

Probatur ſecunda pars (quam propugnant Lugo diſp. 10. ſect. 1. n. 9. Gonettus diſp. 5. ar. 1. n. 13. & plures alij, aduerſùs Valentiam, & Konink.) Tunc poteſt aliquod extinctum abſolutè ad vitam reuocari, quando poteſt idem numero, vel ſpecie reproduci. Sed peccata dimiſſa per pœnitentiam, neutro modo poſſunt reproduci, ut nuper probauimus. Ergo non poſſunt per peccata ſubſequentia ad vitam reuocari.

2. Concl. *Non poteſt Deus remittere culpam conditionatè, ſi in poſterum non peccetur, ſed debet abſolutè remittere, poſito quòd acceptet pœnitentiam peccatoris.* Ita Lugo diſp. 10. ſect. 1. n. 9.

Probatur 1. Quod remittitur ſolùm ſub conditione, ſimpliciter non remittitur, neque

que ex corde, quia non reponitur priſtinus ſtatus, ſed retinetur veluti ſopitum ius ad vindictam, ut ſi fortè purificetur conditio, opere compleatur, ſicut fecit Salomon cum Semei, ut habetur 3. Reg. c. 2. Sed Deus promiſit pœnitenti veram reconciliationem, & amicitiam, ut habetur Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor*. Aliter quoties peccat aliquis, teneretur iterum confiteri omnia peccata, quæ alias confeſſus fuit, quod ut erroneum reijcitur à Benedicto XII. extrauag. *inter cunctas*, his verbis, *Abſurdum eſt, ut quis peccata per pœnitentiam dimiſſa, rursùs debeat confiteri, & ut debitor liberatus, adhùc maneat ad ſoluendum obligatus*. Ergo non poteſt ſibi retinere ius aliquod ad vindictam criminis remiſſi, ſub aliqua conditione ſumendam, quia hoc faceret Deum mendacem, & infidelem.

Confirmatur, Pugnat cum perfecta ſanctitate habere debitum, & obligationem paſſiuam, ad terminandum odium Dei, nondùm abſolutè, & perfectè placatum. Sed homo per pœnitentiam fit perfectè ſanctus, & purus. Ergo non poteſt retinere hoc debitum, quod neceſſariò remaneret ex remiſſione illa conditionata.

2. Poſita abſolutè cauſa neceſſaria, neceſſariò, & abſolutè ponitur effectus. Sed

ſacra-

ſacramentum pœnitentiæ eſt cauſa neceſſaria ex opere operato, remiſſionis peccatorum, ſiue phyſica, ſiue moralis. Ergo vel eſt ex ſe ad talem remiſſionem inſufficiens, vel abſolutè ponitur hæc remiſſio. Primum eſt erroneum. Ergo verum ſecundum; adeòque remiſſio non alligatur ulli conditioni futuræ, ſed fit abſolutè, ſtante diuina inſtitutione.

Dices cum Gonetto, Poſſet Deus remittere alicui peccatum, ſub tali conditione, ut ſi poſtea peccet, contrahat tantam culpam, & reatum pęnæ, quantam contraheret, ſi prius peccatum non fuiſſet dimiſſum, ita ut illud redeat quoad eſſe morale. Ergo poſſet conditionatè dimittere.

Nego antecedens. Et ratio eſt, quia peccatum, quod retinet ſimpliciter vim nociuam, ſub aliqua conditione, quamuis de facto non noceat, non eſt extinctū, ſed mortificatum, & conſopitum per gratiam actualem, ſicut ſunt merita per peccatum actuale ſubſequens. Ergo non eſt verè condonatum, & remiſſum, quod fieri non poteſt, niſi per veram abolitionem, & deſtructionem illius.

3. Concl. *Peccata dimiſſa per pęnitentiam, non poſſunt redire quoad reatum pœnæ, ſiue æternæ, ſiue temporalis.*

Probatur 1. Deus non poteſt mutari, neque in illum cadit pęnitentia. Ergo non po-

poteſt ſuum actum retractare, adeòque quod ſemel remiſit, ſemper remittit. Atque adeo quia per pęnitentiam remittitur peccatum, ſecundum reatum pęnæ æternæ, & aliquando etiam pęnæ temporalis, non poteſt deinde per nouum peccatum ad pęnam reuocari, quia hoc fieri non poſſet, quin Deus mutaretur, & retractaret datam remiſſionem. Deinde, reatus pęnæ fundatur in culpa. Ergo pereunte culpa, non poteſt hic remanere, aliòquin pęna daretur innocenti, quod eſſet iniuſtum, & tyrannicum. Sed pęnitentia tollitur omninò culpa, nec umquam redit. Ergo non poteſt pęna illi debita remanere, vel poſt dimiſſionem redire.

Dices, Geneſ. 6. Dixit Deus, *pęnitet me feciſſe hominem*. Ergo poteſt retractare voluntatem. Præterea Matth. 18. Exegit debitum iam dimiſſum. Ergò poteſt reuocare peccatum quoad pęnam. 3. Poteſt remittere pęnam, ſub conditione quòd iterum non peccetur. Ergo poteſt reuocare ad pęnam.

Ad 1. Nego conſequentiam, cùm per illa verba explicetur diuina diſplicentia, ut probatum eſt 7. phyſ. diſp. 1. ar. 4. ad 2. ubi fusè probatur immutabilitas Dei. Ad 2. patebit reſponſio ar. ſeq. Ad 3. Nego antecedens, quia remittere ſub conditione reincidentiæ, non eſt ex corde remittere. Sed Deus ex corde remittit peccatum,

tum, eiuſque pœnam, ut dictum eſt. Ergo non remittit, ſub conditione reincidentiæ.

ARTICVLVS II.

Solvuntur Obiecta.

AD 1. Reſpondent aliqui ex D. Tho. q. 88. ar. 1. ad 1. peccata præterita redire quoad ſubſtantiam reatus pœnæ, quatenùs videlicèt per peccatum commiſſum poſt pœnitentiam, incurritur ſicut priùs reatus pœnæ æternæ, non tamen omninò propter eamdem rationem. Sed hoc dici non poteſt, Primò propter rationes allatas in 3. concl. Deinde quia pœna æterna, ut correſpondens ſecundo peccato, vel eſſet eadem cum illa, quæ correſpondebat prioribus, vel non? Primum non poteſt dici, aliter uni peccato, etiam leuiori correſponderet eadem pœna, atque pluribus grauioribus, quod eſt abſurdum. Si ſecundum, ergo peccata priora non redeunt, poſito quòd non redeat eadē pœna. Neque obſtat quòd pœna damni, utpote conſiſtens in priuatione beatitudinis, ſit in omnibus ſemper eadem. Nam inprimis hoc non eſt verum de pęna poſitiua. Et deinde etiam priuatio beatitudinis, ex quantitate cognitionis boni amiſſi, eſt maior, vel minor. Ergo non

eſt

eſt ſemper eadem, niſi ſecundùm materialitatem priuationis beatitudinis.

Alij dicunt, redire illa peccata virtualiter, & ſecundùm quid, quatenus peccatum ſubſequens, ratione ingratitudinis in Deum, fit grauius, & ita occaſione peccatorum præteritorum, creſcit pęna huius ſecundi peccati, eò quia in illo virtualiter ſit quantitas præcedentium, ut docet Gonettus diſp. 5. ar. 1. n. 11. Sed neque hæc reſponſio placet, quia hæc maior pęna correſpondens ſecundo peccato, vel eſt maior debita huic peccato, vel non? Si primum, ergo hoc peccatum plus punitur, quàm mereatur, quod reijcitur ab omnibus, docentibus Deum ſemper punire citra condignum. Neque poteſt hic exceſſus correſpondere prioribus peccatis, Primò quia deberet creſcere, iuxta qualitatem, & quantitatem illorum, adeòque huic ſoli ſecundo peccato, ratione præteritorum, deberetur tanta pęna, quanta deberetur complexo ex illo, & prioribus. Et ſic peccata priora iam dimiſſa bis punirentur, quod eſt abſurdum, & con. Nahum. 1. *Non conſurget duplex tribulatio*, quod vertitur à 70. *Non vindicabit Dominus bis idipſum in tribulatione*. Deinde quia hic exceſſus deberetur ratione ingratitudinis, quæ eſt nouum peccatum, & non peccatis prioribus. Ergo hæc non redirent quoad pęnam, ſeu ſecundum quid.

quid. Si verò dicatur, non eſſe maiorem debita ſecundo, ergo per hoc ſecundum peccatum non plus mereretur, quàm mereretur, ſi alia non patraſſet. Ergo nulla eſt pęna illis correſpondens, ratione cuius dicantur reuiuiſcere.

Reſp. igitur cum Lugo diſp. 10. ſect. 1. n. 5. ex Vaſq. in re præſenti, peccata crudelitatis in fratres, ingratitudinis in Deũ, Apoſtaſiæ à fide, contemptus confeſſionis, & doloris de præſtita pęnitentia, uſque adeo eſſe abominabilia apud Deum, ut mereantur diuinam permiſſionem, qua talia patrantes trahantur, ad ſimilia patranda illis, quæ fuerunt ante pęnitentiã. Quia ergo hæc poſteriora ſunt prioribus æqualia, videntur illa redire per quamdam æquiualentiam, eo modo, quo ablatus unus aureus, dicitur reponi, ſi ponatur alius eiuſdem ponderis, & valoris. Vnde emanauit adagium, *fratres odit, apoſtata fit, ſpernitque fateri, pęnituiſſe piget, priſtina culpa redit*. Et hoc modo ſunt exponendi Doctores citati, prò reditu peccatorum. Quòd ſi alicui videantur clarè oppoſitum docuiſſe, adſummùm illi redditur probabilis extrinſecè talis reditus, non tamen intrinſecè, propter traditas rationes.

Ad 2. ductum ex pſ. 108. dico, ibi eſſe ſermonem de iniquitate non remiſſa patrum impęnitentium, quam pſaltes, ac ſi

Deo

Deo memoria exciderit, reuocare conatur, in vindictam filiorum. Ad locum Auguſtini patet reſponſio ex dictis ad 1.

Ad 3. ex pſ. 78. Dico, ibi Pſaltem orare, nè Deus meminerit ſcelerum præteritorum, ad pęnalitatem temporalem, quæ ut plurimum remanet, dimiſſa culpa.

Ad 4. Nego conſequentiam, propter rationes afferendas diſp. ſequenti.

Ad 5. Gonettus diſp. 5. ar. 1. n. 23. reſpondet negando antecedens, cum D. Tho. in 4. d. 22. q. 1. ar. 1. ad 5. dicens, quòd talis in inferno, propter reatum pęnæ temporalis, relictum à peccatis dimiſſis, punietur ſolùm temporaliter. Quòd ſi aliquis obijciat, nullam in inferno eſſe redemptionem, reſpondet Angelicus, *Nec propter hoc ſequitur, quòd in inferno ſit redemptio, quia pœna, quæ ſoluitur, non redimitur: nec eſt inconueniens, quòd quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur, uſque ad diem iudicij, ſicut etiã augetur*. Sed hæc doctrina mihi non probatur, Primò quia opera ſatisfactoria, niſi fiant in ſtatu gratiæ, nihil proſunt, ad tollendam, vel minuendam pœnam peccato debitam, ſiue æternam, ſiue temporalem, ut probauimus diſp. 9. ar. 7. Sed damnati non ſunt in ſtatu gratiæ, immò ſunt in ſtatu odij, & inimicitiæ Dei. Ergo nihil poſſunt facere, vel pati, quod illis proſit, ad pœnas tollendas, vel minuẽdas,

das,

das. 2. Quia cuilibet peccato mortali, ex ſua ratione, correſpondet pœna æterna, niſi expleatur in gratia taxa pœnæ temporalis, in quam per pęnitentiam fuit commutata pęna æterna. Sed damnatus non expleuit in gratia pęnam finitam, ſibi à clauibus taxatam, nec poteſt in termino explere. Ergo remanet obnoxius pœnæ æternæ, non quia redeat peccatum dimiſſum, ſed quia prò illo non ſatisfecit, abutendo beneficio cōmutationis pęnæ æternæ in temporalem, ut probauimus diſp. 9. ar. 8. ad 3. ſecundæ ſententiæ.

Reſp. igitur negando conſequentiam, cum communi. Et ratio eſt, quia talis homo reus pęnæ temporalis, in quam fuit illi commutata pęna ęterna, quæ debebatur peccatis ſibi dimiſſis, conſtituitur in tali ſtatu, nempe in termino ſuæ damnationis, in quo non poteſt prò tali pęna ſatisfacere, & extinguere illius debitum. Ergo per accidens talis pęna ſemper illi durat, ſicut diximus de pęna peccatorum venialium, quæ in inferno per accidens durat in æternum. Hoc autem non dicit reditum quoad pęnam peccatorum dimiſſorum, ſed dicit permanentiam debiti pęnæ temporalis, quod cùm in inferno ſit inextinguibile, ſemper exigit talem pęnam, quæ licèt de ſe ſit finita, ſit per accidens infinita. Videatur locus citatus.

Dices, ideo pęna venialium in inferno

ſit

fit æterna, quia cùm ipſa venialia deleri non poſſint, ſemper durat eius cauſa. At pęna temporalis debita peccatis remiſſis, non habet cauſam ſuæ æternæ durationis. Ergo niſi redeant peccata, nulla eſt ratio, cur ſemper durare debeat.

Nego minorem. Et dico, cauſam talis pęnæ eſſe debitum, contractum ex beneficio remiſſionis, quod cùm extingui non poſſit in inferno, ſemper exigit talem pęnam, quæ proinde per accidens ſemper durat.

Vrgebis, poteſt in inferno augeri pęna accidentalis, ſicut augetur in cęlo beatitudo. Ergo etiam minui.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia cum damnati aſſiduò peccent, poſſunt demereri, non tamen poſſunt mereri, quia non ſunt in gratia. Quia ergo ſolutio pęnæ ad extinctionem debiti, eſt beneficium Dei, ideo cùm per paſſionem non poſſint extinguere debitum patiendi, eorum paſſio non eſt ſatisfactiua, & ſemper durat, quia eſt pura ſolutio pęnæ debitæ.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

De Reuiuiſcentia meritorum.

POſtquàm vidimus, peccata, quæ dicuntur opera mortifera, ſeu læthalia, eòquia afferant mortem animæ, ita extingui per pęnitentiam, ut numquam reuiuiſcant, videndum eſt, an etiam bona opera ita pereant per peccatum, ut per pœnitentiam non poſſint ad vitam reuocari? Quæremus ergo 1. An reuiuiſcant? Et deinde an recuperent eamdem gratiam?

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An merita peccato mortificata per pœnitentiam reuiuiſcant?

VIdentur nõ reuiuiſcere, Primò quia dicitur Ezech. 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ quas fecerat, non recordabuntur*. Ergo ſicut per hoc quòd ibid. dicitur, *ſi impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor*, intulimus ſupra, peccata ſemel dimiſſa non redire, ita inferendum eſt, merita peccato mortua non reuiuiſcere.

2. Ita ſe habet gratia ſubſequens per pœnitentiam, ad opera mortificata, ſicut ad mortua, cùm neutra poſſit informare. Ergo ſicut non poteſt hæc viuificare, ita neque illa.

3. Difficilius eſt mortuum ad vitam reuocare, quàm non vivum ad vitam trahere, cùm illud ſit miraculum, & hoc opus naturæ. Sed opera mortua numquam vixerunt, ſicut mortificata, quæ aliquando vixerunt. Ergo faciliùs eſt illa viuificare, quàm hæc. Sed mortua viuificari non poſſunt per penitentiam. Ergo neque mortificata.

4. In remiſſione culpæ, non remittitur ſemper pœna temporalis, ut dictum eſt diſp. 15. ar. 2. Sed mortificatio peccato-

rum

rum eſt pęna peccati. Ergo non ſemper tollitur in eius remiſſione, adeòque etiam poſt pęnitentiam, remanet eorum mortificatio.

5. Aliquando pœnitens reſurgit in minori gratia, quàm priùs haberet. Ergo nõ reuiuiſcunt opera mortificata, eò quia per talem reuiuiſcentiam ſemper ſurgeret in gratia, addita priori, adeòque in multò maiori, quàm priùs haberet.

6. Quod phyſicè non poteſt reuocari ad præſens, neque poteſt moraliter ad vitam reuocari. Sed opera mortificata, utpote eſſentialiter ſucceſſiua, adeòque affixa tempori, non poſſunt phyſicè reuocari ad tempus præſens, aliter poſſet præteritũ fieri præſens, quod repugnat. Ergo neque poſſunt moraliter viuificari.

Concluſio, *Quamuis opera mortua non poſſint per pœnitentiam viuificari, tamen mortificata ſemper viuificantur.* Ita D. Th. q. 89. ar. 5. & 6. & communiter alij.

Probatur prima pars, Primò quia quod numquam vixit, ſicut non potuit mori, ita non poteſt reuiuiſcere. Sicut enim mors eſt tranſitus ex vita ad eius priuationem, ita reuictio eſt tranſitus ex eius priuatione, ad vitam. Sed opera, quæ dicuntur mortua, numquam vixerunt. Ergo non poſſunt reuiuiſcere. Deinde quia opus mortuum, dicit eſſentialem dependentiã à principio mortuo, vnde taliter denominatur,

natur, ſicut opus vivum à principio viuen-te. Sed eſt impoſſibile, quòd opus principij mortui, fiat idem numero opus principii viuentis, ſicut ſonus cytharæ, non poteſt fieri ſonus hominis canentis. Ergo eſt impoſſibile, quod opera mortua viuificentur. Et ideo dicitur ad Cor. 13. Si *diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*, ſaltem in ordine ad vitam æternam immediatè.

Dices, Remota cauſa, remouetur effectus. Sed cauſa mortis talium operum erat priuatio gratiæ. Ergo hac remota per receptionem gratiæ, viuificantur.

Diſtinguo minorem, erat priuatio gratiæ per modum principij, concedo: per modum obijcis, ſeu impedimenti, nego minorem, & cum illa conſequentiam. Quia ergo ſunt mortua, quia proceſſerunt à principio affecto priuatione gratiæ, quæ ſola eſt vita animæ, quamuis deinde adueniat gratia in animam, viuificatur quidem anima, in ordine ad alia opera, non tamen in ordine ad illa, quæ ſemper eſſentialiter retinent, quòd proceſſerint ab anima, ut erat priuata vita gratiæ, quæ ut talis non poteſt illis vitam communicare.

Probatur ſecunda pars, primo, ideo merita dicuntur mortificari, quia per peccatum ſubſequens impediuntur ab effectu,

con-

conducendi ad vitam æternam, eorumque efficacia retardatur. Sed per pęnitentiam tollitur hoc impedimentum peccati. Ergo redeunt ad priſtinum ſtatum, eo modo quo lucerna poſita ſub modio, non poteſt ſplendeſcere, poteſt autem, illo remoto, non per variationem aliquam intrinſecam, ſed per ſolam remotionem impedimenti. 2. Quia pęnitentia verè, & propriè conciliat cum Deo. Eſt autem contra rationem veræ, & perfectæ amicitiæ, retinere voluntatem, negandi amico mercedem illi debitam, ob laborem ſibi præſtitum, & ob opera à ſe acceptata. Ergo Deus reconciliatus peccatori per pęnitentiam, non poteſt illi negare pręmium, correſpondens eius meritis, propter offenſam iam condonatam, qua fuerunt mortificata.

Confirmatur, quia opera facta in gratia, fuerunt à Deo acceptata ut ſibi grata, & digna æterno præmio beatitudinis. Ergo quamuis per ſubſequens peccatum, fuerit retardata aſſecutio talis premij, non tamen fieri poteſt, quòd non fuerint à Deo acceptata, & iudicata digna beatitudine. Remoto igitur peccato per pęnitentiam, remanet dignitas in operibus, & in Deo eorum acceptatio, per quam reponuntur in priori ſtatu. Quod eſt adeo certum, ut Eſparſa q. 96. ar. 3. oppoſitam ſententiam vocet improbabilem, ac temerariam, Bannes vocet errori proximam, & Nunnius

hìc ar. 5. apertè dicat, hanc noſtram ſententiam eſſe de fide, & communem inter catholicos.

ARTICVLVS II.

Solvuntur obiecta.

AD 1. Nego conſequentiam, Primò quia Deus eſt magis procliuis ad miſerendum, quàm ad puniendum, & ideo ne omnes puniret, miſit ſuum unigenitum; & gloriatur miſericordia, ut propria teſſera diuinitatis, dicente Eccleſia, *Deus, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere &c.* 2. Quia peccatum non poteſt remitti, niſi per gratiam, fundantem veram amicitiam cum Deo, ut dictum eſt diſp. 15. Poſita autem gratia, ſatisfactio exhibita jà pęnitente, quæ de ſe erat inſufficiens, fit ſufficiens, & adæquata, ex diuina acceptatione, adeoque Deus confert pœnitenti ſuam amicitiam, & filiationem adoptiuam, de ſua ratione æternam, & ſolo futuro peccato amiſſibilem, & deponit omne ius, quod habebat aduersùs pęnitentem, cauſa peccati. Quòd ſi deinde per nouum debitum, conſurgens ex nouo peccato, repeteret ius debiti iam extincti, non eſſet fidelis. Ergo non poteſt exigere, niſi ius conſurgens ex nouo debito, quod contrahitur à peccatore, ratione noui delicti.

Hoc

hoc non accidit in meritis, quia hæc ſemel à Deo acceptata, quamuis per ſubſequens peccatum quodammodò ligentur, non tamen extinguuntur. Vnde patet tertia diſparitas, quia peccatum omninò perit per pœnitentiam. Ergo non poteſt redire, niſi vel à Deo reproducatur, quod faceret illum auctorem illius, vel à peccatore, quod vidimus phyſicè repugnare. Merita verò quia non pereunt, ſed ligantur, ideo eadem numero, ablato vinculo, poſſunt explicari.

Ad locum Ezechielis dico, ly *non recordabuntur*, intelligi in ordine ad effectum, exercitè conſideratum, quatenùs videlicèt opera bona, quamuis facta in gratia, & à Deo acceptata, exiſtenti in peccato mortali, nihil proſunt, ad aſſequendã æternam felicitatem, & euadendas pœnas æternas, non quia peccato perierint, ſed quia ita ligantur, ut non valeant ad thronum diuinitatis aſſurgere, ut pręmium aſſequantur, ut diximus de lucerna ſub modio poſita, quæ licèt accenſa, & apta ad illuminandum, non tamen exercitè illuminat, niſi modio expediatur.

Ad 2. Nego antecedens. Quamuis enim in ordine ad informitatem actualem, videatur eſſe aliqua conformitas, tamen eſt magna diuerſitas, in ordine ad informationem potentialem. Siquidem opera mortua, cum originem traxerint à principio,

ut ſubſtante priuationi gratię, ſunt omninò incapacia vitæ ſpiritualis, & inepta ad vitam æternam; & ideo quia eſſentialiter dicunt dependentiam ab excluſiuo priuatiuo gratiæ, nullo modo poſſunt ab illa formari. Opera verò mortificata, quia dicunt eſſentialem dependentiam à gratia, tamquam à principio, licèt actu non ſint informata gratia, quia tamen fuerunt informata, & per accidens non informantur, ratione peccati impedientis, poſſunt per eius deſtructionem, iterum informari, ſi non eadem gratia, ſaltem alia eiuſdem ſpeciei, vel generis, unde poſſint explicata à remouente prohibens, exercitè ducere ad vitam æternam. Ergo non eſt paritas.

Ad 3. Nego ſuppoſitum; neque enim merita dicuntur reuiuiſcere, quia poſt vitam moriantur per peccatum, Sed quia impediuntur, & ideo dicuntur impropriè reuiuiſcere, quatenus illis reſtituitur libera efficacia, quam habent ex ſe, inducendi vitam æternam, quam peccatum veluti mortuam ſubiugauerat. Quidquid ergo ſit de maiori, vel minori facilitate inter ortum, & reſurrectionem, hic non habet locum hæc comparatio, quia opera facta in peccato, numquam vixerunt, neque viuent; opera verò facta in gratia, numquam fuerunt mortua, ſed ſemper viua, licèt aliquando impedita.

Ad

Ad 4. Dico, in remiſſione peccati, re-
itti ſemper omnem illam pęnam tempo-
lem, quæ eſt incompoſſibilis cum perfe-
a amicitia. Quia ergo mortificatio me-
itorum, non eſt compoſſibilis cum perfe-
a amicitia, quæ debet gaudere de bonis
mici. Ergo non debet remanere; aliter
eus non gauderet bonis iuſtificati, ſi to-
raret, ea deprimi ab inimicis, & ſub eo-
um tyrannide remanere; & ideo debet
lla à tali depreſſione, & tyrannide libera-
e. Pœnalitas autem dolorifera, quia eſt
ompoſſibilis cum perfecta amicitia Dei,
t patet in Chriſto, qui ſimul erat beatus,
patiebatur, ideo poteſt eius reatus re-
nanere, in remiſſione peccati.

Ad 5. D. Tho. q. 89. ar. 5. ad 3. conce-
lit antecedens, & negat conſequentiam.
iquidem putat, illum qui reſurgit in mi-
ori gratia, ſeu charitate, conſecuturum
uidem minorem beatitudinem quoad
ubſtantiam, correſpondentem quantitati
haritatis, & gratiæ, conſecuturum tamen
naiorem beatitudinem accidentalem,
onſiſtentem in maiori gaudio de operi-
bus factis in prima charitate. Sed hæc re-
ſponſio neque videtur ſufficiens, neque
vera. Non ſufficiens, quia ſi concedatur,
merita priora non recuperare conducen-
tiam ad beatitudinem eſſentialem, non
reuiuiſcunt quoad hoc, contra id, quod
ſupponit, & propugnat in corpore arti-

culi, cum dicit, opera mortificata peccato, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi ad vitam æternam, quod utique non poteſt intelligi de beatitudine accidentali. Deinde non eſt vera, quia cùm gaudium ſequatur ratione͂ boni poſſeſſi, qui maiorem habet beatitudinem eſſentialem, magis gaudet. Ergo ſi per opera facta in ſecunda charitate, conſequatur maius bonum, nempe beatitudinem eſſentialem, utique magis illa gaudebit, ut allatiuis maioris boni, quàm alijs factis in prima charitate, ut allatiuis minoris boni, nempe beatitudinis accidentalis. Prò reſponſione igitur, nego antecedens, & dico, quòd in iuſtificatione impij, redeat ſemper tota prior gratia, & aliquando etiam maior, numquam verò minor, ut patebit.

Ad 6. Nego maiorem. Quamuis enim opus bonum non poſſit idem numerò phyſicè ad vitam reuocari, quoad eius entitatem materialem, poteſt tamen quoad eius effectum moralem, nempe conducentiæ ad vitam æternam, quod ſufficit, ad hoc ut dicatur moraliter ad vitam reuocari.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

An merita, quæ reuiuiſcunt per pœnitentiam, recuperent eamdem gratiam? Referuntur opiniones.

VIdentur non recuperare, Primò quia D. Tho. hic q. 89. ar. 2. in corp. & ar. 5. ad 3. docet, merita ſolùm reuiuiſcere, in ordine ad idem præmium accidentale, quatenus videlicèt iuſtificati habebunt in patria maius gaudium de operibus, quæ fecerunt ante peccatum, quàm de illis, quæ fecerunt poſt pœnitentiam peccati.

2. Bannes 2. 2. q. 24. ar. 6. ait, reuiuiſcere quidem merita, non tamen quoad ſubſtantiam præmij, ſed quoad titulum, ita ut idem præmium, quod correſpondet meritis factis poſt pęnitentiam, in ſecunda gratia, correſpondeat etiam mēritis factis in prima, in ordine ad quod utraque merita concurrunt ut duo tituli, eo modo, quo in Republica humana, idem pręmium collatum duplici titulo, cenſetur maius, quamuis entitatiuè ſit æquale illi, quod uni tantum titulo deberetur.

3. Sotus, Ledeſma, Io. à S. Tho. Gonettus, & alij ex Thomiſtis recentioribus aiunt, reuiuiſcere quidem merita, ad augmentum pręmij ſubſtantialis, ſed iuxta pro-

portionem diſpoſitionis præſentis, ita ut e. g. ſi aliquis ante peccatum, haberet merita ut 8. & reſurgat per diſpoſitionem ut duo, acquirat gratiam ſolùm ut 4. nempe duos gradus correſpondentes diſpoſitioni præſenti, & duos meritis præcedentibus.

4. Scotus cum ſuis ait, reſtitui quidem priora merita, ad augmentum gratiæ, & gloriæ eſſentialis, cum hoc tamen quòd gratia non infundatur, niſi cum datur poſſeſſio gloriæ. Fundamentum ipſius eſt idē ac Soti, nempe gratiam in hoc ſæculo non infundi, niſi iuxta menſuram diſpoſitionis præſentis. Quia ergo anima non elicit actum feruentiſſimum charitatis, niſi in inſtanti ſeparationis à corpore, in quo anima glorificatur, vel mittitur in purgatorium, ideò ait, tunc ſolum illi conferri gratiam, correſpondentem diſpoſitioni, & meritis præcedentibus.

1. Concl. *Merita mortificata reuiuiſcunt per pœnitentiam ad totum præmium eſſentiale, & ad totam gratiam ſtatim conſequendam.* Ita Lugo hic diſp. 11. ſect. 2. Eſparſa q. 96. ar. 4. Suar. opuſc. de reu. mer. diſp. 2. ſec. 1. cum Nominalibus, & plurimis recentioribus.

Probatur 1. ex Trid. ſeſſ. 6. c. 16. ubi dicitur, *hac ratione iuſtificatis hominibus, ſiue acceptam gratiam perpetuò conſeruauerint, ſiue amiſſam recuperauerint, propo-*

nen-

nenda ſunt Apoſtoli verba, abundate in omni opere bono, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. Non enim iniuſtus eſt Deus, ut obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Vbi aduertatur, ly *amiſſam recuperauerint*, quod non poteſt verificari, niſi de gratia redeunte, ex ſolutione mortificationis meritorum antecedentiū. Alia loca fusè, & luculenter expenduntur à Lugo hic diſp. 11. ſect. 1. & 2.

2. Eſt de conceptu formali intrinſeco reuiuiſcentiæ, ut dicat reſtitutionem integram prioris vitæ. Sed ſi merita non recuperant priſtinum valorem, non illis reſtituitur prior vita, ut patet. Ergo vel non reuiuiſcunt, quod eſt erroneum, vel recuperent priſtinum valorem. Cùm ergo priùs mererentur ſtatim aſſequi gratiam, & per illam etiam gloriam, idem merentur poſt reuiuiſcentiam. Probatur maior 1. quia per quamcumque diſpoſitionem homo iuſtificatur, tollitur omninò peccatum antecedens, quod unicè illa merita impediebat. Ergo ablato omni impedimento, nulla eſt ratio, cur prior illa vita meritorum non redeat ſecundùm totum. Deinde ſi reſtitueretur eorum valor, ſolùm ſecundùm quid. Ergo ſecundùm aliquid non reſtitueretur, adeòque peccatum iam remiſſum, puniretur aliqua pęna æterna, videlicèt priuatione illius præmij, quod

correſponderet illi particulæ meriti, quæ non reuocaretur ad præmium. Sed qualibet pęna æterna pugnat cum perfecta reconciliatione, & amicitia Dei. Ergo vel non remittitur peccatum per pęnitentiam (quod eſt erroneum) vel per illam remittitur ſecundùm totum; adeòque reſtituitur totum præmium, quod correſpondebat meritis antecedentibus.

2. Concl. *Iuſtificatus per pœnitentiam recuperat etiam illam gratiam, quam habebat ante peccatum, ex opere operato ſacramentorum; adeòque ſemper reſurgit ad maiorem gratiam.* Ita Suar. opuſc. de reu. mer. diſp. 2. ſect. 3. Lugo diſp. 11. ſect. 3. Conink, Eſparza, & alij plures.

Probatur prima pars, quia aliòquin iuſtificatus, licèt recuperauerit ius ad gloriam, puniretur aliqua pęna æterna, nempe priuatione talis gratiæ, quæ ſi non redeat per pęnitentiam, in æternum non redibit, & hoc propter peccatum iam dimiſſum. Sed qualibet pęna æterna eſt magna miſeria, pugnans cum æterna beatitudine. Ergo hic iuſtificatus non poſſet eſſe perfectè beatus in cęlo, quod eſt abſurdum. Deinde illa gratia habitualis erat de ſua natura æterna, & ſolo peccato amiſſibilis, ſicut de facto fuit amiſſa. Ergo ablato peccato, debet redire, ſecundùm durationem æternam ſibi conuenientem, quoad totam ſuam entitatem. Demum quia

eſt

eſt de ratione perfectæ amicitiæ, ut reddatur amico quidquid per inimicitiam ablatum fuit. Sed per pęnitentiam homo fit verus amicus Dei. Ergo debet Deus illi reſtituere, etiam illam gratiam, quam abſtulit per inimicitiam peccati.

Probatur ſecunda pars ex dictis, Iuſtificatus recuperat totam gratiam, quam habebat ante peccatum, & præterea acquirit nouam gratiam, correſpondẽtem actibus pęnitentiæ. Ergo reſurgit ad maiorem gratiam.

3. Concl. *Meritorum reuiuiſcentia non fit per fauorem, diſtinctum à fauore iuſtificationis, vel qui non ſit illi connaturaliter debitus.* Ita Suar. ibid. diſp. 1. ſect. 3. Lugo diſp. 15. ſect. 1. n. 14. Eſparſa, Conink, & alij.

Probatur, gratia ut eſt ex ſe ſemen gloriæ, connaturaliter exigit illam. Sed gloria eſt ex ſe excluſiua cuiuſcumque pęnæ æternæ, quomodocumque peccato debitæ. Ergo gratia, ut exigens gloriam, connaturaliter exigit excluſionem cuiuſcumque pęnæ æternæ. Sed niſi Deus reſtitueret totum præmium, ad quod merita præcedentia iuſtificationem, habebant condignitatem, & ius, puniret iuſtificatum, etiã in ſtatu gratiæ, & gloriæ aliqua pęna æterna, nempe priuatione perpetua illius præmij, quod meritis reuiſcentibus non redderetur, ut dictum eſt in 2. concl. Ergo

Deus

Deus tenetur illud reſtituere, non ſolùm ex iuſtitia gubernatiua, (ut loquuntur præfati auctores) & ex fidelitate, ſed etiam ex iuſtitia commutatiua, quam, demptis imperfectionibus, dari inter Deum, & hominem, fusè probaui in tract. de Deo uno diſp. 18. ar. 5. ex Conc. Araux., & Trid. & Auguſtino. Illud autem quod redditur ex iuſtitia, non eſt gratia diſtincta ab illa, per quam fundatur titulus iuſtitiæ. Ergo reſtitutio totius præmij, non eſt fauor, ſeu donum diſtinctum à domo iuſtificationis, vel ſi diſtinguitur, illi connaturaliter debetur.

Neque obſtat, quòd Deus poſſit ſimpliciter non acceptare noſtra merita; ſiquidem non poteſt facere, quòd illa non ſint digna premio eterno; neque enim accipiunt talem condignitatem ex diuina acceptatione, ex qua ſolùm habent infallibilitatem conſecutionis talis premij; ſed illam habent ex gratia, & ex diuina promiſſione, ex quibus Deo reſultat debitum, rependendi premium, ut inibi fusè probauimus diſp. 18. ar. 2. per totum.

A R-

ARTICVLVS IV.

Reijciuntur aliorum opiniones, & ſoluuntur obiecta.

AD 1. Dico, huiuſmodi opinionem repugnare D. Paulo ad Heb. 6. dicenti, *Non iniuſtus eſt Deus, ut obliuiſcatur operis veſtri.* At ſi non rependeret pręmium, etiam operibus bonis reuiuiſcentibus, illorum obliuiſceretur, in ordine ad pręmium eſſentiale. Pręterea repugnat Ezechieli 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Noceret autem, ſi per peccatum merita præcedentia amitterent totum præmium eſsentiale ſibi debitum. 3. Repugnat etiam Tridentino ſeſſ. 6. c. 16. *Nihil ipſis iuſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, diuinæ legi prò huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore (ſi tamen in gratia deceßerint) conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur.* Ergo non reſurgunt ſolùm ad gaudium accidentale. 4. Si hoc gaudium ſufficeret ad reuiuiſcentiam, etiam opera mortua reuiuiſcerent, cùm beati in patria ſint habituri magnum gaudium de illis, non ſolùm quia benè operati ſunt, ſed

etiam

etiam quia Deus eorum intuitu dedit illis veram pœnitentiam, per quam ſalui facti ſunt. Conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens.

Ad 2. Dico, huiuſmodi opinionem eſſe puram fatuitatem. Quam enim utilitatem fideles conſequerentur ex tali reuiuiſcentia? Nullàm certè, quia illud ſolùm præmium aſſequerentur, quòd etiamſi nulla merita præceſſiſſent, ſuis ſolis actualibus meritis deberetur. Ergo ſicut nihili facerent, quòd hoc modo reuiuiſcerent peccata, abſque ullo augmento pœnæ, per ſolam multiplicationem titulorum; ita nihil curarent de ſimili reuiuiſcentia meritorum. Et ideo meritò exploditur, non ſolùm à Suar. hic diſp. 2. ſect. 1. n. 13. tamquam falſa, abſurda & ſententijs Patrum, immò & Conciliorum, & ſcripturarum aduerſa, ſed etiam ab alijs, & ab ipſis Thomiſtis. Siquidem à Soto vocatur falſiſſima, & à Ledeſma etiam erronea, & à Gonetto impugnatur ex profeſſo diſp. 6. ar. 2. n. 25. ubi proſequens argumentum Suarij, ita diſcurrit, ſi Petrus toto ſuæ vitæ decurſu ſanctiſſimè, Paulus verò peſſimè vixerit, & deinde Petrus incidat in peccatum, à quo reſurgat per actum charitatis intenſum ut 4., & etiam Paulus iuſtificetur per charitatem ut 4. in qua uterque moriatur, ſi Petrus non acquiret, niſi titulos ſupra Paulum, ad eamdem gratiam,

tiam, & gloriam, eius meritorum reuiuiſcentia nil ei proderit, quia uterque erit æquè beatus, quod eſt abſurdum.

Ad 3. Dico, hanc quoque opinionem ſuſtineri non poſſe, Primò quia ſi concedatur, dari aliquid præmij eſſentialis, correſpondens meritis præcedentibus, non potest negari, dari aliquid ſupra diſpoſitionem præſentem. Ergo non attenditur ad menſuram illius. Deinde quia valor meriti, non deſumitur ex quantitate gratiæ præſentis, ſed ex quantitate gratiæ influentis, per modum principij ad tale opus meritorium. Atque adeo ſi Petrus heri facit e. g. opus eleemoſinæ, cum gratia ut duo, non ſit hodie meritorium ut 6. propter gratiam ut 6. quam hodie habet, quia hæc non influit in opus heſternum. Ergo diſpoſitio præſens non poteſt taxare valorem meritorum reuiuiſcentium, ad quæ nullatenus influxit, ſed ille debet taxari à gratia, cum qua talia opera facta ſunt, tamquam eius effectus.

Ad 4. Nego ſuppoſitum. Et dico, quòd ſi unicus obex talium meritorum, quò minùs actu reciperent præmium, erat peccatum, illo ablato per pœnitentiam, nullus remanet obex, qui eorum retardet effectum. Ergo debent ſtatim conſequi totum præmium, nempe gratiam, & ius ad gloriam.

Ob. 1. Nihil aliud habetur ex Concilijs,

lijs, ſcripturis, & Patribus, niſi quòd merita reuiuiſcentia non ſint caritura ſuo præmio. Ergo ex illis non probatur, quòd ſtatim tale præmium conſequantur.

Nego conſequentiam, Primò quia neque legitur de operibus factis in gratia, quòd ſtatim ſuum præmium conſequantur; nullus tamen hoc negat. Et ratio eſt, quia cùm opera facta in gratia, reddant hominem magis amicum Dei, utique dant illi ius ad gratiam, & gloriam. Cùm ergo nulla ſit ratio, cur illi differatur, ſaltem gratia, debet ſtatim dari. Idem valet de operibus rediuiuis, quæ ablato obijce, petunt unionem cum Deo, quæ ſtatim fit inchoatè per gratiam, ut abundantiùs, & ultimatè fiat per viſionem in cęlo. Deinde quia ipſa opera meritoria formaliter non ſanctificant, neque faciunt amicum Dei, ſed ſolùm meritoriè, & diſpoſitiuè, quatenus diſponunt ad ſanctitatem formalem, & iuſtitiam habitualem. Ergo proportionaliter ad gradus meritorum, ſicut ſtatim fit magis ſanctus, ita debet recipere formam intrinſecam maioris ſanctitatis, nempe augmentum gratiæ ſanctificantis.

Ob. 2. Carentia præmij correſpondentis meritis antecedentibus iuſtificationem, non eſt propriè pœna, ſed effectus peccati præteriti, quod tamquam cauſa formalis oppoſita extinxit gratiam, & meritum

ritum antecedens. Ergo ex hoc capite, non poteſt probari reuiuiſcentia meritorum, ad totum præmium.

Nego antecedens, quoad utramque partem. Neque enim aliter peccatum mortificat meritum, niſi demeritoriè, reddendo peccatorem indignum præmio. Sicut ergo eſt pœna peccati, cum adeſt, quòd peccator ſit præmio indignus, ita ſi hæc indignitas remaneret, remaneret ut pęna peccati. Deinde remota cauſa, remouetur effectus. Ergo ſi hæc indignitas eſt effectus peccati, illo remoto, remanere non poteſt. Ergo debet reddi præmium, quod ex ſola tali indignitate negabatur. Atque adeo ſicut in damnatis hæc carentia præmij, fundata in tali indignitate, perpetuò in illis remanente, eſt æterna pœna damni, ita eſſet in iuſtificato.

Ob. 3. Poteſt abſolutè impediri à Deo, nè merita iuſtificati reuiuiſcant. Ergo non neceſſariò reſurgunt.

Diſtinguo conſequens, non neceſſariò reſurgunt de lege ordinaria, nego: abſolutè, tranſeat. Quando ergo Peccator iuſtificatur, accipit ius ad gloriam, adeòque ad carentiam omnis pęnæ æternæ, ſicut eſſet priuatio præmij, correſpondentis operibus antecedentibus. Hoc autem ius non eſt ſimpliciter, & abſolutè rigoroſum, ſed ſolùm ſecundùm quid, nempe poſita diuina promiſſione, eiuſque fidelitate, ratio-

ne

nequarum eſt veluti exigentia quædam connaturalis, cui Deus poſſet, ſimpliciter non ſatisfacere, non tamen poteſt, ſtante eius promiſſione, ut probauimus in trac. de attrib. Quia ergo non loquimur de eo, quod poſſet abſolutè accidere, ſed de eo, quod accidit de facto, ideo ponimus meritorum reuiuiſcentiam, quæ ſemper fit in iuſtiſicatione.

Ob. 4. Nullus habitus eſt intenſior illis actibus, à quibus fuit genitus. Ergo ſicut in natura per actus remiſſos non acquiritur habitus intenſus, ita in ordine ſupernaturali, non infunduntur habitus, niſi iuxta menſuram præcedentis diſpoſitionis, ſecundùm intenſionem. Et ideo dicitur in Trid. loc. cit. *ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem*.

Nego antecedens, cuius oppoſitum ſtatuimus in log. lib. 1. diſp. 1. ar. 11. concl. 2. Deinde quamuis eſſet verum ſuppoſitũ, nego paritatem, cùm habitus ſupernaturales non gignantur ex actibus, ſicuti naturales, niſi moraliter, & meritoriè. 3. Gratia intenſa, non datur ſolùm ex diſpoſitione præſenti contritionis remiſſæ, ſed etiam ex meritis antecedentibus contritionis perfectæ e.g. Ergo nulla eſt conſequentia. Et in hoc ſenſu eſt explicandum Tridentinum, *ſecundum propriam diſpoſitionem*, videlicèt non ſolùm ex meritis præſentibus, ſed etiam ex præteritis, redeuntibus

Digitized by Google

bus per pœnitentiam.

Ob. 5. Si iuſtiſicatus haberet totum illud, quod habuiſſet in innocentia, & prçterea illud, quod correſpondet diſpoſitioni præſenti, eſſet in ſtatu meliori per peccatum, quàm fuiſſet in innocentia. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo hoc non habet.

Nego maiorem, Primò quia in ſtatu innocentiæ habuiſſet gratiam, correſpondentem omnibus illis bonis operibus, quæ fecit in peccato, quæ ut mortua, numquam proderunt. Deinde quod iuſtificatus habuit per contritionem, potuiſſet habere per actum charitatis. Quòd ſi aliter contingat, eſt per accidens, & non per ſe ratione peccati. Neque obſtat, quòd Veritas Matth. 18. dixerit, *maius gaudium erit ſuper uno peccatore pçnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtos, qui non indigent pænitentia*. Siquidem cùm gaudium debeat eſſe prudens, & rationale, debet prouenire ex maiori motiuo, adeòque ex actibus adeo feruentibus contritionis, & charitatis, ut illis correſpondeat maius præmium gratiæ, & gloriæ, quàm correſponderet actibus remiſſis nonaginta nouem iuſtorum. Et ideo comparatio non eſt inter iuſtificatum, & innocentes, ſecundùm eandem intenſionem charitatis. Neque eſt mirum, quòd aliquando Deus, ob ſuam ſummam bonitatem, eliciat etiam ex malo bonum, ut peccatores

alii-

alliciat ad pœnitentiam.

Ob. 6. Ergo deberent etiam recuperari iuſtitia originalis, & virginitas, ne ex earum priuatione, detur in iuſtificato æterna pœna priuatiua, quam diximus in illo non dari.

Nego conſequentiam, Primò quia innocentia dicit negationem cuiuſcumque peccati, quæ componi non poteſt cum peccato patrato, licèt retractato, cùm retractatio poſſit quidem illud delere, non tamen facere quòd non fuerit. Et idem dico de iactura virginitatis, quoad corporis integritatem, quæ poteſt quidem reparari moraliter, non tamen phyſicè, ut docet D. Thom. q. 89. art. 3. Deinde dico, quòd utraque redeat per penitentiam, non quidem formaliter, ſed virtualiter, quatenùs pœnitens compenſat earum iacturam æquali bono, & aliquando etiam maiori.

Ob. 7. Pœnitens non recuperat illam promptitudinem ad actus virtuoſos, quam ſentiebat in ſtatu innocentiæ. Ergo non recuperat totam gratiam, cum omnibus habitibus ſupernaturalibus.

Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cùm gratia, & habitus ſupernaturales non infundantur ad facile, ſed ad ſimpliciter operari, ex negatione facilitatis, non arguitur, eos non rediſſe. Facilitas ergo ad actus ſupernaturales, prouenit ab

exer-

Digitized by Google

exercitio bonorum operum, quæ paulatim expellunt oppoſitam difficultatem, ex acquiſitione diuini auxilij maioris, & maioris, prò qualitate, & quantitate exercitij talium operum.

Atque hæc dicta ſint ſatis prò hac materia, quæ omnia cedant in honorem, & laudem Omnipotentis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti.

F I N I S.

Libri editi in lucem uſque adhuc à Mag. Fr. Petro de Comitibus Romano Ord. Er. S. A. Patau. Collegij Regente.

PHILOSOPHICA.

Organum philoſophicum, ſeu clauis aurea ad vniuerſam philoſophiam.
Logica, ſeu philoſophia rationalis, libri quinque.
De Phyſico auditu libri octo tribus tom. diſtincti.
De Ortu, & interitu, ſeu de generatione, & corruptione, libri duo.
De Mundo, & Cœlo libri tres.
De Anima libri tres.
Diſputationes metaphyſicæ theologicè excogitatæ, occaſione examinandi, an detur ens rationis obiectivum, libri tres.
Meteora, ſeu libri Meteorologicorum.
Ethica, ſiue moralis Philoſophia.
Parua naturalia.

De

De Miſtorum temperamento.
De Miſtorum corruptibilitate.

THEOLOGICA.

De Deo uno, ſiue de diuinis perfectionibus.
De Sanctiſſima Trinitate, tomi duo.
De Prædeſtinatione, & Reprobatione.
De Viſione beatifica.
De Beatitudine.
De Intellectu, & Scientia Dei.
De voluntate, & actibus liberis Dei.
De Angelis.
De Sacramento, & virtute Pœnitentiæ.

VARIA.

Poeſis ſacra, & prophana.
Vindicationes Peripateticæ.
Rhetorica Miſcellanea.

Hi ſunt libri, quos venales inuenies penès Authorem; nam alij plures, quos lectores certatim ſibi compararunt, niſi rurſùs reuocentur ad prælum, inueniri non poſſunt; & ideo quia petentibus non ſuppetunt cum alijs non recenſentur.

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM,

Quæ continentur in tractatu de Pœnitentia.

ABſolutio ſacramentalis. Non poteſt fieri, niſi vocibus. 300. & 432. Neque abſenti. 311. & 314. & 315. Et ex profeſſo 454. Eſt valida per verbum remitto, vel condono. 433. Non tamen licita. 434. Per verba deprecatiua neque eſt licita, neque valida. 434. 1. Poteſt fieri valide, ſed non licitè per verba imperatiua; & lingua vernacula. 436. Non poteſt licitè pati additionem, vel fieri per verba inſolita. 443. Non requirit manuum impoſitionem. Ibid. Quando, & quomodo poſſit conferri ſub conditione. 449. Non poteſt tradi ad reincidentiam. 453.

Actiones externæ. Si non neceſſariò proueniant ab internis prauis, ſunt neceſſariò confitendæ. 183. Non tamen aliæ. 184.

Actus ſupernaturalis. Non eſt eiuſdem ſpeciei atomæ cum habitu. 277.

Actus interni. Poſſunt eſſe ſatisfactorij. 341. Et pœnales. 343.

Actus pœnitentiæ. Vide, pœnitentiæ actus.

Actus pœnitentis, nempe dolor, confeſſio, & ſatisfactio. Sunt materia proxima ſacramenti. 206. Et 213. Eleuantur ad producendam gratiam. 215. Et ad eſſe materiam proximam. 216. Cur dicantur quaſi materia. 217. Sunt ſimul moraliter, & phyſicè. 224.

Ægrotus. Non tenetur ſtatim quærere curationem. 141. Quando excuſetur ab integritate confeſſionis. 591. Qui ſolùm potuit dicere, ſe eſſe peccatorem, debet abſolui. 595. Immò qui ſolùm petijt abſolutionem. 599. Et qui præbuit ſigna contritionis. 600. Etiam abſente ſacerdote. 605. Ex teſtimonio adſtantium. 606. Licèt mediatum. 608. Et unius tantùm. 609. Debet tamen abſolui conditionatè. 611. Qui non petijt abſolutionem, & nullum præbuit doloris indicium, nullo modo poteſt abſolui. 601.

Alexander 7. Quid definierit aduersùs confitentes iniuſtè reprobatis. 509.

Amor naturæ. Eſt ſimul cum odio criminum. 350.

Anachoretæ veteres. Quomodo obligabantur ad confeſſionem. 587.

Anthiocus. Cur non obtinuit miſericordiam. 623.

Approbatio Epiſcopi. Eſt neceſſaria ad abſoluendos ſæculares, etiam Regulari.

ri. 472. Non fert neceſſariò iuriſdictionem. 473. Cuius Epiſcopi requiratur approbatio. 474. Non confert poteſtatem abſoluendi, ſed oues. 478.

Articulus mortis. Vide moribundus.

Attritio. Differt eſſentialiter à contritione. 228. Non poteſt amare diuinam offenſam. 229. Cur dicatur contritio imperfecta. 230. Poteſt eſſe de uno peccato, & non de alijs. 231. Non poteſt fieri formaliter contritio. 235. Eſt ex ſe laudabilis & ſufficiens ſacramento. 240. Non tamen ut exiſtimata. 241. Eſt ſupernaturalis. 242. Et incompoſſibilis cum peccato. 243. Et donum Dei. Ibid. Vt ſufficiens ſacramento, non neceſſariò inuoluit amorem Dei. 246. Non debet excitare dolorem ſenſibilem maximum. 256. Poteſt eſſe certa certitudine negatiua. 660.

Attritus. Quomodo per ſacramentum fiat contritus. 235.

BAptiſmus aquæ. Diſtinguitur à ſacramento pœnitentiæ. 102. Non poteſt delere peccata baptizatorum. 103. Etiam per ſui memoriam. 104. Non ſolùm dicit ablutionem materialem, ſed etiam ſpiritualem. 435. Poteſt conferri ab omnibus, & quocumque idiomate. 436. Quibus verbis eſſentialiter conſiſtat. 439. Cur non requirat iuriſdictionem in baptizante. 469. Cur tollat reatum culpæ, & pœnæ. 631.

Baptiſmus flaminis. Non eſt formaliter

baptiſmus. 36.

Beatitudo formalis. Non poteſt contemni, ut Deus diligatur. 266.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum. Quid ſit, & cur dicatur irremiſſibilis 622.

CApitulum. Non poteſt, ſede vacante, ſuſpendere approbatos ab Epiſcopo. 519.

Cenſura. Cur poſſit tolli ab abſente. 458

Certitudo negatiua. Quid ſit 660. Sufficit ad valorem confeſſionis. Ibid. Poteſt tranſire in poſitiuam. 661.

Charitas. Non deteſtatur peccatum, ut eſt offenſa Dei. 66.

Chriſtiani. Omnes obligantur ad confeſſionem annuam. 583. Quamuis non habeant mortalia. 584.

Chriſtus D. Non potuit componi ex natura, quæ fuerit ſub peccato. 76. Inſtituit ſolùm confeſſionem quoad ſubſtantiam. 296.

Circumſtantiæ merè accidentales. Non ſunt neceſſariò confitendæ. 174. & 197.

Circumſtantiæ augentes numerum. Sunt neceſſariò confitendæ. 189.

Circumſtantiæ aggrauantes. Si ſint notabiles, ſunt neceſſariò confitendæ. 196.

Circumſtantiæ minuentes. Si ſint notabiles, ſunt neceſſario confitendæ. 200. Non autem ſi ſint purè excuſatiuæ. 202.

Circumſtantiæ mutantes ſpeciem. Sunt neceſſariò confitendæ. 186.

Cle-

Clemens VIII. Non prohibuit confeſſionem abſenti. 311. & 313. & 607.

Complices. Quando debeant manifeſtari. 612. Se ſubdunt iudicio communis criminis. 613. Non infamantur, ſi detegantur in confeſſione. 614. Quomodo poſſint ſe mutuò abſoluere. 536.

Confeſſio. Eſt pars eſſentialis ſacramenti. 220. Inuoluit dolorem, & ſatisfactionem in voto. 220. Eſt intrinſecè ordinata ad aſſequendam gratiam. 296. Non poteſt per alium fieri. 379. Non poteſt eſſe valida, & informis. 654.

Confeſſio venialium. Quomodo ſit præcepta. 585.

Confeſſio per interpretem. Non eſt præcepta. 304. Tamen permittitur. 305.

Confeſſionis integritas. Formalis eſt neceſſaria. 589. Non tamen materialis. Ibid. Vnde diſtinguantur. 590. Impotentia phyſica, ſiue moralis, excuſat ab integritate materiali, non tamen à formali. 590. Exigit manifeſtationem complicum. 612.

Confeſſio publica. Poteſt licitè fieri, non tamen imperari. 294. Aliquando permittebatur. 295.

Confeſſio ſecreta, & auricularis. Eſt quidem ſufficiens, & laudabilis. 293. Non tamen neceſſaria. 294. Non eſt contra ſcripturam, & inſtitutionem pœnitentiæ. 295. Non neceſſariò ſit per voces pœnitentis, 298. Poteſt fieri nutibus, vel ſcriptu-

ra. 299. & 305. Non debet proportionari abſolutioni. 300. Poteſt fieri per interpretem. 305. Etiam abſenti. Ibid. Et 306. Dummodo abſolutio fiat præſenti. 306. Neq; obſtat decretum Clementis VIII. 311.

Confeſſarius. Tenetur ſub mortali imponere abſoluendis pęnitentiam. 386. Nec excuſatur, niſi ob pęnitentis impotentiam. 388. Quamuis aliquando poſſit illam applicare ad placitum pęnitentis. 386. Etiam prò peccatis aliàs abſolutis. 389. Et moribundo. 390. Quando poſſit plures ſimul abſoluere. 446. Poteſt ſimul cum alijs eumdem abſoluere. 447. Non debet confabulari cum pęnitentibus. 459. Debet eſſe ſacerdos. 463. Et habere iuriſdictionem in abſoluendos. 481. Excæptis venialibus. 487. Debet eſſe proprius. 489. Non poteſt ſuſpendi à Capitulo, ſeu Vicario, ſede vacante. 519. Debet eſſe in gratia, ut licitè abſoluat. 525. Non tamen ut validè. 526. Debet habere intentionem, ſaltem virtualem abſoluendi. Ibid. Et ſcientiam proportionatam pęnitenti. 527. Quanta debeat eſſe hæc ſcientia. 528. Tenetur ſequi opinionē probabilem pęnitentis. 531. Non tamen improbabilem. 332. Quomodo poſſit abſoluere complices. 536. Ad quid teneatur, ſi abſoluerit, ſine intentione, vel iuriſdictione. 540. Vel ſi damnum intulit alteri malè abſoluendo. 541. Quid ſi deliquit in accidentalibus. 543. In nul-

lo

lo caſu poteſt reuelare peccata. 547.

Confeſſarius quando poſſit uti notitia ſacramentali. 569. Non tenetur ad hunc uſum. 572. Niſi in caſibus expreſſis. 573. Poteſt ſemper illa uti, de licentia pęnitentis. 576.

Confeſſarius interrogatus de auditis in confeſſione. Non ſaluatur à mendacio per reſtrictionem mentalem de auditione utili. 562. Neque per reſtrictionem, ut dicam tibi. 565. Quomodo debeat ſe gerere. 566.

Confeſſarius monialium. Non poteſt in concionibus inuehi in audita ſacramentaliter. 580.

Confeſſarius delegatus. Debet eſſe approbatus ab Epiſcopo, licèt ſit regularis. 472. & Prælatus. 473.

Confeſſarius habens facultatem ad reſeruata. Non poteſt abſoluere ab illis ſolis. 648.

Confeſſarius non habens facultatem ad reſeruata. Non poteſt abſoluere à non reſeruatis, habentem etiam reſeruata. 544. & 647. Si abſoluat à reſeruatis, incurrit irregularitatem. 545. Non abſoluens à reſeruatis, tenetur ad eorum ſigillũ. 553.

Correctio fraterna. Quando ſit facienda. 286.

Contritio. Inuoluit neceſſariò votum ſacramenti pęnitentiæ. 128. Eſt pars ſacramenti ut ſenſibilis. 218. Et eſſentialis. 220.

220. Differt eſſentialiter ab attritione. 228. Quid ſit. Ibid. Extenditur ad omne peccatum. 231. Non neceſſariò dicit dolorem ſenſibilem. 254. Et ſi dicat, ille non poteſt eſſe maximus. Ibid. Dicit eſſentialiter dolorem, & deteſtationem peccati, cum propoſito non peccandi. 275. Saltem virtualiter. 276. Non dicit neceſſariò formalem amorem Dei. 280. Sed ſolum virtualem. 281. Eſt unus actus virtualiter multiplex. 281. Non obligat ſtatim poſt peccatum. 284. Quando obliget. 285. Non poteſt per alium fieri. *379.*

Contritio perfecta. Remittit peccata etiam extra ſacramentum. *667.*

S. Cyprianus. Non abſoluit abſentes. *456.*

DAmnati. Non alleuiant pœnas ex bene factis. 356. Neque ex priuatione maioris pœnæ. 357. Non poſſunt ſoluere pœnas temporales debitas in via. 680. Quæ proinde durāt in æternum. 681. Patiendo non ſatisfaciunt. 682. Poſſunt augere, non minuere pœnas. ibid.

Debitum. Poteſt remitti ſucceſſiuè, non tamen offenſa. 350. Si ſit leue, non obligat ſub mortali. 407.

Decreta concilij generalis. Non reuocantur per formas generales. 505.

Deteſtatio peccati. Includitur eſſentialiter in contritione. 275. Eſt virtualis amor Dei. 281.

Deus.

Deus. Numquam negat auxilia ſufficientia. 623. Non poteſt dimittere peccata conditionatè. 673. Nec ſub conditione reincidentiæ. 676.

Dilectio Dei. Non eſt neceſſaria sac. poen. 246.

Dolor informis. Non ſe habet ut materia ad gratiam. 236.

Dolor ſenſibilis contritionis. Non debet eſſe maximus. 254. Non contrariatur peccato in genere entis. 255. Debet eſſe rationalis. 256.

Dolor contritionis, ut eſt in voluntate. Non poteſt eſſe tantus, ut necet. 257. Vnde poſſet vitiari. 258. Debet eſſe maximus. 260. Fundatur in amore. 261. Non eſt valdè difficilis. 262. Poteſt eſſe miſtus gaudio. ibid. Eſt maior dolore mortis. 264. Quomodo dicatur maximus. 267. Debet extendi ad omnia, & ſingula peccata. 269. Non tamen formaliter, & explicitè. ibid. & 657. Eſt maior de uno peccato, quàm de alio. 270. & 664. Eius motus eſt virtualiter multiplex. 271. Vt purus dolor, non deſtruit peccatum. 278. Sed ut eſt deteſtativus, & emendativus. ibid. Debet perſeuerare in actu confeſſionis. 655. & 662. Non eſt ſufficiens, niſi referatur ad Deum. 664. Non ſufficit exiſtimatus ſufficiens, cum verè non eſt. 665.

ECcleſia. Habet poteſtatem remittendi peccata poſt baptiſmum. 91. Po-

tuit determinare tempus annuæ confeſſionis. 133. Licèt Chriſtus reliquiſſe: liberum eius uſum. 134. Quomodo ſit accipiendus annus, in quo datur eius obligatio de confeſſione. 151.

Epicheia. Quando habeat locum. 409.

Epiſcopus. Non poteſt ſine graui peccato, reijcere ab examine, vel inuentum idoneum reprobare. 497. Aliter ſe gereret ut lupum. 504. Poteſt reuocare approbationem ad tempus, & beneplacitum ſæcularis. 513. Non tamen Parochi. 514. Neque Regularis. 516. Poteſt approbare regularem ad tempus, ſeu beneplacitum. 521. Etiam cum limitatione loci &c. Ibid.

Error communis, & titulus coloratus. Aliquando ſupplent defectum iuriſdictionis. 485.

Excommunicatus vitandus. Nec licitè, nec validè abſoluit. 490. Non vitandus poteſt validè, ſed non licitè, exceptis moribundis. Ibid. Non poteſt abſolui, niſi prius abſoluatur ab habente facultatem. 650.

Extrema unctio. Cur poſſit eſſe valida, & informis. 659. Quos fines habeat. Ibid.

FAcilitas ad bene agendum. Vnde proueniat. 706.

Fęminæ. Non cenſent grauoſum confiteri viris peccata. 122. Non poſſunt excommunicare, vel abſoluere. 466.

Forma. Si ſit præſens, actuat materiam,

non

non tamen econtra. 316.
Forma pęnitentiæ. Vide abſolutio.
S. Franciſcus. Quomodo excuſetur à mendacio, negando, quod verè erat. 565.
Franciſcus Suarez. Vindicatur à nota Gonetti. 75.
Fur. Tenetur ſtatim reſtituere. 286.
GRatia. Non poteſt licitè amitti. 287. Non tamen amiſſa obligat ſtatim ad eius reparationem. ibid. Omiſſio eius reparationis non ſemper eſt praua. 288. Eius priuatio poteſt aliquando amari licitè. 289. Ex ſuppoſitione peccati, non eſt odibilior veniali. 290. Eſt neceſſaria ad remiſſionem cuiuslibet peccati. 639.
Grauitas obligationis. Vnde ſumatur. 405.
HAbitus pœnitentiæ. Vide, pœnitentiæ habitus.
Habitus ſupernaturalis. Non infunditur, niſi potentibus exercere eius actus. 67.
Hæreticus. Tenetur ſtatim hæreſim retractare. 286. Poteſt pœnitere. 623.
Homo. Poteſt in ſtatu gratiæ ſimpliciter Deo ſatisfacere. 318. Non tamen rigorosè. 320. Sed ſolùm impropriè, & interpretatiuè. Ibid. Si tamen habeat charitatem, & gratiam Chriſti. 321. Non tamen prò peccato originali. 325. Eſt dominus ſuorum actuum. 326. Semper habet potentiam proximam pœnitendi. 623. Licèt amiſerit fidem, & ſpem. Ibid.

IDoneitas. Quomodo poſſit variari. 523.
Imprudentia. In re graui eſt peccatum læthale. 142.
Infernus. Non poteſt eligi, ut euitetur peccatum. 264. Eius electio ſemper eſt mala. Ibid. Non eſt comparabilis cum peccato. 265. Non eſt in numero eligibilium. 266. Cur pœnas debitas temporales faciat æternas. 681.
Infirmus. Vide ægrotus.
Intentio, ſaltem virtualis. Requiritur ad valorem cuiuslibet ſacramenti. 526.
Integritas confeſſionis. Vide confeſſio.
Iudex humanus delegatus. Tenetur reo taxare pœnam. 389. Tenetur ſequi opinionem probabiliorem. 533. Non tamen ſacramentalis. 534. Debet iudicare ex notitia ſibi poſſibili. 598.
Iudicium. Non eſt iuſtum, ſi procedat ex falſis, nec poſſit iuſtificari. 655.
Iuriſdictio. Eſt neceſſaria ad uſum clauium. 466. Quid ſit. 481. Et ad valorem abſolutionis. 482. Debet expreſsè conferri. Ibid. Non poteſt conferri à Parochis. 483. Cur non requiratur ad venialia. 487. Non confertur ab Epiſcopo regularibus. 522.
Ius canonis. Reſpicit ſtatum, & non perſonam. 578.
Iuſtitia. Alia eſt naturalis, & alia ſupernaturalis. 62.
Iuſti-
Digitized by Google

Iuſtificatus. Non ponitur per peccatum in ſtatu meliore. 705.

LAicus. Non poteſt eſſe miniſter ſacramenti pęnitentiæ. 463.

Lugo. Quomodo excuſet à mendacio confeſſarium negantem, ſe audiſſe, quæ verè audiuit. 562. Confutatur. ibid.

MAgiſter nouitiorum. Non poteſt ex notitia ſacramentali negare nouitio profeſſionem. 574. Neque exprobare in concionibus, audita in confeſſione. 580.

Malitia peccati. Poteſt augeri intra eamdem ſpeciem. 198.

Manuum impoſitio. Non eſt neceſſaria ad valorem abſolutionis. 443. Eſt tamen licita. 444. Quid ſignificet. ibid.

Martyrium. Cur tollat reatum culpæ, & pęnæ. 631.

Materia remota. Sunt peccata. 156. Vide peccatum.

Materia proxima ſacramẽti. Sunt actus pęnitentis. 206. & 213. Quibus eſſentialiter conſtituitur ſacramentum. 220. Non debet proportionari formæ. 300. Eſt collatiua gratiæ. 629. Debet perſeuerare uſque ad abſolutionem. 662. Tollitur per novum peccatum non confeſſum. 663.

Matrimonium. Cur poſſit fieri per procuratorem. 457. Et eſſe validum, licèt informe. 658. Eius effectus. ibid.

Meritum. Non poteſt alteri applicari. 381.

Digitized by Google

381. Si peccato mortificetur, pęnitentia reſurgit. 686. Non perit peccato, ſed ligatur. 689.

Miniſter pęnitentiæ. Debet eſſe ſacerdos. 463. Vide confeſſarius.

Moribundus. Si petijt abſolutionem, poteſt abſolui. 307. & 312. Immò debet abſolui. 313. Poteſt ab omnibus ſacerdotibus abſolui de omnibus peccatis. 487. Licèt ſint excommunicati, hæretici, & degradati. 490. Quid intelligatur nomine moribundi. 491. Abſolutus à reſeruatis, non tenetur ſe præſentare, ſi conualeſcat. ibid. Quod non valet de cenſuris. 492.

Muti. Cur non obligentur ad confeſſionem. 296. Cùm tamen poſſunt, obligantur. 302. & 588.

NAbucdonoſor. Quomodo Deo ſatisfecit. 324.

Notitia ſacramentalis. Quando poſſit adhiberi à confeſſario. 569. Non poteſt ordinari ad bonum regimen. 571. Niſi de licentia pęnitentis. 576.

OBiectum pœnitentiæ. Vide, pęnitentiæ obiectum.

Offenſa. Non poteſt remitti per partes. 341.

Offenſa Dei. Eſt infinita. 359. Et 398. Quomodo poſſit reparari. 399.

Opera meritoria. Sunt ſatisfactoria. 332. Licèt non ſint pęnalia. 333. Et cadant ſub præcepto. 334. Et per pœnas ineuitabiles.

Digitized by Google

biles. 335.

Opus bonum peccato mortificatum. Pœnitentia reuiuiſcit. *686*. Ad totum præmium eſſentiale. *694*. Et ad totam gratiam. Ibid. Et *696*. Et ad maiorem. *697*.

Opus bonum ſine charitate. Non minuit pęnas debitas peccato. 358. Neque eſt ſatisfactorium. 359. Eſt tamen utiliſſimum peccatori. 372. Non viuificatur per pęnitentiam. *685*. Nec poteſt viuificari. *689*.

Opus externum. Auget ſatisfactionem. 341.

Originale peccatum. Non eſt materia pœnitentiæ. 161. Quomodo ſit omnium proprium. 162. Meretur ſolam pęnam priuatiuam. 163. Eſt culpa habitualis naturæ humanæ. 164. Et 325. Non poteſt deleri per ullius purę creaturæ ſatisfactionem. 325.

Oris confeſſio. Quotuplex ſit. 301.

PApa. Non poteſt ſacramentaliter abſolui, niſi faciat ſe ſubditum ſacerdoti quoad hoc. 486.

Parochus. Non poteſt conferre iuriſdictionem in ſuas oues, niſi approbatis ab Epiſcopo. 483. Vel alijs Parochis. 484. Semel approbatus non poteſt reprobari. 514. & 519. Non poteſt negare matrimonium, ex notitia ſacramentali impedimenti. 574.

Peccator. Non tenetur ſtatim confiteri.

ri. 138. Neque conteri. 284. Quando teneatur. 285. Quomodo teneatur Deo ſatisfacere. 404. Quid teneatur Deo reſtituere. 420.

Peccatum. Non poteſt eſſe ſine aliqua offenſa Dei. 37. Non conſtituit pęnitentiam. 225. Non eſt certò reparabile. 263. Vnum eſt alio odibilius. 270. Et magis Deo diſplicet, quàm aliud. 271. Non poteſt unum remitti, ſine alijs. 346. Nullum eſt irremiſſibile. 618. Neque ſecundùm numerum. 620. Omnia poſſunt remitti per pęnitentiam. 621.

Peccatum publicum. Debet exponi clauibus. 593.

Peccatum in genere. Poteſt eſſe materia neceſſaria. 595. Debet exponi in particulari, cum poſſit. 596.

Peccatum læthale. Eſt materia remota neceſſaria. 156. Non tamen originale. 161. Seu patratum ante baptiſmum. 162. Debet ſubijci clauibus, etiam ſecundùm actiones externas, 183. Non ſemper remittitur quoad pęnas temporales. 321. Nihil tollit à Deo. 326. Eſt mors animæ. 349. Deſtruitur omninò per pęnitentiam. 672. & 689.

Peccatum veniale. Eſt materia remota ſufficiens. 156. Non neceſſaria. 158. Poteſt unum remitti, ſine alijs, 348. & 637. Non remittitur, ſine aliquo actu pęnitentiæ. 635. Saltem virtualis. 636. Relinquit

ma-

Digitized by Google

maculam. 638. Quæ non conſiſtit in priuatione gratiæ. ibid. Non tollitur per ſolam ceſſationem, ſed per gratiam. 639. Non remittitur in inferno. 640. & 643. Et ideo punietur pęna æterna. ibid. Poteſt remitti in purgatorio. 641. Et quomodo. 642. Quot modis remittatur in via. 643.

Peccatum dubium poſitiuè. Eſt materia ſufficiens. 166. Et neceſſaria. 167. Nō tamen dubium negatiuè. 168. Quid ſit faciendū, ſi deinde adueniat certitudo. 174.

Peccatum abſolutum. Eſt materia ſufficiens. 178. Quomodo poſſit iterum abſolui. 179. & 405. Non redit quoad culpam, & maculam per novum peccatum. 671. Nec poteſt redire. 672. Quomodo aliquando puniatur pęna æterna. 360. Nō redit quoad pęnam. 675. & 677. Quomodo dicatur aliquando redire. 679.

Pœnitentia. Vnde dicatur. 25. Congruenter ita dicitur. 28. Etiam ab Æthnicis. 31. Non intendit tollere peccatum quoad eſſe. 37. Perficit pœnitentem. 39. Compenſat iacturam innocentiæ. ibid. Non amat, fuiſſe peccatum. 40. Neque exigit quòd illam habens fuerit ſub peccato. 41. Reducitur ad commutatiuam. 42. & 48. Et ad vindicatiuam. ibid. Obiectiuè tantum, & per aſſimilationem 48. Quamuis ab illis formaliter diſtinguatur. 46. Eſt virtus ſpecialis. 45. Diſtinguitur à iuſtitia. 46. A charitate, religione, & ab

omnibus alijs. 47. Eius obiectum formale. 48. Quomodo ſit virtus moralis. 49. Ipſa ſola deteſtatur peccatum, ut eſt diuina offenſa. 51. Non expellitur per peccatum? 53.

Pœnitentia virtus. Dicit pœnam ſpontaneam. 28. Et propoſitum non peccandi. 29. Cum deteſtatione peccatorum. 30. Eſt ſimpliciter virtus. 34. Etiam quoad actum. 35. Non eſt ſacramentum. 35. Et 84. Eſt diſpoſitio ad iuſtificationem. 208. Inuoluit confeſſionem in voto. 223.

Pœnitentia virtualis. Quid ſit. 636. Eſt neceſſaria ad remiſſionem venialium. 637.

Pœnitentiæ diuinum præceptum. Non obligat ſtatim poſt peccatum læthale. 138. Sed ſolùm in articulo mortis. 140. Vel quando adeſt eius periculum proximum. 142.

Pœnitentiæ præceptum eccleſiaſticum. Quando obliget. 151.

Pœnitentia ſacram. Vide ſatisfactio.

Pęnitentia ſacramentum. Confert gratiam eſt opere operantis, & operato. 36. Remittit peccata. 91. Non dat impunitatem ad peccandum. 95. Eſt ſacramentum. 97. Senſibile. 98 Diſtinctum à baptiſmo. 101. Fuit ſolùm adumbratè in lege veteri. 107. Fuit inſtitutum à Chriſto. 111. Poſt eius reſurrectionem. 116. Viguit tempore Apoſtolorum. 114. Fuit congruentiſ-

ſima

ſima eius inſtitutio. 121. Eſt neceſsarium neceſſitate medij. 127. Et præcepti diuini. 131. Et Eccleſiaſtici. 132. Non conſtat ex ritibus externis. 206. Fit per modum iudicij. 209. & 214. Conſtituitur ex actibus pęnitentis, ut materia. 213. Non eſt priuilegium, ſed præceptum. 131. & 397. Obligat etiam pueros doli capaces. 583. Directè, & per ſe obligat ſolùm habentes mortalia. 584. Tamen per accidens obligat etiam iuſtos. 585. Poteſt remittere omne peccatum. 621. Etiam deſperationis, & iufidelitatis. 623. Non ſemper tollit reatum pęnæ temporalis. 626. Sed aliquando. 628. Non remittit culpam, niſi per gratiam. ibid. Cur non tollat ſemper reatum pęnæ. 631. Non poteſt remittere unū peccatum mortale ſine alijs. 645. Non poteſt eſſe validum, & informe. 654. Debet præſtare gratiam remiſſiuam peccati. 656. Et eſse ſignum practicum illius. 657.

Pænitentiæ actus. Non poſſunt formaliter ſumpti vitiari. 36. Sunt ſupernaturales. 58. Diſponunt ad maiorem gratiam. 59. Quot, & qui ſint. 74. & 85. Non poſſunt à Deo exigi, niſi è ſuppoſitione peccati. 328.

Pænitentiæ habitus. Non tollitur per peccatum. 53. Quamuis ſit ſupernaturalis, & infuſus. 56. Et diſtinctus à theologicis. ibid. Eius finis primarius non eſt expulſio

pec-

peccati, ſed eius compenſatio, & ſatisfactio. 66. Non eſt in Angelis. 69. Neque in Chriſto. 72. Eſt in pueris, Apoſtolis, & Deipara. 70 Et Beatis. ibid. Eſt qualitas compoſita ex pluribus. 277.

Pænitentiæ obiectum materiale. Sunt omnia, & ſola peccata actualia propria. 78. Excluſis originali. 80. Alieno. ibid. Malo pænæ, & imperfectione morali. 81. Vide, materia remota.

Pænitentiæ materia. Vide materia.

Pænitentiæ obiectum formale. Quid ſit. 83.

Pęnitentia naturalis. Fuiſſet in ſtatu puræ naturæ. 63. Et fuiſſet remiſſiua peccati. 64. Et virtus ſpecialis. 65. Fuit in Iuda, Eſau, & Anthioco. 229. Non remittit peccatum in ſtatu gratiæ. ibid.

Pęnitentes. Non obligantur ad confitendum per interpretem. 304. Quamuis poſſint. 305. Et etiam per ſcripturam. ibid. Et 299. Poſſunt confiteri abſenti. 306. Non tamen abſolui ab abſente. 304. Si non poſſint ſecretò confiteri, non tenentur ad confeſſionem. 305. Poſſunt Deo ſatisfacere. 318. Per actus proprios moraliter infinitos. 327. Tenentur acceptare pęnitentiam iniunctam. 393. Et illam recuſantes non poſſunt abſolui. 397. Tenentur etiam illam adimplere. 400. Siue grauem, ſiue leuem. 401. Licèt impoſitam prò venialibus, & aliàs dimiſſis. 404. Non

poſſunt ex ſe illam commutare. 408. Non peccant adimplendo pęnitentiam in peccato. 418. Non tamen aſſequuntur effectum. 419. Poſſunt plures ab eodem ſimul abſolui. 445. Debent confiteri proprio confeſſario. 489. Si ex defectu miniſtri, nulliter abſoluantur, quomodo poſſint ſibi conſulere. 530. Poſſunt diſpenſare confeſſarium à ſigillo ſuorum criminum. 576. Licèt illa nõ repetant extra confeſſionem. 577. Quando poſſint non integrè confiteri. 591. Et complices manifeſtare. 612. Et 613.

Præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis. Quando, & quomodo obliget. 144. & 151. & ſeqq.

Pueri doli capaces. Obligantur ad confeſſionem. 583. Ad audiendum ſacrum, & carnium abſtinentiam diebus vetitis. 587. Cur non obligentur ad Euchariſtiam ibi.

Purgatorium. Admittit remiſſionem venialium. 640. Quia eſt aliquo modo ſtatus viæ. 641.

Pæna damni. Non eſt eadem in omnibus. 677.

RAtihabitio confeſſionis. Eſt confeſſio. 306. & 309.

Reatus culpæ. Quid ſit. 625. Poteſt tolli, remanente reatu pœnæ temporalis. 626.

Reatus pœnæ æternę. Non poteſt tolli prò uno peccato, & non prò alijs. 346.

Sem-

Semper tollitur, ablato reatu culpæ. *625.* Contrahitur per auerſionem à Deo. *626.*

Reatus pœnæ temporalis. Poteſt tolli prò uno peccato, & non prò alijs. 347. Et 351. Non ſemper tollitur, ablato reatu culpæ. *626.* Tamen aliquando tollitur. 628. Difficiliùs tollitur, quàm reatus pœnæ æternæ. 632.

Regulares. Non poſſunt abſoluere ſæculares, niſi ſint ab Epiſcopis approbati. 472. Licèt poſſint abſolui à non approbatis. 473. Et 492. Tamen poſſunt abſoluere exiſtentes de familia, & mox ingreſſuros ſuam religionem. 493. Iniuſtè reprobati ab Epiſcopis, non poſſunt abſoluere. 499. Licèt ſit probabile, quòd poſſint. 502. Quod non valet de iuſtè reprobatis. 504. Eorum priuilegia non fuerunt reuocata. 505. Non acquirunt capacitatem iuriſdictionis ab Epiſcopo. 508. Non poſſunt reijci ut ſuperflui. 509. Nec ſine cauſa reprobari. 516.

Regulares Prælati. Non poſſunt abſoluere ſæculares, ſine approbatione Epiſcopi. 473.

Remiſſio peccati. Eſt effectus gratiæ. 643.

Reprobatio iniuſta. Non tenet in foro interno. 515. Eſt nulla intra tempus conceſſionis. ibid. Valet tamen reuocatio conceſſionis ad beneplacitum. 516.

Reſeruatio criminum. Non tollit poteſta-

teſta-

teſtatem abſoluendi, ſed impedit uſum. 470. Et obligat ad ſe præſentandum reſeruanti. 501. Qui poteſt abſoluere, & quomodo ab illis ſolis. 544. Non ordinatur ad bonum regimen. 572.

Reuiuiſcentia meritorum. Non eſt fauor diſtinctus à fauore iuſtificationis. 697 Non fit ad ſolum gaudium accidentale. 699. Neque ad multiplicationem titulorum. 700. Neque ad menſuram præſentis diſpoſitionis. 701. Sed ad pręmium eſſentiale. ibid. Statim aſſequendum. 702. Ex propria condignitate ipſorum. 703. Cur non reddat innocentiam, & virginitatem. 706.

Ritus externi. Non conſtituunt ſacram. pœn. 209.

SAcerdos abſoluens. Vide Confeſſarius. Omnes ſunt æquales. 415. Et 417.

Sacerdos ſæcularis. Iniuſtè reprobatus, nec licitè, nec validè abſoluit. 498. Secùs dicendum de Regulari. 499.

Sacramenta veteris legis. Non erant vera ſacramenta, ſicut noſtra. 108.

Sacramenta nouæ legis. Quomodo cauſent gratiam. 222.

Satisfactio. Eſt ſimpliciter poſſibilis homini, ut eleuato. 318. Et quomodo. 319. Nihil valet, ſine diuina acceptatione. 322. Non eſt idem ac reſtitutio. ibid. Poteſt fieri per omne opus moraliter bonum.
Digitized by Google

num. 331. A viatore. ibid. Et 340. Regulariter eſt pęnalis, non tamen ſemper. 333. Poteſt fieri per opera præcepta. 334. Et ineuitabilia. 334. Debet eſſe voluntaria. 336. Non tamen cum formali voluntate, ſatisfaciendi. 337. Augetur per actus externos. 341. Licèt poſſit haberi per ſolos actus internos. 342. Non poteſt fieri prò peccato non remiſſo. 348. Neque prò uno ſine alijs 349.

Satisfactio in voto. Eſt pars eſſentialis ſac. 220. Inuoluitur in contritione. 223.

Satisfactio in re. Eſt ſolùm pars integralis ſac. 220. Eiuſque fructus. 223. Quomodo poſſit per alium fieri. 376 Non compenſat offenſam Dei, niſi ab illo dignificetur. 399.

Satisfactio Chriſti. Non iuuat, niſi applicetur. 632.

Satisfactio facta in peccato. Non tollit, ſeù minuit pęnas temporales. 354. Multò minùs æternas. ibid. Neque indirectè. 355.

Satisfactio pęnalis. Poteſt per alium fieri. 375. Non tamen medicinalis. 376.

Satisfactio ſacramentalis. Non poteſt per alium fieri, ſine licentia imponentis. 376. Debet imponi à ſacerdote. 385. Et acceptari à pęnitente. 393. Et impleri. 400. Eius omiſſio ſemper eſt læthalis. 402. Non tamen omiſſio unius partis. 406. Non poteſt commutari à pęnitente. 408. Nec

Digitized by Google

ab alio confeſſario, ſiue eodem, niſi cognita cauſa. 412. Et intra ſacramentum. 414. Vel tempore Iubilæi. 415. Debet eſſe oratio, ieiunium, vel eleemoſina. 419. Poteſt eſſe opus præceptum. 421. Et aliquando etiam publicum. 422. Quomodo poſſit per alium impleri. 423. Poteſt eſſe etiam actus coniugalis, comeſtio &c. 423. Si fiat in peccato, tollit obligationem, non tamen præſtat effectum, etiam ablato obijce. 426. Vt talis, non eſt pars ſacramenti. 428. Qui effectus illi correſpondeant. ibid & 429. Etiam ex opere operato. 430. Non fit ad æqualitatẽ delicti. 529

Satisfactio impoſita pro reſeruatis. Poteſt ſacramentaliter commutari, etiam à non habente auctoritatem in reſeruata. 415. Niſi fuerit medicinalis. 416.

Satiſpaſſio alterius vitæ. Non eſt ſatiſfactoria. 331.

Scientia. Quanta requiratur in abſoluente. 526. Eſt conditio neceſſaria miniſtri. 530.

Sæculares exiſtentes in monaſterijs. Qui participent de priuilegijs regulariũ. 493.

Sigillum confeſſionis. Obligat ſemper, & ad ſemper. 547. Extenditur etiam ad interpretem, & ad quoſcumque habentes notitiam ſacramentalem. 552. Et ad illum, qui finxit ſe ſacerdotem, ut audiret alterius peccata. 554. Quomodo poſſit diſpenſari à penitẽtibus. 576. Eſt diuinũ. 577

Eius fractor quomodo puniatur. 579.

Sigilli materia. Sunt omnia peccata, etiam complicum, & aliorum, quæ deteguntur per confeſſionem. 556. Et criminum circumſtantiæ, & pœnitentia impoſita. 557. Niſi ſit leuiſſima. ibid. Et occulti defectus à pœnitente manifeſtati. 558. Non verò qui de ſe patent. 559. Nec peccata patrata in ipſa confeſſione. ibid. Seu reuelationes, miracula, & virtutes, niſi exponantur ad detegenda peccata. 560.

Suffragia. Non iuvant damnatis. 354. Sed exiſtentibus in purgatorio. 358.

Temperantia. Alia eſt naturalis, & alia ſupernaturalis. 61.

Tempus. Eius amiſſio quomodo reparetur. 328.

S. Thomas Ep. Cantuar. Petijt per litteras abſolutionem criminum ab Alexandro tertio. 453. Non tamen obtinuit. 455.

Verecundia. Cur non ſit virtus. 38.

Vicarius. Pendet ab Epiſcopo in fieri, & conſeruari. 518. Non poteſt, ſede vacante, ſuſpendere approbatos ab Epiſcopo. 519.

Virginitas amiſſa. Non redit per pœnitentiã, niſi virtualiter, & moraliter. 70[illegible]

Virtus moralis. Poteſt eſſe ſupernaturalis. 60. Quid exigat eſſentialiter. 60. Non neceſſariò eſt ſimplex qualitas. 277.

Votum. Poteſt à vouente in melius commutari. 409.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google